LAETUS ALESSANDRI - FRANCISCUS PENNACCHI

BULLARIUM PONTIFICIUM

QUOD EXSTAT

IN ARCHIVO SACRI CONVENTUS

S. FRANCISCI ASSISIENSIS

(nunc apud publicam Bibliothecam Assisii)

TYP. COLLEGII S. BONAVENTURAE
AD CLARAS AQUAS PROPE FLORENTIAM
(QUARACCHI PRESSO FIRENZE)

1920.

Extractum ex Periodico
Archivum Franciscanum Historicum
Vol. VIII-XIII (1915-1920)

BULLARIUM PONTIFICIUM

QUOD EXSTAT

IN ARCHIVO SACRI CONVENTUS S. FRANCISCI ASSISIENSIS

(nunc apud publicam Bibliothecam Assisii).

Desideratissimus ille vir, doctrina praeclarus et modestia, Laetus Alessandri, immediatus huius publicae Bibliothecae Assisiensis Praefectus in longum aevum benemeritus, cum ad eius notitiam pervenit cl. P. Conradum Eubel, O. Min. Conv., in hoc AFH publici iuris *Elenchum Romanorum Pontificum Epistolarum,* quae in Archivo sacri conventus Assisiensis asservantur, facturum esse, ex imo corde est gavisus, quod opus a se iam diu animo expetitum, tantus vir, in hac re omnium versatissimus, ad actum tandem deduceret. Sed elenchum ut prae oculis habuit (1) atque cum propriis contulit notis, de spe concidit non parum, sibique dolendum fuit quod studiosissimus editor, vel tempore privatus vel antiquiori indice deceptus, finem peroptatum plene assecutus non sit; cum elenchus ab eo editus *1)* vel pontificias epistolas nonnullas omittat, nonnullas vero referat quae in Archivo nunc minime exstant, *2)* vel in datis loci et temporis non semel, scribae forsan aut typographi mendo, veteres errores confirmet aut novos proferat; *3)* neque — cum opus maiorem partem absolutum et definitivum habendum foret — illa quae ad historiam tum ipsorum documentorum tum conventus vel Ordinis ex chartis ipsis abunde colliguntur in communem utilitatem palam faciet; *4)* nec, denique, qua index ipsius Archivi — ordine et ratione inspectis quibus editor elenchum disposuit — is ullo modo inservire possit.

(1) Prodiit in AFH I, 601-16, et II, 108-22.

Subiungendum statim censeo, ne lector iudicium de Elencho clari P. Eubel erroneum efformet, non multa sane quoad duo prima puncta in eo emendanda esse; neque, quoad cetera, hunc finem sibi aliisque attingendum auctorem proposuisse. At hinc sollicitudo tum historicae veritati plene suffragandi, tum actualem statum Archivi sibi concrediti praecise stabiliendi, inde vero desiderium ea adiungendi quae operi Eubeliano deerant; haec senem diligentissimum et indefessum impulerunt, ut laborem a principio reassumeret et ad absolutum omnino finem deduceret; cui tamen ne ultimam manum apponeret mors vetuit. Ego, qui ei in officio suffectus sum, munus, hereditatis instar, quod tum erga dilectam Bibliothecam tum in sui ipsius memoriam successori transmiserat, pauca quae adhuc deerant adiiciens, perfeci, et tandem hic, glorioso nomini parvulum meum denuo comitatus, edendum curabo.

His quatuor ratio operis consistit.

1. Elenchus Epistolarum editur quo ordine in voluminibus ab Archivistis S. Conventus dispositae fuerunt et usque nunc asservantur.

2. Notae descriptivae et distinctivae singulorum documentorum apponuntur, cum referentia tum ad eorum editionem integram in *Bullario Franciscano* (*BF*), tum ad eorum summarium in elencho Eubeliano (*Eub.*). Ad *Bullarii Franciscani Epitomen* (1) ab eodem P. Eubel editam (*Ep.*) tunc tantum remittimus, cum, *Bullario Fr.* non suffragante, in ea cum nostris exemplaribus convenientia adest.

3. Quae in dorso vel in plica sunt scripta evulgantur; et pro regesto, quod praecedit, summaria assumuntur in dorso cuiusque pergamenae a coaevis, ut plurimum, manibus scripta; quibus deficientibus, nostrum summarium asterisco praenotamus.

4. In *Appendice* inedita vulgantur.

Exinde opus, etsi denuo editum, pene novum rerumque Franciscalium studiosis gratum et perutile fore speramus.

FRANCISCUS PENNACCHI.

(1) Ad Claras Aquas 1908.

Vol. I.

Honorius III.

1. 1220, 22 sept. — *Quod fratres possint excommunicare profexos exeuntes.*

Fratri Francisco et aliis prioribus seu custodibus Minorum fratrum. « Cum secundum consilium ». Dat. apud Urbem veterem x kal. octubris a. v.

I, 01; *(orig.) mm. 296×325, (cum chordula) ser(ica) et plumb(o), in plica* Al. = *BF I, (p.) 6; Eub. (nr.) 1* (1).

2. 1222, 31 mart. — *Istud privilegium datum fuit personaliter Beato Francisco: quod fratres possunt celebrare tempore excommunicationis.*

Francisco et aliis fratribus Minoris ordinis. « Devotionis vestre precibus ». Dat. Anagnie II kal. aprilis a. VI.

I, 001; *mm. 224×260, sine chord. et sine plumbo, in plica* T. = *BF I, 9, sed sub* IV kal. aprilis; *Eub. 2* (2).

3. 1223, 18 dec. — *Littere quod prelati ad mandatum fratrum denuncient excummunicatos fratres professionem relinquentes et a predictis fratribus excommunicatos.*

Archiepiscopis ... et aliis ecclesiarum prelatis. « Fratrum Minorum continent instituta ». Datum Laterani XV kal. ianuarii a. VIII.

I, 1; *mm. 200×225, (cum chordula) can(nabis) et plumb. = BF I, 19; Eub. 4* (3).

Gregorius IX.

4. 1227, 4 maii. — *Quod possint fratres celebrare cum altari portatili in locis suis.*

Fratribus Minoribus. « Quia populares tumultus ». Dat. Laterani IIII non. maii a. I.

I, 2; *mm. 210×255, ser. et plumb., in plica* Sym. = *BF I, 27 ex hoc Archivo.*

5. 1227, 13 maii. — *Quod non liceat retinere profexos exeuntes.*

Archiepiscopis ... et aliis ecclesiarum prelatis. « Fratrum Min. continent instituta ». Dat. Laterani III idus maii a. I.

I, 3; *mm. 220×270, can. et plumb., in plica* Innovetur et non cancelletur - Facta secundum predicti Ordinis instituta VI kal. maii po. nostri an. III. - Sym. = *BF I, 28, sed* idibus maii; *deest ap. Eub.*

6. 1227, 15 maii. — *Quod ministri possint absolvere fratres a vinculo excommunicationis.*

Ministris fratrum Min. « A nobis humiliter postulastis ». Dat. Laterani idibus maii a. I.

I, 4; *mm. 275×278, ser. et plumb. = BF I, 28, et Eub. 6, sub* III id. maii.

---

(1) Haec et sequens bulla antea erant sub crystallo.

(2) Bulla apud *Eub.* sub n. 3 inserta non in Archivo conventus sed in sacrario servatur. (3) Bulla ap. *Eub.* n. 5. in Archivo conventus non exstat; cf. tamen infra sub n. 4.

7. 1228, 29 apr. — *Indulgentia quadraginta dierum omni tempore benefactoribus solis in loco S. Francisci.*

Christi fidelibus. « Recolentes qualiter ». Dat. Reate III kal. maii a. II.

I, 5; *mm. 220×285, ser. et plumb., in plica* B. = *BF I, 40* (Dat. Romae, a. I); *Eub. 7* (Dat. Laterani).

8. 1228, 10 iun. — *Quod fratres possint habere oratoria in locis suis.*

Fratribus Min. « Nos attendentes vestrarum orationum suffragia ». Dat. Asisii IV idus iunii a. II.

I, 6; *mm. 215×290, ser. et plumb., in plica* aff. = *BF I, 41, sub* VII kal. iun.; *Eub. 8.*

9. 1273, 23 iun. — *De quodam deposito restituendo.*

GREGORIUS X. Custodi ... guardiano et fratribus ord. Min. de Asisio. « Volumus et per apostolica vobis scripta mandamus ». Dat. Florentie IX kal. iulii a. II.

I, 7; *mm. 215×240, can. et plumb., in plica* N. P. de Curia. = *BF III, 206 ex hoc Arch.; Eub. 172.*

10. 1229, 19 apr. — *Quod nulli liceat exire religionem post annum probationis.*

Archiepiscopis ... et aliis ecclesiarum prelatis. « Fratrum Min. continent instituta ». Dat. Perusii XIII kal. magii a. III.

I, 8; *mm. 265×305, can. et plumb., in plica* b. r. = *Eub. 9* (Dat. Laterani, a. IV); *cf. supra n. 5.*

11. 1230, 22 april. — *Quod ecclesia S. Francisci nulli nisi romano Pontifici sit subiecta.*

Ministro ordinis fratrum Minorum eiusque fratribus morantibus apud ecclesiam beati Francisci, in loco qui dicitur Collis paradisi, tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuam memoriam. « Is qui Ecclesiam suam ». Dat. Laterani per manum Martini sante romane Ecclesie vicecancellarii X kal. maii, ind. II, incarnationis D. a. MCCXXX, pont. Gregorii IX a. IV.

I, 8bis; *mm. 730×510, ser. et plumb.* = *BF I, 60 ex hoc quoque Arch.; Eub. 10* (1).

12. 1230, 16 maii. — *Indulgentia unius anni pro translatione [S. Francisci] per VIII dies solemnes.*

Universis presentes litteras inspecturis. « Mirificans misericordias suas ». Dat. Laterani XVII kal. iunii a. IV.

I, 9; *mm. 365×385, sine c. et sine plumb., in plica* ph. = *BF I, 65b; Eub. 11, sed eam identicam cum sequenti facit.*

13. 1230, 16 maii. — *Indulgentia consecrationis et translationis.*

Ministro et fratribus ord. Min. in generali capitulo constitutis. « Mirificans misericordias suas ». Dat. Laterani XVII kal. iunii a. IV.

I, 10; *mm. 390×446, can. et plumb., in plica* ph. = *BF I, 64,* (iulii: *error typographi) ex hoc quoque Arch.; Ep. (nr.) 71; Eub. 11.*

(1) Antea sub crystallo.

14. 1231, 27 aug. — *De tutela fratrum.*

Archiepiscopis ... et aliis ecclesiarum prelatis per regnum Francie constitutis. « Nimis iniqua vicissitudine ». Dat. Reate VI kal. septembris a. V.

I, 11; *mm. 359×392, can. et plumb., in plica* p. at. = *BF I, 75 ex hoc Arch.; Eub. 12.*

15. 1231, 28 aug. — *Contra molestantes fratres et etiam decimam de ortis extorquentes.*

Turonensi et Rothomagensi archiepiscopis et episcopo Parisiensi. « Nimis iniqua vicissitudine ». Dat. Reate V kal. septembris a. V.

I, 12; *mm. 362×398, can. sine plumb., in plica* Rec. W. = *BF I, 75 ex hoc Arch.; Eub. 13.*

16. 1232, 23 iun. — *Approbatio et canoniçatio S. Antonii Patav. cum indulgentiis visitantibus eius sepulcrum.*

Patriarchis, archiepiscopis ... et aliis ecclesiarum prelatis. « Cum dicat Dominus per prophetam ». Dat. Spoleti IX kal. iulii a. VI.

I, 13; *mm. 387×443, ser. sine plumb., in plica* p. b., *cum foliolo adiuncto Missae orationes praebente.* = *BF I, 79; Eub. 14.*

17. 1232, 12 oct. — *Quod fratres [in locis] in quibus degunt et celebrant, habeant liberam sepulturam.*

Ministro et fratribus ord. fratrum Min. « Ita vobis et ordini vestro ». Dat. Anagnie IV idus octobris a. VI.

I, 14; *mm. 234×254, ser. et plumb., in plica* ℟. pe. b. - P. B. = *Eub. 15; cf. BF I, 99.*

18. 1232, 19 oct. — *Quod possint fratres a vinculo excommunicationis ab episcopis absolvi et dispensationem recipere ab eisdem.*

Archiepiscopis et episc. ad quos littere iste pervenerint. « Quia proni sunt ». Dat. Anagnie XIV kal. novembris a. VI.

I, 15; *mm. 230×266, ser. et plumb., in plica* R. = *BF I, 93, et Eub. 16, sub* XVI kal. martii a. VI.

19. 1235, 26 mart. — *Indulgentia pro monasterio S. Marie Magdalene Alexandrie.*

Christi fidelibus. « Quoniam, ut ait Apostolus ». Dat. Perusii VII kal. aprilis a. IX.

I, 16; *mm. 253×287, ser. et plumb., in plica* Ordinis sancti Damiani. Fiat pro sororibus S. Angeli [...] S. Francisci de Burdello. Fiat pro sororibus S. Agnetis Bononien. = *BF I, 149 ex hoc Arch.; Eub. 20.*

20. 1233, 17 maii. — *Indulgentie de euntibus sive morantibus inter Sarracenos, in quibusdam articulis.*

Fratribus ord. fratrum Min. in terras Saracenorum et paganorum proficiscentibus. « Cum messis multa sit ». Dat. Laterani XVI kal. iunii a. VII.

I, 17; *mm. 242×287, ser. et plumb., in plica* p. c. = *BF I, 103; Eub. 17.*

21. 1233, 31 maii. — *Quod possint absolvere christianos cum sint in terra paganorum vel Saracenorum et etiam a vinculo excommunicationis.*

Fratribus ordinis fratrum Min. presbyteris in terras Sarracenorum et paganorum proficiscentibus. « Animarum salutem ». Dat. Laterani II kal. iunii a. VII.

I, 18; *mm. 229×234, ser. et plumb., in plica* b. r. = *BF I, 102; Eub. 18.*

22. 1233, 6 iul. — *Quod, stantibus innumeris turbolentiis, suis precibus et orationibus instanter clament ad Dominum.*

Fratri Helie ord. fratrum Min. generali ministro et ceteris provincialibus ministris ipsius ordinis ad generale capitulum congregatis. « Per mare magnum et manibus spatiosum ». Dat. Laterani II nonas iulii a. VII.

I, 19; *mm. 260×303, can. et plumb.* = *BF I, 113 ex hoc quoque Arch.; Eub. 19.*

23. 1237, 31 mart. — * *Pro Stigmatibus S. Francisci.*

Episcopo Olomocensi. « Usque ad terminos orbis terre ». Dat. Viterbii II kal. aprilis a. XI.

I, 20a; *exemplum non authent., mm. 339×117.* = *BF I, 211; Eub. 22.*

24. 1237, 31 mart. — * *De Stigmatibus S. Francisci.*

Christi fidelibus per Theutoniam constitutis. « Confessor Domini ». Dat. Viterbii II kal. aprilis a. XI.

I, 20b; *exemplum non auth., mm. 124×119; cf. supra n. 23.* = *BF I, 214 sub* nonis aprilis; *Eub. 21.*

25. 1238, 13 apr. — *Quod fratres possint batiçare infideles in terra eorum constituti inter eos et eos insignire caractere clericali.*

Fratribus ord. fratrum Min. in terras Saracenorum et paganorum proficiscentibus. « Pro zelo christiane fidei ». Dat. Laterani idibus aprilis a. XII.

I, 21; *mm. 266×265, ser. et plumb., in plica* b. t. = *BF I, 236; Eub. 23.*

26. 1241, 21 febr. — *Quod non possint fratres cogi per aliquem ad faciendum obedientiam manualem.*

Generali ministro et universis fratribus ord. fr. Min. « Inducimur pie conversationis vestre meritis ». Dat. Laterani IX kal. martii a. XIV.

I, 22; *mm. 242×291, ser. et plumb., in plica* ben. F. = *BF I, 290; Eub. 29.*

27. 1241, 21 febr. — *Contra quasdam mulieres portantes cordulas et quodammodo portantes habitum monialium [S. Clare]: dimittantur per prelatos.*

Archiepiscopis et episcopis. « Ad audientiam nostram ». Dat. Laterani IX kal. martii a. XIV.

I, 23; *mm. 210×233, can. et plumb., in plica* hs. = *BF I, 290; Eub. 30.*

28. 1241, 14 mart. — *Contra quasdam mulieres portantes cordulas et quodammodo portantes habitum monialium [S. Clare]: dimittantur per prelatos.*

Archiepiscopis et episc. « Ad audientiam nostram ». Dat. Laterani II idus martii a. XIV.

I, 24; *mm. 216×235, can. et plumb., in plica* ben. F. = *Eub. 30; cf. supra n. 27.*

29. 1240, 17 nov. — *Quod nullus frater ante annum recipiatur ad obedientiam.*

Generali et aliis ministris provincialibus et custodibus ordinis fratrum Min. « Cum secundum consilium ». Dat. Laterani decimo quinto kal. decembris a. XIV.

I, 25; *mm. 294×327, ser. et plumb., in plica* R. quicumque - Dat. Lugduni x kl. maii p. n. anno tertio. = *BF I, 285; Ep. 290; Eub. 24.*

30. 1240, 12 dec. — *Quod ministri cum diffinitoribus in capitulo possint fratribus concedere licentiam predicandi.*

Ministris provincialibus ord. fratrum Min. « Prohibente regula vestra ». Dat. Laterani secundo idus decembris a. XIV.

I, 26; *mm. 232×242, ser. et plumb. = BF I, 287; Eub. 25.*

31. 1240, 12 dec. — *Quod possint ministri absolvere fratres a vinculo excommunicationis.*

Generali et ceteris ministris provincialibus ord. fratr. Min. « In iure canonico repperitur expressum ». Dat. Laterani secundo idus decembris a. XIV.

I, 27; *mm. 271×310, ser. et plumb., in plica* I. po., *in dorso* Burgundia. — I, 28; *mm. 275×300, ser. et plumb., in plica* I. po. = *BF I, 287; Eub. 26.*

32. 1240, 13 dec. — *Quod nullus portet habitum fratrum Minorum, et qui portaverit per diocesanum dimittere compellatur.*

Generali ministro et fratribus ord. fr. Min. « Quia confusio habitus ». Dat. Laterani idibus decembris a. XIV.

I, 29; *mm. 259×273, ser. et plumb., in plica* B. C. = *BF I, 289; Eub. 27.*

33. 1240, 13 dec. — *Quod portantes habitum fratrum dimittere cogantur.*
Archiepiscopis et episcopis. « Quia confusio habitus ». Dat. Laterani idibus decembris a. XIV.

I, 30; *mm. 185×218, can. et plumb. = Cf. supra n. 32; Eub. 27, sed eam identicam cum praecedenti facit.*

34. 1240, 13 dec. — *Quod minister et custos S. Francisci possint facere procuratorem.*

Generali ministro ord. fratrum Min. « Cupientes nobis B. Francisci meritis ». Dat. Laterani idibus decembris a. XIV.

I, 31; *mm. 207×264, ser. et plumb., in plica* B. C. = *BF I, 288 ex hoc Arch.; Eub. 28.*

35. 1241, 27 ap. — *Quod non possint cogi fratres ad sententiam excommunicationis promulgandam et causarum executionem.*

Generali ministro et universis fratribus de ordine fratrum Minorum. « Qui postposita vanitate seculi ». Dat. Laterani quinto kal. maii a. XV.

I, 32; *mm. 268×268, ser. et plumb., in dorso* fr. Gabriel. = *BF I, 294; Eub. 31.*

36. 1240, 24 dec. — *Quod possit minister et custos [facere] procuratorem conventus S. Francisci de Assisio.*

Generali ministro ordinis fratrum Minorum. « Cupientes nobis beati Francisci meritis ». Dat. Laterani IX kal. ianuarii anno quartodecimo.

I, 33; *mm. 189×224, ser. et plumb. = Cf. supra n. 34; Eub. 28.*

37. 1241, 27 ap. — *Quod non possint cogi fratres ad recipiendum commissiones causarum et sententiam excommunicationis promulgandam.*

Generali ministro et universis fratribus de ordine fratrum Minorum. « Qui postposita vanitate seculi ». Dat. Laterani V kal. maii a. XV.

I, 34; *mm. 217×265, ser. sine plumb., in plica* ben. F. = *Cf. supra n. 35; Eub. 31.*

38. 1241, 6 iun. — *Privilegium quod aliorum officio, quando sumus cum eis, contenti simus.*

Generali ministro et universis fratribus ordinis fratrum Minorum. « Pio vestro collegio ». Dat. Laterani VIII idus iunii a. XV.

I, 35; *mm. 214×218, ser. et plumb., in margine superiori* R. Pe. b. = *BF I, 296, sub* VII idus; *Ep. 309; Eub. 32.*

39. 1241, 20 iun. — *Quod possint fratres in terris excommunicatorum libere commorari ac vite necessaria deposcere.*

Generali ministro et universis fratribus ordinis fratrum Min. « Vobis extremam patientibus ». Dat. Laterani XII kal. iulii a. XV.

I, 36; *mm. 201×225, ser. et plumb., in plica* R., *in dorso* Fr. Gabriel. — I, 37; *mm. 220×250, ser. et plumb., in dorso* Fr. Gabriel. = *BF I, 298; Eub. 34.*

40. 1241, 19 iun. — *Quod possint comittere ministri fratribus licentiam fratres recipiendi.*

Generali et universis ministris provincialibus ordinis fratrum Minorum. « Gloriantibus vobis ». Dat. Laterani XIII kal. iulii a. XV.

I, 38; *mm. 386×332, ser. et plumb., in plica* b. m. - Innovata est. = *BF I, 298 ex hoc Arch.; Eub. 33.*

41. « *Statuta super reformatione monachorum ordinis Sancti Benedicti a felicis recordationis Gregorio papa ix edita* ».

Inc. « In primis ordinamus quod omnes monachi constituti infra abbatiam ». *Des.* « ea que correxerint statuerit observanda ».

I, 39; *exemplum mm. 542×650, can. sine sigillo, in plica* G. ar. = *Edita* e. g. ap. *Regestrum Visitationum archiepiscopi Rothomagensis. — Journal des Visites Pastorales d'Eude Rigaud* [*O. F. M.*], *Archevêque de Rouen. MCCXLVIII-MCCLXIX. Publié,... par Th. Bonnin. Rouen 1852. Appendix, pp. 643-48.*

Vol. II.

Innocentii IV.

42. 1244, 20 apr. — *De non recipiendis fratribus Predicatoribus obligatis iuramento vel voto.*

Generali ministro et fratribus ordinis fratrum Min. « Quo vos in Christo sinceriori caritate diligimus ». Dat. Laterani XII kal. maii a. I.

II, 1; *mm. 279×296, ser. et plumb., in plica* Ted. = *BF I, 327, sed* Dat. apud Civitatem Castellanam VIII kal. iulii, *seu potius* Laterani d. 21 apr. *(cf. p. 328, n. b); Ep. 342 et Eub. 37, sub* II kal. maii.

43. 1245, 14 nov. — *Declaratio alicuius particule regule super illis verbis: Fratres nihil sibi approprient.*

Generali et provincialibus ministris ac custodibus ceterisque fratribus ord. Min. « Ordinem vestrum ». Dat. Lugduni XVIII kal. decembris anno III.

II, 2; *transumptum mm. 326×424 sine chord. et sine sigillo.* Magister Bernardus Iohanini canonicus Agathensis causarum camere d. Pape generalis auditor transcribi fecit et sigilli camere d. Pape munimine roboravit. Dat. Perusii XII kal. maii, indict. XIII, a. D. 1285, Honorii pp. IV a. I. Bernardus filius Iohannis Symonis de Valliscursa Fundan. dioces. notarius et dicti domini auditoris scriba. = *BF I, 400; Eub. 47.*

44. 1244, 30 maii. — *Quod non possint cogi fratres ad commissiones causarum seu executiones sententiarum.*

Generali ministro et universis fratribus de Ord. fratrorum (*sic*) Min. « Qui postposita vanitate ». Dat. Laterani III kal. iunii a. I.

II, 3; *mm. 204×245, ser. et plumb., in plica* Et de verbo ad verbum ac universo *(?)* tenore. = *Eub. 38; cf. Ep. 306*[2].

45. 1244, 24 iun. — *De non recipiendis fratribus Predicatoribus profexis post annum, et non intelligendum de obligatis ante annum.*

Generali ministro et fratribus ord. fr. Min. « Meminimus vobis olim ». Dat. apud Civitatem Castellanam VIII kal. iulii a. I.

II, 4; *mm. 247×282, ser. et plumb., in plica* A. G., *in dorso* Meminimus. Scribantur ij. = *BF I, 345; Eub. 40.*

46. 1244, 20 iun. — *Quod fratres ordinatione seu correctione facte breviarii pro officio romane Curie secundum regulam adque quando cum aliis clericis dicunt oras, illo officio sint contempti nec ad aliud teneantur.*

Generali ministro et universis fratribus ord. fr. Min. « Pio vestro collegio ». Dat. apud Civitatem Castellanam XII kal. iulii a. I.

II, 5; *mm. 225×269, ser. et plumb., in plica* b. r., *in margine superiori* R. Iac. et innoventur. = *BF I, 344; Eub. 39.*

47. 1243, 20 nov. — *Quod fratres in terris excommunicatorum libere possint commorari.*

Generali ministro et universis fratribus ord. fr. Min. « Vobis extremam patientibus ». Dat. Laterani XII kal. decembris a. I.

II, 6; *mm. 244×263, ser. et plumb., in plica* B. c., *in dorso* Iste littere sint pro ordine semper in Curia. - Iste littere sint scripte in libro Provinciali qui est apud Cancellarium in Cancellaria, que semper renovari possunt sine Papa de mandato Cancellarii, et he littere scripte sunt in registro d. Pape. = *BF I, 318; Eub. 35.*

48. 1243, 22 dec. — *Quod non possint fratres ab aliquo conveniri.*

Generali ministro et universis fratribus ord. fr. Min. « Cum iam per eius gratiam ». Dat. Laterani XI kal. ianuarii a. I.

II, 7; *mm. 228×255, ser. et plumb., in plica* B. c. = *BF I, 322 ex hoc Arch.; Eub. 36.*

49. 1245, 3 ian. — *Quod ministri possint committere vices suas aliis fratribus de receptione fratrum.*

Generali et universis ministris provincialibus ord. fr. Min. « Gloriantibus vobis in sola cruce ». Dat. Lugduni III nonas ianuarii a. II.

II, 8; *mm. 253×293, ser. et plumb., in plica* H. V. = *BF I, 352 ex hoc Arch.; Eub. 42.*

50. 1246, 26 apr. — *[Quod] debeant vitari apostate et non reptineantur ab aliquo sine licentia prelatorum.*

Archiepiscopis ... et aliis ecclesiarum prelatis. « Fratrum Min. continent instituta ». Dat. Lugduni VI kal. maii a. III.

II, 9; *mm. 255×271, can. et plumb., in plica* P. B. = *Eub. 52; cf. supra nr. 10.*

51. 1244, 5 aug. — *Contra apostatas.*

Generali ministro et aliis fratribus ord. fr. Min. « Devotionis vestre precibus ». Dat. Ianue nonis augusti a. II.

II, 10; *mm. 225×253, ser. et plumb., in plica* Exemplar, *in dorso* Et sunt due carte idem continentes. = *BF I, 349; Eub. 41.*

52. 1246, 13 ian. — *De potestate ministrorum faciendi inquisitores et removendi.*

Generali et prov. ministris ac ceteris fratribus ord. fr. Min. « Odore suavi ordinis vestri ». Dat. Lugduni idibus ianuarii a. III.

II, 11; *mm. 249×275, ser. et plumb., in plica* Ant. - Exemplar. — II, 12, *mm. 265×286, ser. et plumb., in plica* Te. - Sub data nova. = *BF I, 408; Eub. 48.*

53. 1246, 5 feb. — *Super absolutione.*

Ministro provinciali fratrum Min. in Portugalia. « Cum ea que imperio Constantinopolitano a Sede apostolica sunt concessa ». Dat. Lugduni nonis februarii a. III.

II, 13; *mm. 200×223, can. et plumb., in plica* I. Mai. = *BF I, 409 ex hoc Arch.; Eub. 50.*

54. 1246, 25 ian. — *Quod ministri et custodes possint absolvere a vinculo excommunicationis.*

Generali ac provincialibus ministris et custodibus ord. fratrum Min. « Celestis amor patrie ». Dat. Lugduni VIII kal. februarii a. III.

II, 14; *mm. 257×277, ser. et plumb., in plica* Fran. *(?).* — *BF I, 409 ex hoc Arch.; Eub. 49.*

55. 1246, 22 apr. — *Quod nullus recipiatur ad professionem citra annum et nulli liceat apostatas nostros retinere.*

Generali et aliis min. prov. et custodibus ord. fr. Min. « Cum secundum consilium sapientis ». Dat. Lugduni X kal. maii a. III.

II, 15; *mm. 284×299, ser. et plumb., in plica* I. V. = *BF I, 411 ex hoc Arch.; Eub. 51.*

56. 1246, 11 maii. — *Ut abbatissam et moniales S. Euphemie non permittant aliquatenus molestari.*

Consilio et populo castri Medine de Campo Salamantin. dioc. «Sub religionis habitu vacantibus». Dat. Lugduni v idus maii a. III.

II, 16; *mm. 215×249, can. et plumb., in plica* P. I. = *Deest ap. BF et Eub.* (1). *Cf. Appendicem.*

57. 1245, 17 iul. — *Quod fratres non teneantur in monasteriis monialium residere.*

Generali ministro et fratribus ord. Min. «Paci et tranquillitati vestre». Dat. Lugduni XVI kal. augusti a. III.

II, 17; *mm. 254×280, ser. et plumb., in plica* Fra. - I. V. = *BF I, 367; Eub. 43* (2).

58. 1245, 16 aug. — *Quod Ministri possint dare licentiam apostatis ad alios ordines transeundi.*

Generali et prov. ministris de ord. fratr. Min. «Paci et tranquillitati vestre». Dat. Lugduni XVII kal. sept. a. III.

II, 18; *mm. 214×244, ser. et plumb., in plica* Ia. Nar. — II, 19; *mm. 195×243, ser. et plumb., in plica* Ia. Nar. — II, 20; *mm. 225×255, ser. et plumb., in plica* Ia. Nar. = *BF I, 371; desunt ap. Eub.*

59. 1245, 24 sept. — *Quod prelati non possint accipere fratres ad morandum secum nec mittere aliqua de causa nisi licentia ministrorum.*

Generali et universis ministris prov. ord. fr. Min. «Vobis per apostolice Sedis provenire debet auxilium». Dat. Lugduni VIII kal. octobris a. III.

II, 21; *mm. 228×258, ser. et plumb., in plica* I. V. — II, 22; *mm. 245×262, ser. et plumb., in plica* Ted. = *Cf. BF I, 383; Eub. 44.*

60. 1245, 16 oct. — *De visitatione et correctione et reformatione Dominarum.*

Generali et universis prov. min. ord. fratr. Min. «Paci et saluti dilectarum in Christo filiarum». Dat. Lugduni XVII kal. novembris a. III.

II, 23; *mm. 242×260, càn. et plumb., in plica* V. P. = *BF I, 387; Eub. 45.*

61. 1245, 30 oct. — *Quod fratres [in locis] in quibus degunt possint habere oratoria et missarum sollemnia cum altari portatili ac alia divina officia celebrare.*

Fratribus Minoribus. «Nos attendentes». Dat. Lugduni III kal. novembris a. III.

II, 24; *mm. 248×291, ser. et plumb., in plica* Fra. - Ia. Nar. = *BF I, 392; Eub. 46.*

---

(1) Bulla ap. Eub. sub. n. 53, eiusdem diei et initii, sed a nostra diversa, in Archivo non exstat.

(2) Sed una tantum, non tres, adest in Archivo. Confusio intercidit cum Bulla iisdem verbis incipiente, quam sub sequenti n. 58 referimus.

62. 1246, 12 iul. — *Quomodo domine monasteriorum S. Clare sunt sub correptione Fratrum et gaudent eorum [privilegiis].*

Generali et prov. min. ord. fr. Min. « Licet olim quibusdam vestrum ». Dat. Lugduni IV idus iulii a. IV.

II, 25; *mm. 218×285, sine chord. et sine plumb. = BF I, 420; Eub. 54.*

63. 1246, 23 aug. — *Quod ministri et custodes possint absolvere fratres excommunicatos sententia lata contra Fredericum et dispensare cum eis.*

Ministris et custodibus fratrum Minorum per imperium, Ytaliam et regnum Sicilie constitutis. « Ex parte dilectorum filiorum fratrum Minorum dicti imperii ». Dat. Lugduni X kal. septembris a. IV.

II, 26; *mm. 208×235, can. et plumb., in plica* Ted. = *BF I, 423 ex hoc Arch.; Eub. 55.*

64. 1246, 9 sept. — *Contra apostatas.*

Generali et universis prov. ministris ac custodibus ord. fr. Min. « Iustis petentium desideriis ». Dat. Lugduni V idus septembris a. IV.

II, 27; *mm. 233×286, ser. et plumb., in plica* Ted., *in margine superiori* R. Iac. - i. renoventur. = *BF I, 423; Eub. 56.*

65. 1247, 13 aug. — *Pro fratribus stantibus cum prelatis.*

Generali et prov. min. ac fratribus ord. fr. Min. « Petitionibus vestris ». Dat. Lugduni idibus augusti a. V.

II, 28; *mm. 256×267, ser. et plumb., in margine superiori,* R. Iac. - i. renoventur. = *BF I, 485; Eub. 58.*

66. 1250, 6 mart. — *Quod fratres ubique cum altari portatili possint celebrare.*

Generali et prov. min. ac aliis fratribus ord. fr. Min. « Postulastis a nobis ». Dat. Lugduni II nonas martii a. VII.

II, 29; *mm. 261×250, ser. et plumb., in plica* I. V. - Exemplar. = *BF I, 537; Eub. 65.*

67. 1244, 5 aug. — *Quod possint capi, ligari et incarcerari apostate ordinis ubicumque inveniantur et [sub] quocumque habitu.*

Generali ministro et aliis fratribus ord. fratr. Min. « Devotionis vestre ». Dat. Ianue nonis augusti a. II.

II, 30; *mm. 235×224, ser. et plumb., in plica* B. C. = *BF I, 349; Eub. 41; cf. supra n. 51.*

68. 1249, 20 apr. — *Quod non possint recipi Predicatores iuramento vel voto obligatos.*

Generali ministro et fratribus ord. fratrum Min. « Quo vos in Christo sinceriori charitate diligimus ». Dat. Laterani (*sic*) XII kal. maii a. VI (*sic*).

II, 31; *mm. 287×311, ser. et plumb., in plica* P. B. = *Eub. 61; cf. supra n. 42.*

69. 1248, 23 iul. — *Pro loco romano.*

(Rainaldo) Ostiensi et Velletrensi episcopo ac S(tephano) tit. S. Marie trans Tiberim presbytero, R(ichardo) S. Angeli diacono, cardinalibus. « Quanto dilecti filii ». Dat. Lugduni X kal. augusti a. VI.

II, 32; *mm. 254×264, can. et plumb., in plica* I. V. = *BF I, 521 ex hoc Arch.; Eub. 59.*

70. 1248, 1 dec. — *De libertate servientium fratrum; tamen ad tempus.*

Generali ministro et fratribus ord. fr. Min. « Ut in vestris domibus ». Dat. Lugduni kal. decembris a. VI.

II, 33; *mm. 222×248, ser. et plumb., in plica* I. V. = *BF I, 523; Eub. 60.*

71. 1250, 22 feb. — *Quod de fructibus orti et de virgultis non teneantur decimas exibere.*

Generali et provincialibus ministris ac aliis fratribus ord. fr. Min. « Qui Deum tota mente diligitis ». Dat. Lugduni VIII kal. martii a. VII.

II, 34; *mm. 264×282, ser. et plumb., in plica* I. V. - Exemplar, *in margine superiori* Dentur alique. = *BF I, 536; Eub. 63.*

72. 1250, 5 mart. — *Quod fratres tempore interdicti possint legere offitium ianuis clausis.*

Generali et prov. min. et aliis fratr. ord. fr. Min. « Precibus vestris benignum impertientes assensum ». Dat. Lugduni III non. martii a. VII.

II, 35; *mm. 227×218, ser. et plumb., in plica* I. V. = *BF I, 537 etiam ex hoc Arch.; Eub. 64.*

Vol. III.

73. 1250, 6 mart. — *Quod non possint cogi fratres ad recipiendum commissiones causarum vel curam monialium vel ad sententiam excommunicationis promulgandam.*

Generali et provincialibus ministris ac aliis fratribus ord. fr. Min. « Inspirationis divine gratia ». Dat. Lugduni II nonas martii a. VII.

III, 1; *mm. 247×292, ser. et plumb., in plica nonnullae additiones originales.* — III, 2; *mm. 276×323, ser. et plumb., in plica* I. V. - Exemplar. = *BF I, 538; Eub. 66.*

74. 1250, 5 mart. — *Quod tempore interdicti possint fratres legere officium clausis ianuis.*

Generali et provincialibus min. et aliis fratribus ord. fr. Min. « Precibus vestris ». Dat. Lugduni III nonas martii a. VII.

III, 3; *mm. 252×243, sine chord. et sine plumb., in plica* I. V. - Exemplar, *in marg. sup.* Fiant due. = *Cf. supra n. 72; Eub. 64.*

75. 1247, 7 iun. — *Confirmat collationem cuiusdam loci.*

Guardiano et fratribus Minoribus de Vriburch Constantien. diocesis. « Iustis petentium desideriis ». Dat. Lugduni VII idus iunii a. IV.

III, 4; *mm. 204×239, ser. et plumb., in plica* I. V. *et additiones orig., in dorso* Fr. Bondinus procurator ordinis, ipse Peregrinus procurator d. Gebehardi *(?)* capellani d. Pape et plebanus eiusdem ecclesie. = *BF I, 462 ex hoc Arch.; Eub. 57.*

76. 1249, 1 oct. — *Contra apostatas.*

Generali ministro et fratribus ord. fr. Min. « Cum paupertatem et vitam profiteamini regularem ». Dat. Lugduni kal. octobris a. VII.

III, 5; *mm. 224×238, ser. et plumb., in plica* I. V. - Exemplar. = *BF I, 531; Eub. 62.*

77. 1250, 8 aug. — *Privilegium generale pro unione cum Grecis.*

Archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis nobilibus viris ... magno interpreti et ... Kalothito Legatis Grecorum ad Sedem apostolicam accedentibus. « Dilatatum est cor nostrum in Deo ». Dat. Lugduni VI idus augusti a. VIII.

III, 6; *mm. 363×408, ser. et plumb., in plica* Iac. p. = *Ed. Sabatier ap. Revue historique, LXXXIX, Paris 1905, p. 315; Eub. 67. Cf. Appendicem.*

78. 1252, 13 febr. — *Indulgentia unius anni et xl dierum in festo S. Francisci per xv dies sequentes.*

Ministro et fratribus S. Francisci Asinat. ord. fr. Min. « Licet is de cuius munere venit ». Dat. Perusii idibus februarii a. IX.

III, 7; *mm. 285×339, ser. et plumb. = BF I, 594 ex hoc Arch.; Eub. 70.*

79. 1252, 22 apr. — *[Quod fratres non possint] recipere dignitatem episcopalem sine licentia ministrorum.*

Ministro generali ord. fr. Min. « Petitio tua nobis exhibita continebat ». Dat. Perusii X kal. maii a. IX.

III, 8; *mm. 294×345, ser. et plumb., in plica* V. p. - Exemplar. = *BF I, 605; Eub. 71.*

80. 1252, 17 maii. — *Pro loco Rosquildensi.*

Christi fidelibus. « Quoniam, ut ait Apostolus ». Dat. Perusii XVI kal. iunii a. IX.

III, 9; *mm. 278×306, ser. et plumb., in plica* I. Ass. - Exemplar, *in margine sup.* Fiant R. L. A. = *BF I, 609 ex hoc Arch.; Eub. 72.*

81. 1252, 17 maii. — *Indulgentia de quarta non danda.*

Generali et provincialibus min. et aliis fratr. de ord. fr. Min. « Pacem vestram ». Dat. Perusii XVI kal. iunii a. IX.

III, 10; *mm. 249×301, ser. et plumb., in plica* Th. S. = *BF I, 669 sub diversis datis; Eub. 73.*

82. 1251, 27 dec. — *Quod non possint fratres conveniri.*

Generali et provincialibus ministris ac aliis fratribus ord. fr. Min. « Cum olim duxerimus statuendum ». Dat. Perusii VI kal. ianuarii a. IX.

III, 11; *mm. 286×312, ser. et plumb., in plica* Exemplar, *in margine sup.* R. Iac. - i. renoventur. Fiant alie due. = *BF I, 590; Eub. 68.*

83. 1253, 11 iun. — *Indulgentia unius anni et xl dierum in festo S. Francisci per viii dies.*

Christi fidelibus. « Si populus Israeliticus ». Dat. Asisii III idus iunii a. X.

III, 12; *mm. 349×415, ser. et plumb., in plica* Vb. p. = *BF I, 662 ex hoc Arch.; Eub. 76.*

84. 1253, 24 iun. — *Quod fratres non possint cogi ad curam Dominarum exibendam sive capiendam.*

Generali ministro et universis fratribus ord. Min. « Petitio vestra nobis exhibita continebat ». Dat. Asisii VIII kal. iulii a. X.

III, 13; *mm. 318×337, ser. et plumb., in marg.* Dentur tres. = *BF I, 619, sub* VIII id. iul.; *Eub. 77.*

85. 1252, 21 aug. — *Quod fratres possint habere libere cimiteria.*

Generali et provincialibus min. ac aliis fr. ord. fr. Min. « Cum tamquam veri ». Dat. Perusii XII kal. septemb. a. X.

III, 14; *mm. 247×263, ser. et plumb., in plica* I. F., *in marg.* Dentur alique. = *BF I, 622; Eub. 74.*

86. 1252, 20 nov. — *Fratrum Min. de Nivernen.*

Christi fidelibus. « Quoniam, ut ait Apostolus ». Dat. Perusii XII kal. decembris a. X.

III, 15; *mm. 274×337, ser. sine plumb., in plica* Fiant due - R. Iac. A. - Exemplar. = *BF I, 639 ex hoc Arch.; Eub. 75.*

87. 1254, 8 febr. — *Indulgentia pro male ablatis.*

Guardiano et fratribus ord. fr. Min. S. Francisci Asisinatis. « Vestre meritis religionis ». Dat. Laterani VI idus februarii a. XI.

III, 16; *mm. 240×305, ser. et plumb., in plica additiones orig. = BF I, 701 ex hoc Arch.; Eub. 80, sed sub diversa directione, idest ut ap. BF I, 702.*

88. 1254, 18 mart. — *Munus S. Inquisitionis fratribus Minoribus demandatum.*

Ministro, custodibus, guardianis conventualibus vel eorum vicariis aministrationis S. Francisci « Quia tunc potissime acceptabile ». Dat. Laterani XV kal. aprilis a. XI.

III, 17; *mm. 378×566, ser. et plumb., in plica* G. B. = *Cf. BF I, 717, sub diversis dato et directione; Eub. 81.*

89. 1253, 11 iun. — *Indulgentia duorum annorum et octoginta dierum in festo consecrationis per xv dies.*

Christi fidelibus. « Si populus Israeliticus ». Dat. Asisii III id. iun. a. X.

III, 18; *mm. 336×520, ser. et plumb., in plica* F. = *Cf. supra n. 83.*

90. 1253, 10 iul. — *De indulgentia pecunie altaris.*

Fr. Philippo de Campello ord. Min. magistro et preposito operis ecclesie S. Francisci Asisinat. « Decet et expedit ». Dat. Asisii VI idus iulii a. XI.

III, 19; *mm. 400×445, ser. et plumb., in plica* Ia. Nar. = *BF I, 666 ex hoc Arch.; Eub. 78.*

91. 1253, 16 iul. — *Quod bona et res date et donate ecclesie non possint alienari per fratres.*

Fratribus Minoribus ecclesie B. Francisci de Asisio. « Dignum extimamus et congruum quod loca sacra ». Dat. Asisii XVII kal. augusti a. XI.

III, 20; *mm. 411×454, ser. et plumb., in plica* Ia. Nar. — III, 21; *mm. 415×460, ser. et plumb., in plica* Ia. Nar. = *BF V, 666; Eub. 79.*

92. 1252, 12 febr. — *Indulgentia pro loco Biterrens.*

Christi fidelibus. « Quoniam, ut ait Apostolus ». Dat. Perusii II idus februarii a. IX.

III, 22; *mm. 270×280, ser. et plumb., in plica* Exemplar - Be. Ia. - la. m. Fiant alie. = *BF I, 595 ex hoc Arch.; Eub. 69.*

93. 1254, 7 aug. — *Indulgentia duorum annorum et octoginta dierum pro festo consecrationis per spatium xx^ti duorum dierum.*

Ministro et fratribus S. Francisci Asisinat. de ord. fratrum Min. « Consecrationes altarium ». Dat. Anagnie VII idus augusti a. XII.

III, 23; *mm. 224×288, ser. et plumb. = BF I, 759 ex hoc Arch.; Eub. 82.*

94. 1252, 12 iun. — *Quod possint recipere et retinere omnia et singula sibi relicta et frui aliis ecclesiasticis immunitatibus.*

Abbatisse monasterii S. Marie Vallis Flogii eiusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuam memoriam. « Religiosam vitam eligentibus ». Dat. Perusii per manum Guillelmi magistri scolarum Parm. S. rom. Eccl. vicecancellarii II idus iunii, indict. X, incarnat. D. anno MCCLII, pont. vero d. Innocentii pp. IV a. IX.

III, 24; *mm. 710×590, sine chord. et sine plumb. = BF I, 614 ex hoc Arch.; ap. Eub. deest.*

Alexandri IV.

95. 1255, 19 mart. — *De quadam helemosina restituenda conventui S. Francisci [de Assisio].*

Comitisse de Ardech et filiis suis Patavien. dioc. « Ad illa potissime debetis prompti esse ». Dat. Neapoli XIV kal. aprilis a. I.

III, 25; *mm. 235×310, can. et plumb., in plica* Pro Minoribus S. Francisci Asisinat. - A. S. *= BF II, 26 ex hoc Arch.; Eub. 83.*

96. 1255, 13 maii. — *Quod non possint cogi fratres ad audiendum confessiones vel faciendas visitationes in monasteriis monialium.*

Generali et provincialibus min. ord. fr. Min. « Quanto studiosius divine contemplationi vacatis ». Dat. Neapoli III idus maii a. I.

III, 26; *mm. 267×278, ser. et plumb., in plica additiones orig.* - A. de It. *= BF II, 47 ex hoc Arch.; Eub. 84.*

97. 1255, 10 iul. — *De Stigmatibus.*

Christi fidelibus. « Grande ac singulare miraculum ». Dat. Anagnie VI idus iulii a. I.

III, 27; *mm. 279×302, can. et plumb., in marg. sup.* Fiant quatuor cum serico. *= BF II, 169, sine nota diei et mensis sub* a. III; *Ep. 792a ex hoc Arch.; Eub. 86.*

98. 1255, 24 sept. — *De quodam deposito.*

Guardiano S. Francisci vel eius vicario. « Cum felicis recordationis Innocentius ». Dat. Anagnie VIII kal. octobris a. I.

III, 28; *mm. 124×157, can. et plumb. = BF II, 76 ex hoc Arch.; Eub. 88.*

99. 1255, 1 aug. — *De predicatione crucis.*

Ministris et fratribus ord. Min. per Italiam constitutis. « Cum felicis recordationis Innocentius ». Dat. Anagnie kal. augusti a. I.

III, 29; *mm. 203×226, can. et plumb., in plica* Fiant sex. - I. s. d. *= BF II, 63; Eub. 87.*

100. 1258, 26 sept. — *Quod inquisitores vel eorum officiales non possint excommunicari vel interdici ab aliquo legato vel delegato.*

Fratribus ord. fr. Min. inquisitoribus heretice pravitatis in amministratione S. Francisci presentibus et futuris. « Ne inquisitionis negotium ». Dat. Viterbii VI kal. octobris a. IV.

III, 30; *mm. 275×290, ser. et plumb., in plica* Mauf. = *BF II, 360, sed* Dat. Anagniae idibus sept. a. V; *deest ap. Eubel.*

101. 1255, 19 oct. — *Attestatio d. pp. Alexandri de Stigmatibus S. Francisci.*

Archiepiscopis ... et aliis ecclesiarum prelatis. « Benigna divine operatio voluntatis ». Dat. Anagnie XIV kal. novembris a. I.

III, 31; *mm. 437×594, ser. et plumb.* = *BF II, 85, sed* IV kal. nov. *etsi ex hoc quoque Arch.; Ep. 822; Eub. 89.*

102. 1255, 13 dec. — *De quarta non danda ecclesiarum prelatis.*

Episcopis ... et aliis ecclesiarum prelatis per ducatum Spoletanum et patrimonium B. Petri in Tuscia constitutis. « De pia et sancta conversatione ». Dat. Laterani idibus decembris a. I.

III, 32; *mm. 271×310, can. sine plumb., in plica* Ferch. = *Cf. BF II, 88, 98; Ep. 828; Eub. 91, sed nostra directio sub hoc dato omnino nova.*

103. 1255, 12 dec. — *Revocatio seu suspensio constitutionis d. Innocentii quarti edite contra religiosos.*

Spoletano et Asisinat. episcopis. « Quedam ab apostolica Sede ». Dat. Laterani II idus decembris a. I.

III, 33; *mm. 375×418, can. sine plumb., in plica* Hug. G. = *BF II, 74 sub* II id. sept., *cf. p. 96; Eub. 90, sed cum diversa directione.*

104. 1256, 26 ian. — *Indulgentia pro festo S. Stanislai martyris in ecclesia S. Francisci.*

Christi fidelibus. « Ad veneranda sanctorum merita gloriosa ». Dat. Laterani VII kal. februarii a. II.

III, 34; *mm. 266×358, ser. et plumb.* = *BF II, 111 ex hoc Arch.; Eub. 92.*

Vol. IV.

105. 1257, 20 febr. — *Exemplar declarationis Alexandri iv super Regulam.*

Generali et provinc. ministris ac custodibus ceterisque fratribus ord. fr. Min. « Ordinem vestrum illo prosequentes affectu ». Dat. Laterani X kal. martii a. III.

IV, 1; *exemplum mm. 565×374, cum vitta et sigillo d. episcopi Assisii ex cera.* Transumptum auctoritate fr. Symonis episcop. Asisinat. sub a. D. 1282, ind. X, tempore d. Martini pp. IV, die XV intr. mense aprilis, pp. d. Bernardo d. Somei iudice ordinario, fr. Riccardo de Cortona, fr. Adam gallico, Andrea Çarafi, d. Bartholo Benvenuti et aliis. Thomas Riccardi de Asisio notarius. = *BF II, 196; Eub. 99.*

106. 1258, 22 nov. — *Facultates inquisitoribus concesse.*

Fratrib. ord. Min. inquisitoribus heretice pravitatis in amministratione S. Francisci presentibus et futuris « Exortis in agro fidei christiane ». Dat. Anagnie x kal. decembris ann. IV.

IV, 2; *mm.* *359×411, ser. et plumb., in plica* A. de Curia. = *Eub. 114, cum diversa directione; cf. BF II, 123.*

107. 1256, 11 iul. — *Quod non possint cogi fratres ad citationes faciendas nec causarum executiones.*

Generali ministro et fratribus ord. fr. Min. « Cum non deceat vos implicari ». Dat. Anagnie v idus iulii anno II.

IV, 3; *mm. 285×339, ser. et plumb., in plica* Io. Sub. = *BF II, 146 ex hoc Arch.; Eub. 94.*

108. 1256, 22 iul. — *Quod ministri possint absolvere fratres ab excommunicatione et cum indigentibus dispensare. Idem possit confessor.*

Generali et prov. ministris ord. fr. Min. « Ordinis vestri generosa plantatio ». Dat. Anagnie XI kal. augusti an. II.

IV, 4; *mm. 250×296, ser. et plumb., in plica* Pro Deo. = *BF II, 148; Eub. 95.*

109. 1256, 23 aug. — *Quod ministri possunt absolvere fratres ab excommunicatione et dispensare cum indigentibus.*

Generali et universis ministris prov. ac custodibus ord. fr. Min. « Licet ad hoc fratrum vestri ordinis ». Dat. Anagnie x kal. sept. an. II.

IV, 5; *mm. 279×308, ser. et plumb., in plica* Der. f. = *Eub. 96; cf. BF II, 51.*

110. 1257, 5 ian. — *Quod ministri possint concedere fratribus predicationem in capitulis.*

Ministris provincialibus ord. fr. Min. « Prohibente regula vestra ». Datum Laterani nonis ianuarii anno III.

IV, 6; *mm. 273×323, ser. et plumb., in plica* Hugo V. = *Eub. 97; cf. BF II, 187.*

111. 1257, 20 ian. — *Quod ministri in capitulo prov. cum diffinitoribus possint concedere predicationem.*

Ministris provincialibus ord. fr. Min. « Prohibente regula vestra ». Dat. Laterani XIII kal. februarii a. III.

IV, 7; *mm. 265×324, ser. et plumb., in plica* Hugo V. - Unam similem pro conventu fr. Min. de Viterbio. = *Cf. supra n. 110.*

112. 1257, 5 febr. — *Quod non recipiantur apostate et dimittantur recepti. Pena istorum est excommunicatio.*

Prioribus et fratribus heremitis ord. S. Augustini ac S. Wuillelmi. « Vestram et ordinem vestrorum condecet honestatem ». Dat. Laterani nonis februarii anno III.

IV, 8; *mm. 262×345, sine chord. et sine plumb., in plica* Fiant quatuor, *in dorso* Paulus de Suesia, Paulus de S. Angelo rubfacanina, Raynerius de Senis. = *BF II, 193; Eub. 98.*

113. 1259, 15 sept. — *Auctoritas ministrorum ad instituendum inquisitores.*

Ministro provinciali ord. fr. Min. in provincia S. Francisci. « Licet ex omnibus mundi partibus ». Dat. Anagnie XVII kal. octobris a. V.

IV, 9; *mm. 233×312, can. et plumb., in plica* And. S. = *BF II, 361 ex hoc Arch.; Eub. 120.*

114. 1257, 30 mart. — *Quod fratres sint in statu salvandorum et quod licentiati a d. Papa vel legatis vel archiepiscopis possint predicare et confessiones audire, irrequisito consilio minorum prelatorum.*

Patriarchis, archiep. et episcopis. « Non sine multa cordis amaritudine ». Dat. Laterani III kal. aprilis a. III.

IV, 10; *exemplum non auth.: mm. 600×340 = BF II, 209; Eub. 100.*

115. 1265, 11 oct. — *De indulgentia centum dierum concessa visitatoribus locorum et ecclesiarum fratrum.*

Clemens IV Generali et provincialibus ministris et universis fratribus ord. Min. « Loca sanctorum ». Dat. Perusii V id. oct. a. I.

IV, 10; *exemplum non auth. cum praecedenti in eadem charta transcriptum. = BF III, 44; Eub. 161.*

116. 1257, 16 oct. — *Pro incertis relictis.*

Generali et aliis provincialibus ministris ac fratribus ord. Min. « Felicis recordationis Innocentius papa ». Dat. Viterbii XVII kal. novembris a. III.

IV, 11; *exemplum auth.: mm. 382×580, sine c. et sigillo.* Mag. Bernardus Iohannini canonicus Agathensis causarum camere d. Pape generalis auditor transcribi fecit et sigilli camere d. Pape ad causas appensione muniri. Dat. Perusii XII kal. madii a. D. 1285, indict. XIII, tempore d. Honorii IV, a. I. Bernardus de Lanzela clericus Agennensis notarius. = *BF II, 250; Eub. 101.*

117. 1257, 21 oct. — *Bulla directa fr. Bonaventurae Ministro Generali ord. Minor., qui nunc est sanctus et doctor S. Romanae Ecclesiae nuncupatus, cui inter alias hanc concedit facultatem, quod possit absolvere suos fratres ab excommunicationum sententiis et dispensare super eorum irregularitatibus, quam sui poenitentiarii habere auctoritatem noscuntur. Et quod nullum indultum faveat fratribus exeundi ab ordine.*

Fr. Bonaventure generali ministro ord. fr. Min. « Ut ministerium tibi commissum ». Dat. Viterbii XII kal. novembris a. III.

IV, 12; *mm. 392×446, can. et plumb., in plica* Ia. Nar. - *Pergam. est sub custodia veli serici argento ornati, in tabella forsan iam ad venerationem expositum. = BF II, 253 ex hoc quoque Arch.; Eub. 102.*

118. 1258, 6 maii. — *Facultas absolvendi vota illorum qui veniunt causa devotionis ad ecclesiam S. Francisci de Assisio.*

Custodi fratrum de ordine Min. ecclesie S. Francisci Asisinat. « Pro reverentia B. Francisci ». Dat. Viterbii II nonas maii a. IV.

IV, 13; *mm. 242×305, can. et plumb., in plica* G. m. = *BF II, 288 ex hoc Arch.; Eub. 103.*

119. 1258, 15 maii. — *De indulgentia quarte.*

Generali ac prov. min. et universis fratribus ord. Min. « Pium est et consonum equitati ». Dat. Viterbii idibus maii a. IV.

IV, 14; *mm. 246×297, ser. et plumb., in plica* spi. = *Eub. 104; cf. BF II, 318.*

120. 1255, 26 iun. — *Quod servientes et procuratores fratrum non possint excommunicari.*

Generali ministro et fratribus de ord. Min. « Ut in vestris domibus vobis servientes ». Dat. Anagnie VI kal. iulii a. I.

IV, 15; *mm. 271×295, ser. et plumb., in plica* Hug. V. = *BF II, 52 sub* V kal.; *Eub. 85; cf. supra n. 70.*

121. 1258, 2 aug. — *Mare magnum.*

Generali et prov. ministris ac universis fratribus ord. fr. Min. « Virtute conspicuos sacri vestri ordinis professores ». Dat. Viterbii IV nonas augusti a. IV.

IV, 16; *mm. 600×691, ser. et plumb. = BF II, 298; Eub. 105.*

122. 1258, 27 sept. — *Declarat nonnulla dubia.*

Fratribus ord. Min. inquisitoribus heretice pravitatis in urbe et amministratione ipsius presentibus et futuris. « Quod super nonnullis questionum articulis ». Dat. Viterbii V kal. octobris a. IV.

IV, 17; *mm. 541×635, can. sine plumb., in plica* Ber. furcon. de Curia - C. l. i. de Curia, *in marg. sup.* Renovetur pro provincia S. Francisci. = *BF II, 308 ex hoc Arch.; Eub. 106.*

123. 1258, 27 sept. — *Mandatur inquisitoribus quod in capitularibus civitatum et locorum scribi faciant leges per imperatorem Fredericum contra hereticos promulgatas, rectores per censuram ecclesiasticam compescendo.*

Fratribus ord. Min. inquisitoribus heretice pravitatis in partibus Italie. « Cum adversus hereticam pravitatem ». Dat. Viterbii V kal. octobris a. IV.

IV, 18; *mm. 246×298, can. et plumb., in plica* Alix. — IV, 19; *mm. 309×308, can. et plumb., in plica* pl. R. = *BF II, 309; Eub. 107.*

124. 1258, 12 nov. — *Excommunicationes hereticorum.*

Christi fidelibus. « Noverit universitas vestra ». Dat. Anagnie II idus novembris a. IV.

IV, 20; *mm. 369×452, can. et plumb. = BF II, 393 sub* VII kal. maii a. VI; *Eub. 110.*

125. 1258, 13 nov. — *Quod teneantur prelati et conventus restituere fratres, quos receperunt, et in posterum non recipiant.*

Abbatibus, prioribus, prepositis et conventibus monasteriorum S. Benedicti, S. Augustini, Premonstraten., Camald. et Vallis umbrose ordinum. « Vestram et vestrorum ordinum condecet honestatem ». Dat. Anagnie idibus novembris anno IV.

IV, 21; *mm. 278×310, ser. et plumb., in plica* A. S. = *BF II, 414 sub dat.* Laterani II nonas febr. a. VII; *Eub. 111.*

126. 1258, 22 nov. — *De declaratione constitutionum.*

Fratribus ordinis Min. inquisitoribus heretice pravitatis in administratione S. Francisci tam presentibus quam futuris. « Ut commissum vobis inquisitionis officium ». Dat. Anagnie x kal. decembris a. IV.

IV, 22; *255×301, can. et plumb., in plica* A. de Warcin *(?). = BF II, 314 ex hoc Arch.; Eub. 113.*

127. 1256, 17 iun. — *Quod cogantur heremite per prelatos cucullas portare nigras.*

Episcopis per ducatum Spoletanum constitutis. « Recordamur liquido et memoriter retinemus ». Dat. Anagnie xv kal. iulii a. II.

IV, 23; *325×370, can. et plumb., in plica* Hugo V. = *BF II, 138 sub* VIII kal.; *Eub. 93.*

128. 1258, nov. 17. — *Leges imperiales contra hereticos sancitas comprobat.*

Potestatibus, consiliis et communitatibus civitatum aliorumque locorum Italie. « Cum adversus hereticam pravitatem ». Dat. Anagnie xv kal. decembris a. IV.

IV, 24; *542×653, can. et plumb., in plica* G. Saon. de Curia. = *BF II, 313; Eub. 112.*

129. 1259, 17 mart. — *Pro interdicto Spoletano et de cruce predicanda.*

Caesari presb. card. Brancadoro archiep. Firmano et Ioanni diac. card. Castillioni episc. Auximano et Cingolano, nec non provinciarum nostrae ditionis Gallorum armis occupatarum archiepiscopis et episcopis a quibus deputati Antonius M.[a] archiep. episc. Aesinus et Alphonsus episc. Calliensis ad nos Romam accesserunt. « Noi non potevamo ». Dat. Romae ap. S. Mariam maiorem die 30 aug. 1808, an. IX.

XV, 53; *ex. chart. non auth. ms. saec. XIX, ff. 14, mm. 270×194; f. 1-4r, Breve; ff. 4r-7r,* Istruzione ai Vescovi *de eadem re dat.* die 22 maggio 1808 *subscripta* P. card. Gabrielli; *ff. 7v-11v* Ed ecco in breve tutti esposti i passi del raziocinio teologico. « 1. Il Papa ha proibito »; *quae tamen in fine scripti sequentis ponenda indicantur. f. 11v-14v* Raziocinio teologico sopra il giuramento che esigge il governo francese dai sudditi del Papa, fatto dai Teologi di Roma « Il Papa proibisce ». = *Cf. Append.*

561. 1820, 5 sept. — *Si dichiara l'autenticità del corpo di S. Francesco.*

A perpetua memoria del fatto. « Dalla providenza divina » [*latine* « Assisiensem Basilicam »]. Dato in Roma presso S. Maria Maggiore sotto l'anello del Pescatore il giorno 5 sett. 1820, l'an. XXI.

XV, 54a; *ex. chart. typ. ed., pp. 12, mm. 152×104; p. 1 titulus* Breve... tradotto in occasione del triduo solenne che si fa dal detto Ordine i giorni 15, 16, 17 settembre in SS. Apostoli. - Roma ed in Asisi, dalla stamperia Sgariglia *s. a.* [1820]; *p. 2 vacua; p. 3-12 Breve.* — XV, 54b; *ex. ut supra, pp. 10, mm. 200×133; p. 1 titulus* Breve... in occasione *etc. ut supra.* - Roma ed in Perugia 1820, nella stamperia Camerale; *p. 2 vacua; pp. 3-10 Breve. = Bull. Rom., ed. cit., VII, 2051.*

Gregorii XVI.

562. 1832, 21 iunii. — * *Contra rebelles Anconitanos.*

Ad perpetuam rei memoriam. « Quod de reipublicae ». Dat. Romae ap. S. Petrum sub annulo Pisc. die 21 iunii 1832, an. II.

XV, 55; *ex. chart. typ. ed., mm. 590×465, duabus columnis, ad calcem* Anno a nat. 1832, die 1 iunii, praesentes litterae affixae *etc.* per me Aloysium Pitorri apost. curs. Ioseph Cherubini mag. curs. - Romae 1832, ex typogr. rev. Cam. apost. = *Bull. Rom., ed. Roman. 1835 ss., XIX, 117.*

563. 1832, 2 dec. — *Indicitur Iubilaeum universale ad implorandum divinum auxilium.*

Christi fidelibus. « Plura post susceptam ». Dat. Romae sub annulo Piscatoris die 2 decembris 1832, an. II.

XV, 56; *ex. chart. typ. ed., mm. 610×465, duabus columnis.* Romae 1832, ex typogr. rev. Cam. apost. = *Bull. Rom., ed. Rom., cit. XIX, 154.*

E VOLUMINIBUS INSTRUMENTORUM.

Gregorii IX.

564. 1230, 22 apr. — *Quod ecclesia S. Francisci nulli nisi romano Pontifici sit subiecta.*

Ministro ordinis fr. Min. eiusque fratribus morantibus apud ecclesiam b. Francisci in loco qui dicitur Collis Paradisi tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. « Is qui Ecclesiam suam ». Datum Laterani per manum Martini sancte romane Ecclesie vicecancellarii x kal. maii, ind. II, incarn. D. anno MCCXXX, pont. d. Gregorii pape VIIII, an. IV.

Instr. saec. XIII-XVI, 12 dic. 1374; *ex. exempli chart. auth. ms.; cf. infra sub nr. 569, f. 22r-24r. = Cf. Append. sub nr. 11.*

Urbani IV.

565. 1262, 18 aug. — *Quod aliquos de suis fratribus reponi faciat in monasteriis [S. Clare] et quod aliqui vere probi de ordine predictum ordinem visitent.*

I(ohanni) S. Nicolay in Carcere Tulliano diacono cardinali et (fr. Bonaventure) ministro generali ord. fr. Min. « Inter personas ». Dat. apud Montemflasconem XIV kal. septembris, a. I.

Instr. II, 24; *ex. auth. mm. 450×335, sine sigillo pendenti.* Bonicellus [de Perusio] not. — Instr. II, 25; *ex. auth. mm. 440×320.* Iacobus Andree de Spoleto not. = *Cf. supra nr. 177 et Append.*

Clementis IV.

566. 1265, 7 oct. — *Quod nullus de ordinibus mendicantibus sibi possit locum hedificare iuxta limites S. Francisci de Assisio.*

Custodi et conventui fr. Min. ecclesie S. Francisci de Asisio. « Clara merita sanctitatis ». Dat. Perusii nonis octobris, a. I.

Instr. II, 29; *ex. auth. mm. 555×150. Deest nomen not. ob chartam ad calcem praecisam. = Cf. supra nr. 185 et Append.*

Nicolai IV.

567. 1290, 22 nov. —

Generali et provincialibus ministris ac custodibus universis ord. fr. Min. « Religionis favor ». Dat. apud Urbem veterem X kal. dec., an. III.

Instr. III, 26; *ex. exempli auth. mm. 760×135.* Angelus mag. Raynerii not. - Niccola mag. Thome de Assisio not. = *BF, IV, 360; cf. Append.*

Bonifatii VIII.

568. 1295, 11 nov. — *Exemptio bonorum Ordinis.*

Generali et provincialibus ministris ac universis fratribus Ord. fr. Min. « Virtute conspicuos ». Dat. Rome apud S. Petrum III id. nov., ann. I.

Instr. V, 40; *ex. pergam. auth. mm. 350×150.* D. Urbanus d. Petri iudex palatinus Urbis suam et communis Urbis auctoritatem *in-*

terposuit, pp. mag. Egidio Soldanerio, mag. Raynerio Pauli et mag. Petro de Monteflascone, in palatio Capitolii sub ann. D. 1298, ind. IX, die 27 martii. Nicolaus q. Brancafolie de Viterbio not. = *BF IV, 371.*

Benedicti XI.

569. 1304, 17 febr. — *Plura indulta Ord. Min. et Predicatorum.*

Ad perpetuam rei memoriam. « Inter cunctas sollicitudines nostras ». Dat. Laterani XIII kal. martii, an. I.

Instr. saec. XIII-XVI, 10 dic. 1374; *ex. exempli chart. auth. ms., ff. 52, mm. 270×215; f. 1r,* Copia registri in causa Assisii pro parte Minorum; *f. 22r-24r, Bulla sub nr. 564 recensita; f. 43r-48v, Bulla de qua in praesenti nr.; cetera occupat processus in causa quartae portionis acta contra episcopum Assisii, Avinione a die 10 dec. 1374 ad diem 7 maii 1375, coram d. Petro diac. card. S. Eustachii, et in favorem fratrum Min. conv. Assisii decisa.* Reginaldus Bombeleti de S. Ylario clericus Remen. dioc. not. et *eiusdem* cause scriba de originali processu *copiam extraxit. = Cf. supra nr. 248 et Append.*

Ioannis XXII.

570. 1317, 30 dec. — *Contra septam Fraticellorum.*

Ad perpetuam rei memoriam. « Sancta romana atque universalis Ecclesia ». Dat. Avinione III kal. ianuarii, anno II.

Instr. III, 32; *ex. auth. mm. 260×280. = BF V, 134; cf. Append.*

Clementis VI.

571. 1349, 30 nov. — * *Ei super Inquisitores haer. prav. potestatem committit.*

Annibaldo episc. Tusculano apostolice Sedis Legato. « Cum te ad regnum Sicilie ». Dat. Avinione II kal. dec., an. VII.

Instr. X, 42; *ex. auth. mm. 430×545, taeniola sine sigillo pendenti, in plica* Khi. de Alliana. = *Cf. Append.*

Gregorii XI.

572. 1375, 10 ian. — *Quod iudices ordinarii in civitate Assisii infra spacium duorum mensium debeant expedire causas relictorum conventui Assisii.*

Ad perpetuam rei memoriam. « Sedes apostolica pia mater ». Dat. Avinione IV idus ianuarii, anno V.

Instr. XI, 5; *ex. auth. mm. 307×450.* D. Franciscus Manutii de S. Gemino iudex causarum civilium comunis Assisii pro nobili et potenti viro Symone d. Angeli de Ocsis capitaneo com. Assisii *auctoritatem interposuit,* sub an. D. MCCCLXXVIII, ind. I, pp. ser Franceschino mag. Thome et ser Petro d. Ceccholi de Assisio tt. Blasius q. Lippi de Assisio, Benvenutus q. Stephani de Assisio, Niccholaus q. Lutii de Assisio, Christofarus q. d. Iacobi de Assisio *notarii. = BF VI, 547; cf. supra nr. 266.*

Bonifatii IX.

573. 139. .. .. — *Eum Camerae apostolicae collectorem facit.*

Michaeli Petri de Pisis ord. Camaldulen. professori in Perusin., Assisinat., Nucerin., Eugubin., Civ. Castelli, Clusin. nostris nec non Corton. civit. et dioces. ipsarum comitatibus et districtibus fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum collectori. « Ex fideli ». *Deest* Dat.

Instr. IV, 76; *ex. auth. mm. 335×405, cum chord. et sigillo.* Guaspar Donati ser Iacobi de Perusio porte S. Angeli not. = *Cf. Append.*

Gregorii XII.

574. 1407, 30 apr. — *Ut in possessionem prioratus ecclesie S. Marie maioris de Assisio d. Angelum Victorinum inducant.*

Episcopo Esin. et Lodovico clerico Interamnen. ac Abbati mon. S. Antimi Valistarsie Clusin. dioc. « Litterarum scientia ». Dat. Rome apud S. Petrum II kal. maii, an. I.

Instr. IX, 8; *ex. auth. mm. 565×450, cum chord. sine sigillo.* Ludovicus Interamnen. electus, sacri palatii apost. causarum auditor, *praemisso quod* nemini in dicto prioratu fuit specialiter ius quesitum et maxime Zacharie Angeli de Assisio quem in dicto prioratu variis causis intrusum extitisse *invenerat,* predictum prioratum eidem d. Angelo *contulit,* episcopo Assisinat. eiusque vicario nec non capitulo, canonicis *etc. mandans* ut eum infra sex dies in corporalem dicti prioratus possessionem *admitterent, committens* d. Iohanni Maxii canonico maioris ecclesiae Assisinat. ac ceteris ecclesiarum Assis. prelatis super ulteriore executione dicti mandati vices *suas.* Datum Rome anno 1403, ind. XIV, die lune XXIII maii, pp. mag. Ernesto Duvel sacri palatii ap. not. et Alberto Gothen clerico Maguntinen. dioc. tt. Iacobus Boichgremuc clericus Traiecten. dioc. not. = *Cf. Append.*

Sixti IV.

575. 1471, 12 nov. — *Immunitas pro sacro conventu.*

Ad perpetuam rei memoriam. « Ad ordinem fratrum Min. ». Dat. Rome apud S Petrum an. inc. D. 1471, pridie idus nov., a. I.

Instr. XII, 28; *ex. auth. mm. 640×380.* Piermateus de Patientibus de Visso episcopalis curie Asisii vicarius generalis pro rev.mo d. Francisco Ensenia episc. Asisii *auctoritatem interposuit,* ann. D. 1485, ind. III, die 1 martii. Franciscus q. ser Coradi de Asisio; Foelix q. ser Anthonii de Asisio; Philippus de Baciutiis de Asisio *notarii.* — Instr. XII, 32; *ex. auth. mm. 485×350, cum chord. sine sigillo.* D. Franciscus Insegna Asisii episc. anctoritatem *interposuit,* ann. D. 1492, ind. XI, die 7 iunii, pp. Philippo Simonis de Asisio, Sancte Corradi de Costano et Laudato Lippi de castro Rochecciole comitatus Asisii tt. Philippus de Baciutiis de Asisio, Foelix ser Iohannis Bapt. de Asisio, Silvius Petri Pauli de Asisio *notarii, de quibus fidem fecerunt* Priores populi civ. Asisie *per* Evangelistam de Rubeis de Asisia (*sic*) not. die 10 iunii 1492. = *Collis Paradisi, II, 67; cf. supra n. 301.*

576. 1476, 25 aug. — *Collatio abbatie S. Nicolai de Campolongo pro necessitatibus sacrarii ecclesie et conventus S. Francisci de Assisio.*

Ad perpetuam rei memoriam. « Venerabilem sanctamque ecclesiam ». Dat. Assisii anno 1476, VIII kal. sept., a. VI.

Instr. X, 46; *ex. auth. in fasc. perg. mm. 315×235, ff. 6; f. 1v-2r Bulla de qua sermo; f. 2r-3r, Bulla sub nr. sequenti.* Franciscus Bos de Asisio not. = *Cf. Append. sub nr. 314.*

577. 1476, 25 aug. — *Concessio beneficiorum provenientium ex monasterio de Campolongo.*

Leoni episc. Sithien. « Personam tuam ». Dat. Assissii an. 1476, VIII kal. sept., a. VI.

Instr. X, 46; *cf. nr. praecedentem.* = *Cf. Append. sub nr. 313.*

578. 1477, 7 febr. — *Pensio annua xxx. florenorum super fructibus parochialis ecclesie Tervesin. dioc. pro mag. Iohanne de Assisio ord. Min.*

Iohanni de Assisio ord. fr. Min. et theologie professori. « Religionis çelus ». Dat. Rome apud S. Petrum an. inc. D. 1476, VII idus febr., a. VI.

Instr. XII, 25; *ex. auth. mm. 520×420.* Simon archiepisc. Patracen. et Iustinopolitan. d. Pape referendarius episcopo Tervisin. ac d. Iohanni Albanen. ecclesie parrochialis de Carpenedo rectori *communicat litteras de quibus sub hoc nr. mandans etc.* Datum Rome in cancellaria apostolica an. 1477, ind. X, die 19 iulii, pp. dd. Ricardo de Comitibus presbitero et Paulo de Montona clerico Vercellens. dioc. et Tervisin. civitatis. Petrus de Leonibus clericus Brixien. not. = *Cf. Append. sub nr. 312.*

579. 1482, 30 ian. — *Abolitio pensionis abbatie S. Nicolai de Campolongo.*

Custodi conventus S. Francisci de Assisio. « Licet nuper ». Dat. Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 30 ian. 1482, an. XI.

Instr. XII, 26; *mm. 105×350, sine sigillo, in calce* L. Grifus. = *Cf. Append.*

Alexandri VI.

580. 1493, 2 mart. — * *Ut duas domos vendere possit earumque pretium in bona utiliora convertere.*

Christophoro de Assisio ord. Min. et s. theologie professori. « Exponi nobis ». Dat. Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2 martii 1493, an. I.

Instr. XII, 36; *mm. 110×360, deest sigillum, in calce* Io. Crothon. = *Cf. Append.*

Iulii III.

581. 1552, 23 aug. — * *Eum illius ecclesiae rectorem facit.*

Petro Gentilis de Honofriis rectori ecclesie S. Blasii de la Bastia Assisinat. dioc. « Vite ac morum honestas ». Datum Rome apud S. Marcum an. 1552, X kal. septembris, an. III.

Instr. XIII, 7; *mm. 363×500, sine chord. et sine plumb., in plica* Garengus. — Instr. XIII, 9; *ex. auth., cf. nr. sequentem.* = *Cf. Append.*

582. 1552, 23 aug. — * *Ut in possessionem ecclesiae S. Blasii de la Bastia Assisinat. dioecesis eum inducant.*

Cesenatensi et Lipparensi episc. et vicario in spiritualibus episcopi Asscissinaten. « Hodie dilecto filio Petro Gentilis de Honofriis ». Dat. Rome apud S. Marcum an. 1552, x kal. sept., a. III.

Instr. XIII, 9; *ex. auth. mm. 450×305, quod et praecedentem Bullam transcriptam primo loco praebet, chord. sine sigillo.* Baldus Ferratinus episc. Lipparen. episcopo Assisien. eiusque vicario generali *litteras binas transcribens eas ut executioni mandent praecipit.* Dat. Rome sub an. a nat. 1553, ind. XI, die 7 ian., pp. Dominico Theobaldi et Begnino Beltrandi archivii Curie romane scriptoribus tt. Nicolaus Durandus clericus Pullen. dioc. archivii romane Curie scriptor not. = *Cf. Append. sub nr. 338.*

583. 1552, 2 dec. — * *Contra detentores bonorum ecclesiae S. Francisci de Assisio.*

Vicario episcopi Assissinaten. in spiritualibus generali. « Significarunt nobis ». Datum Rome apud S. Petrum an. 1552, IV nonas dec., a. III.

Instr. XIII, 8; *mm. 245×340, sine chord. et sine plumb. in plica* G. Menn. (?), *in dorso* Cesar Sperellus canonicus Assisien. U. I. D. d. Thiberii Muti episcopi Assisien. vicarius gen. *ecclesiasticis personis civitatis et dioec. Assisien. litteras apostolicas communicat, mandans ut eas publicent in ecclesiis etc.* Dat. Assisii ex domibus episcopalibus die 21 febr. 1553. Franciscus Birellus curiae episc. not. = *Cf. Append.*

Pauli III.

584. 1546, 25 iunii. — *Collegium militum S. Georgii in civ. Cesenat. erigit.*

Ad perpetuam rei memoriam. « Celestis patrisfamilias ». Dat. Rome apud S. Petrum an. 1546, VII kal. iulii, an. XII.

Instr. XIII, 14; *ex. auth. mm. 615×825, cum chord. et sigillo.* Petrus Benignus de Assisio not. = *Cf. Append.*

Pauli IV.

585. 1559, 26 febr. — *Indulgentia pro capitulo generali Assisii celebrando.*

Christi fidelibus. « A superno patrefamilias ». Dat. Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 26 februarii 1559, an. IV.

Instr. XIII, 15; *mm. 230×460, sine sigillo, in calce* Io. Barengus. = *Cf. Append.*

Pii IV.

586. 1563, 19 febr. — *Facultas excommunicandi detentores bonorum ecclesiae S. Francisci Assis.*

Amerin. et Muran. episc. ac vicario ep. Assisinaten. in spiritualibus generali. « Significarunt nobis ». Dat. Rome apud S. Petrum an. inc. D. 1562, XI kal. mart., a. IV.

Instr. XIII, 17; *ex. auth. mm. 370×215, cum chord. et sine sigillo.* Baldus Ferratinus episc. Amerin. *ecclesiarum praelatis litteras communicat eisque mandat ut eas, si requisiti, publicent.* Dat. Rome sub anno a nat. 1562, ind. I, die 20 febr. Alfonsus de Avila *not.* = *Cf. Append. sub nr. 339.*

Gregorii XIII.

587. 1574, 25 iun. — * *Eum Inquisitorem haer. prav. in oppido Utinensi et patriarchatu Aquilegiensi confirmat.*

Iulio Columberto de Assisio ord. fr. Min. Conventualium professori et sacre theologie magistro. « Cum sicut accepimus ». Dat. Rome ap. S. Petrum sub annulo Piscatoris die 25 iunii 1574, an. III.

Instr. XIII, 24; *mm. 235×485 cum sigillo, ad calcem* Cae. Glorierius. = *Cf. Append.*

588. 1581, 15 oct. — * *Contra detentores bonorum spectantium ad ordinem fratrum Minorum Conventualium.*

Nucerin. et Assisien. ac Perusin. episc. seu dilectis filiis eorum vicariis. « Significavit nobis ». Dat. Tusculi an. 1581, idibus oct., a. X.

Instr. XIII, 34; *ex. auth. mm. 395×290 cum chord. et sigillo.* Adrianus Fusconius episc. Aquinat., archivii romane Curie corrector *ecclesiarum praelatis etc. Nucerin., Assis. et Perusin. dioecesum litteras communicat eisque mandat ut eas publicent etc.* Dat. Rome 1581 die sabbati 9 dec. Io. Franciscus Bucca not. = *Cf. Append. sub nr. 332.*

APPENDIX [1].

11. *1230, 22 aprilis.*

Gregorius [2] episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Ministro Ordinis fratrum Minorum eiusque Fratribus morantibus apud ecclesiam b. Francisci, in loco qui dicitur Collis Paradisi, tam presentibus quam futuris religiosam vitam professis, in perpetuam memoriam.

Is qui Ecclesiam suam nova semper prole fecundat, dignatus hec moderna tempora prioribus conformare, b. confessoris Francisci spiritum in caritatis amore per inspirantem gratiam excitavit, ut Apostolorum vestigia imitatus, in paupertate, in qua plus caritas proficit, relictis omnibus, solum secutus fuerit eterne beatitudinis largitorem, et velut fidelis servus et prudens laudabiliter operatus in talentis ei creditis, fructum in Ecclesia Dei attulit copiosum. Ab ipso enim Ordinis vestri sancta plantatio, cooperante divina gratia, processum habuit et profectum: que palmites honestatis longe lateque producens, flores protulit et odores effudit ad resecanda nociva et salubria inserenda.

Cum igitur apud Asisium in fundo nobis et Ecclesie romane oblato, in loco qui dicitur Collis Paradisi, in eiusdem Confessoris honore construatur ecclesia, in qua recondi debet tam pretiosus thesaurus, sanctum videlicet corpus ipsius, qui *in tempore iracundie factus est reconciliatio* [3],

---

[1] In his vulgandis quae inedita vel perrara et pene ignota inter iam recensita documenta exstant, ordinem sequor elenchi praemissi, cuius numeri hic repetuntur. In fine addam tabulam ordine chronologico dispositam omnium insimul documentorum, alteramque locorum et nominum tum Ordines S. Francisci tum Assisium urbem spectantium.

[2] Haec Bulla pluries et etiam nostris diebus vulgata, nullibi fideliter et ad unguem transcriptam legi potest. Cum Basilicae et s. Conventus S. Francisci sit primum et praecipuum decoris monumentum, illud nos fideliter et ad unguem transcriptum hic in capite ponimus. [3] Eccli. XLIV, 17.

ut pro peccatis populorum fieret intercessor: Nos cum dignum sit et conveniens, ut eadem ecclesia prerogativa libertatis et honoris gaudeat propter eum, quem in celis Dominus exaltavit; pro eius reverentia ecclesiam ipsam sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus.

In primis siquidem statuentes, ut ecclesia ipsa nulli nisi romano Pontifici sit subiecta, et vestri Ordinis, cuius institutor et Pater extitit Confessor predictus, caput habeatur et mater ac in ea per Fratres eiusdem Ordinis perpetuo serviatur.

Prohibemus insuper ne quis audeat in eandem ecclesiam excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare, quam, si proferri contingeret, tanquam contra Sedis apostolice indulta prolatam decernimus non tenere.

Pro consecratione vero altarium sive pro Oleo sancto vel quolibet alio ecclesiastico Sacramento nullus ab eadem ecclesia sub obtentu consuetudinis vel alio modo quicquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis Episcopus diocesanus impendat; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire Antistitem, gratiam et communionem apostolice Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Quod si sedes diocesani Episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica Sacramenta a vicinis Episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc in posterum proprio Episcopo nullum preiudicium generetur. Quia vero interdum eadem ecclesia non habet loci Diocesani copiam, si quem Episcopum romane Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium, ordinationes Fratrum clericorum auctoritate apostolice Sedis recipere valeatis.

Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare.

Paci quoque ac tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

Ad indicium autem huius libertatis ab apostolica Sede percepte, unius libre cere censum Nobis et successoribus nostris annis singulis persolvetis.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut eius bona auferre, vel ablata retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva Sedis apostolice auctoritate.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfac-

tione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subiaceat ultioni.

Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Ihesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum Iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen.

(*Rota*) *Per orbem:* Fac mecum, Domine, signum in bonum; *in medio:* Petrus, Paulus, Gregorius VIIII.

(*Signatura Pontificis*) ✠ Ego Gregorius catholice Ecclesie episcopus subscripsi.

(*Sigla*) Bene valete.

† Ego Thomas tit. S. Sabine presbiter cardinalis ss.

† Ego Iohannes tit. S. Praxedis presbiter Cardinalis ss.

† Ego Bartholomeus S. Pudentiane presb. card. tit. Pastoris ss.

† Ego Gutfredus tit. S. Marci presbiter cardinalis ss.

† Ego Signebaldus tit. S. Laurentii in Lucina presb. cardinalis ss.

† Ego Stephanus S. Marie Transtiberim tit. Calixti presbiter cardinalis ss.

† Ego Io. Sabinen. episcopus ss.

† Ego Iacobus Tusculanus episcopus ss.

† Ego Octavianus SS. Sergii et Bachi diaconus cardinalis ss.

† Ego Rainerius S. Marie in Cosmidin diaconus cardinalis ss.

† Ego Romanus S. Angeli diaconus cardinalis ss.

† Ego Petrus S. Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis ss.

† Ego Rainaldus S. Eustachii diaconus card. ss.

Datum Laterani per manum Martini sancte romane Ecclesie vicecancellarii, X kal. maii, indict. II, incarnationis Dominice anno MCCXXX, pontificatus domini Gregorii pape VIIII anno quarto.

I, 8bis. — *Originale.* = Nr. 426: XIV, 32. — *Exemplum.*

56. *1246, 11 maii.*

Innocentius episc. *etc.* dilectis filiis consilio et populo castri Medine de Campo, Salamantin. diocesis, salutem *etc.*

Sub religionis habitu vacantibus studio pie vite ita debemus esse propitii, ut in divinis beneplacitis exequendis malignorum non possit obstaculo prepediri.

Cum igitur, sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum... Abbatisse et conventus Monialium inclusarum monasterii S. Euphemie de Medina Campi, Ordinis S. Damiani, Salamantin. diocesis, fuit propositum

coram nobis, eedem a nonnullis, turbationis ipsarum avidis, multipliciter molestentur; Nos, cupientes quieti earum contra ipsorum insolentiam provideri, ut devotius exhibeant Domino famulatum, universitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus predictis Abbatisse et Monialibus favorabiliter assistentes, non permittatis eas ab aliquibus vestre iurisdictioni subiectis aliquatenus molestari.

Datum Lugduni, v idus maii, pontificatus nostris anno tertio.

II, 16. — *Originale.*

77. *1250, 8 augusti.*

Innocentius episc. *etc.* venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis nobilibus viris... magno Interpreti et... Kalothito, legatis Grecorum ad Sedem apostolicam accedentibus, salutem *etc.*

Dilatatum est cor nostrum in Deo pre gaudio vehementi, audito quod prudens Grecia, novo superni sideris irradiata fulgore, gratanter accepit humilem pacis angelum dilectum filium fratrem *Iohannem* generalem Ordinis Minorum Ministrum sibi ab apostolica Sede transmissum, et per ipsum salutaris verbi pulsata consilio, in auditu auris concepit monita sanitatis de curanda veteris peste discidii, quo universalis Ecclesie unitatem orientalis discessio dampnabiliter secuit, per vos, quos dignos tante legationis baiulos iudicavit, deliberans nobiscum saluberrimum inire tractatum.

O si, vobis preducem divini ductus stellam sequentibus, subsequens vos Oriens in domum individuam Sponse unice reducat, in quam cum primo creata in revelationem gentium lux celestis illuminationis induxit, ostendens in comunione ortodoxe collectionis in Christum inveniri pie adorandam intemerate fidei veritatem! O si temporibus nostris celitus infundatur hec gratia, quod inter hos fluctus, quibus agitatur insuperabilis beati Petri navicula, vetus rima scissura, que potissimum videtur patere periculo fidei christiane, per providam reintegrationem partium solidetur. Tunc quidem Dominus servorum suorum Servum in beata suavitatis pace dimitteret, cum nostri tantum videre meruissent oculi salutare [1], quod videlicet sub uno pastore, sicut pridem, scissa in gregis dispendium dominici ovilis unitas sarciretur.

Hinc est quod adventum vestrum leto excipimus apostolice congratulationis applausu, sperantes quod pacem desiderabilem ferent et referent pedes vestri, et supplici prece divine pietatis implorantes clementiam ut laborum vestrorum studia et pie intentionis vota, quibus sinceritatem Ecclesie generalis ad robur integritatis catholice affectamus, optato prosequatur effectu, protegens bonum semen pacis ecclesiastice quod in vobis qui congregat seminavit, ne qua zizania in necem futurorum proventuum dispergens superseminet inimicus.

---

(1) Respicitur ad Luc. II, 29-30.

Igitur properet in gaudio gressus vester, quia Nos et fratres nostri vestram expectamus presentiam suscipiendam favore condigno in visceribus Iesu Christi; et nichilominus vobis venientibus provideri de securo conductu in terris devotorum Ecclesie per quas vos transire contigerit procuramus, ut grata peregrinationis vestre profectio inoffenso ad destinatum calle pertingat.

Datum Lugduni sexto idus augusti, pontificatus nostri anno octavo.

III, 6. — *Originale.*

136. *1259, 16 septembris.*

Alexander episc. *etc.* dilectis filiis fratribus Inquisitoribus heretice pravitatis in provincia S. Francisci, salutem *etc.*

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod nonnulli de partibus ubi vobis contra hereticos Inquisitionis officium est commissum, in mortis articulo constituti, salutis remedium aborrentes, consolatos hereticos ad se introduci faciunt et ab eis, per impositionem manus, desolationis sue consolationem accipiunt, secundum pessimam consuetudinem eorumdem. Sed filii et heredes sic decedentium, propter hoc exheredari timentes ac volentes ob id eorum malitiam excusari, proponunt se velle probare per testes quod iidem, quando recipiebant consolationem huiusmodi, loquelam amiserant et erant alienati a mente; cum moris sit apud eos, ut dicitur, quod nullum taliter consolentur qui non sit sane mentis et memoriam habeat ordinariam. Quare Nos consulere voluistis, utrum debeant tales probationes admitti.

Nos igitur consultationi vestre taliter respondemus, ut, si legitime constiterit quod predicti dum sane mentis essent petierint hereticos consolatos sicque viam fuerint universe carnis ingressi, licet consolationem huiusmodi immo verius desolationem non sane mentis effecti vel post perditam iam loquelam suscepisse dicantur, nulla super hoc probatio admittatur, cum in nullo sic decedentes debeant propterea relevari. In dubio vero admitti poterit; non tamen uxores, filii seu familiares aut de suis aliqui ad hoc probandum recipiantur in testimonium, sed alii testes ydonei et spetialiter fidei zelatores, cum contra tales sit non modicum presumendum sitque in talibus propter fidei privilegium cum multa cautela summaque diligentia pre ceteris negotiis procedendum.

Datum Anagnie XVI kal. octobris, pontif. nostri anno quinto.

V, 2. — *Originale.*

137. *1259, 17 septembris.*

Alexander episc. *etc.* ven. fratribus Archiepiscopis et Episcopis per Italiam constitutis, ad quos littere iste pervenerint, salutem *etc.*

Exortis in agro fidei christiane per partes Italie habundantius solito heretice pestis zizaniis, seminante illa per temporis impacati maliciam homine inimico, fel. rec. Innocentius papa predecessor noster constitutiones quasdam ad pestis extirpationem predicte noscitur edidisse,

quas sicut idem predecessor in suis litteris annotatas mandasse dinoscitur, sic et Nos ad instar ipsius mandamus a dilectis filiis Potestatibus seu Rectoribus, Consiliis et Communitatibus civitatum aliorunque locorum per supradictam Italiam constitutis, tamquam fidelibus eiusdem fidei defensoribus, exacta diligentia observari.

Porro cum inter constitutiones huiusmodi habeatur ut Potestas seu Rector civitatis vel loci infra decem dies sui regiminis sindicare precedentem proximo Potestatem vel Rectorem et eius etiam Assessores per tres viros catolicos et fideles electos ad hoc per Diocesanum, si fuerit presens, et per fratres Minores et Predicatores de omnibus hiis que in statutis seu constitutionibus ipsis et legibus contra hereticos et eorum complices editis continentur, et punire ipsos in omnibus que omiserint teneatur; ex eo plerumque contigit ipsarum constitutionum bonum, ut accepimus, impediri, quod dictorum virorum electioni aliqui ex predictis ad quos pertinet, ut forsan malivolentiam Potestatis seu Rectoris et aliorum evitent vel favorem sibi lucrifaciant apud eos negligunt interesse.

Cupientes igitur, prout officii nostri cura exigit, extirpationi zizaniorum letalium, ne pullulare negletta valeant in fidelium pernitiem populorum, per vos et industrios ac fideles fidei operarios studiosius insudare universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatinus singuli vestrum in sua civitate ac diocesi per se vel alium, cum presentes fuerint, cum autem absentes per vicarium suum, qui etiam per se aut alium peragat fideliter quod mandamus, predictorum virorum electioni, cum ad id requisiti fuerint, qualibet occasione cessante, studeant interesse, illosque de predictis fratribus qui interesse debent, ut intersint et eligant, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, coartare.

Non obstante quolibet privilegio seu indulgentia Sedis apostolice cuiuscumque tenoris existat, per que valeant quomodolibet se tueri; preces et preceptum taliter impleturi, quod merito probemini orthodoxe fidei zelatores.

Datum Anagnie XV kal. octobris, pont. nostri anno quinto.

V, 3. — *Originale.*

153. *1260, 4 martii.*

Alexander episc. *etc.* dilectis filiis fratribus de Ordine fratrum Minorum Inquisitoribus heretice pravitatis in provintia S. Francisci, presentibus et futuris, salutem *etc.*

Ad extirpanda de medio populi christiani zizania que habundantius solito supervenerunt, superseminante illa licentius hiis diebus homine inimico, tanto studiosius iuxta commissam nobis sollicitudinem insudare proponimus, quanto pernitiosius negligeremus eadem in necem catholici seminis pervagari.

Ut autem adversus huiusmodi nequitie operarios consurgant stentque firmiter Ecclesie filii ac catholice fidei zelatores, constitutiones

quasdam fel. rec. Innocentius papa predecessor noster ad extirpationem heretice pestis edidit, per quas ne pervagetur compesci poterit pestis illa; Nos eas volentes ad robur fidei ac salutem fidelium observari, dilectis filiis Potestatibus, Consiliariis et Comunitatibus civitatum aliorunque locorum in provintia S. Francisci nostris dedimus litteris in mandatis, ut ipsas, quarum tenores sibi prefatis insertos litteris misimus, singuli faciant in suis capitularibus annotari, contra hereticos secte cuiuslibet secundum eas exacta diligentia processuri.

Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si prefati Potestates et alii civitatum et locorum in quibus vobis Inquisitionis offitium contra hereticos est commissum, mandatum super hoc apostolicum neglexerint adimplere, vos vel quivis vestrum eos ad id per excommunicationem in personas et interdictum in terram, remoto appellationis obstaculo, compellatis. Non obstante si aliquibus a Sede apostolica sit indultum vel indulgeri contigerit, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint vel eorum terre subiici ecclesiastico interdicto.

Datum Anagnie IIII nonas martii, pontificatus nostri anno sexto.

V, 19. — *Originale.*

169. *1264, 25 maii.*

Urbanus episc. *etc.* dilecto filio Archidiacono de Cea in ecclesia Legionen. salutem *etc.*

Sua nobis dilecti filii Magister et fratres domus militie Calatraven., Cistertien. Ordinis, Tholetan. diocesis, conquestione monstrarunt quod, licet ex statuto ipsius Ordinis confirmato per Sedem apostolicam habeatur ut nulli, nisi tantum Fratribus eiusdem Ordinis, habitum aut signa armorum habitui seu signis, que memorati Fratres ipsius militie deferunt, liceat similia ferre; preceptor tamen et Fratres monasterii de Olgas, Burgen. diocesis, huiusmodi habitum et signa predicte militie, prefatis Magistro et Fratribus contradicentibus et invitis, propria temeritate assumere presumpserunt eaque deferunt, in dictorum Magistri ac Fratrum preiudicium et ipsius Ordinis non modicum detrimentum, quamquam iidem Preceptor et Fratres eis non obediant et de ipsorum Ordine non existant.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, partibus convocatis, audias causam et, appellatione remota, debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere; non obstante si eis a Sede apostolica sit indultum quod suspendi vel interdici aut excomunicari non possint per litteras Sedis eiusdem, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem.

Datum apud Urbem veterem VIII kal. iunii, pontif. nostri anno tertio.

VI, 2. — *Originale.*

173. *1262, 23 maii.*

Urbanus episc. *etc.* dilecto filio... Ministro generali Ordinis fratrum Minorum salutem *etc.*

Discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, largiendi, pensatis quantitate subsidii et devotionis affectu, per te vel alium sive alios, quos ad hoc ydoneos fore noveris, omnibus vere penitentibus et confessis, qui de bonis suis pro subsidio Terre sancte congrue iuxta tue et illorum, quibus hoc commiseris, discretionis arbitrium ministrabunt, indulgentiam que predicte Terre succurrentibus in generali Concilio est concessa, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem.

Datum Viterbii x kal. iunii, pont. nostri anno primo.

VI, 6. — *Originale.*

174. *1262, 9 iunii.*

Urbanus episc. *etc.* dilecto filio Ministro generali Ordinis fratrum Minorum salutem *etc.*

Cum predicationem crucis pro Terre sancte subsidio tibi per omnia christianorum regna duxerimus committendam, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, absolvendi per te vel per alium seu alios, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, a voto Crucis omnes crucesignatos hactenus in subsidium dicte Terre et crucesignandos deinceps, qui propter suorum infirmitatem aut debilitatem corporum inhabiles vel impotentes fuerint ad pugnandum vel ad transfretandum in ipsius succursum, dummodo secundum proprias facultates velint redimere vota sua, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Volumus autem ut ea que de huiusmodi votorum redemptionibus colligi contigerit deponas sub testimonio ydonearum personarum in aliquo tuto loco, nobis quid et quantum et a quibus collectum fuerit fideliter rescripturus.

Datum Viterbii quinto idus iunii, pontif. nostri anno primo.

VI, 7. — *Originale.*

175. *1262, 13 iunii.*

Urbanus episc. *etc.* dilecto filio... Ministro generali Ordinis fratrum Minorum salutem *etc.*

Cum predicationem Crucis, pro subsidio Terre sancte per omnia christianorum regna per nostras [litteras] tibi sub certa forma duxerimus committendam, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatinus omnes crucesignatos et crucesignandos pro predicte Terre subsidio, quos sub nostra et apostolice Sedis protectione suscipimus, non permittas per te vel alium seu alios contra immunitates et privilegia crucesignatis ab apostolica Sede concessa ab aliquibus indebite molestari. Molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; non ob-

stante si personis aliquibus a predicta Sede sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas plenam et expressam non facientes de indulto huiusmodi mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, ac eiusdem Sedis indulgentia qua Fratribus tui Ordinis dicitur esse concessum ut de causis que per litteras apostolicas committuntur eisdem cognoscere minime teneantur, nisi de indulto huiusmodi expressam faciant mentionem.

Datum Viterbii idibus iunii, pontif. nostri anno primo.

VI, 8. — *Originale.*

190. *1245, 11 martii; 1266, 7 maii.*

Clemens episc. *etc.* ad futuram rei memoriam.

Litteras felicis recordationis Innocentii pape IV predecessoris nostri in regesto ipsius reperimus contineri, quarum tenorem de verbo ad verbum sub bulla nostra in testimonium fecimus diligentius annotari; qui talis est:

« Innocentius episcopus *etc.* venerabili fratri episcopo Tholosan. salutem *etc.*

« Pro devotione precipua, quam circa Sedem apostolicam habere dinosceris, te libenter prosequimur dono gratie specialis. Hinc est quod Nos, meritis tue sinceritatis inducti, ut cum tribus ex clericis tuis talia obtinentibus beneficia, ex quibus, consideratis meritis eorumdem, non possunt commode sustentari, si defectum non patiuntur natalium vel etatis et alias eis morum honestas ac litterarum scientia suffragantur, quod eorum quilibet, preter obtentum beneficium curam habens animarum annexam, unum aliud similem curam habens, si sibi canonice offeratur, recipere posse et cum eodem libere retinere, non obstante constitutione Concilii generalis, dispensare valeas, fraternitati tue auctoritate presentium concedimus facultatem.

« Datum Laterani sexto idus martii, pontif. nostri anno primo ».

Datum Viterbii nonis maii, pont. nostri anno secundo.

VI, 26. — *Originale.*

203. *1294, 24 novembris.*

In (1) *nomine Domini, amen. Fr. Munaldus de Tuderto Custos custodie S. Francisci de Asisio discretis viris Tingoso Marci de Florentia et Rufinello Perruçani de Asisio salutem et pacem.*

Noveritis nos a summo Pontifice recepisse litteras in hac forma:

Martinus *etc.* Exultantes *etc.* Dat. apud Urbem veterem V kal. febr., an. secundo.

De vestra igitur providentia (2) *confidentes, auctoritate concessionis et confirmationis huiusmodi qua fungimur in hac parte, vos et quemlibet*

---

(1) Sub regesti forma. (2) Sic.

vestrum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, in dicto loco et pro dicto loco nobis commisso nominamus ad omnia et singula in prefata commissione contenta exequenda et libere peragenda.

Actum Asisii apud ecclesiam S. Francisci sub anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, ind. septima, tempore d. Celestini pape quinti, die XXIIII novembris, pp. fr. Petro Vangnoli et fr. Marco de Asisio, Ciccolo Massioli, Petro Munzoni et Lello Girardi de Bittonio et aliis pluribus tt. ad hoc vocatis et rogatis.

(S. T.) *Ego Nicolaus Venture not., prout vidi et inveni in orriginalibus litteris predicti d. Pape cum bulla plumbea cum filis de sirico pendente munitis, ita hic fideliter transcripsi et predicte nominationi interfui et ut supra legitur de mandato supradicti fr. Munaldi Custodis custodie S. Francisci et rogatus scripsi et publicavi et meum signum apposui.*

VII, 8. — *Originale.*

206. *1284, 2 aprilis.*

Martinus episc. *etc.* dilecto filio Spine Phylippi de societate Amanatorum, civi et mercatori Pistorien., salutem *etc.*

Cum de pecunia decimarum concessarum subsidio Terre sancte collecta auctoritate apostolica in regno Anglie, quam tu, societas seu socii tui in depositum seu quocumque alio modo habere noscebamini commendatam, dilectis filiis Dino Iohannis de Thoma Spiliati et Maynetti Spine et Maynetto Rainaldi de Pulicum et Rimbertinorum Florentin., Vanti Honesti de Ricçardorum Lucan. et Ture Bonamiki ac Bonaventure Bernardini et filiorum Rolandi Bonsignoris Senen. societatibus, mercatoribus recipientibus nostro, romane Ecclesie et Terre sancte nomine ad mandatum dilecti filii Berardi camerarii nostri auctoritate litterarum nostrarum ei super hoc specialiter directarum (1) et de speciali nostra conniventia tibi factum, tria milia trecentas sexaginta marcas sterlingorum tuo, Bandini Amanati, Iohannis Gerardini, Martini Iacobi Veronesii et Gualterotti Bartholomei, Iacobi Agolantis, Landonis Aççi, Lapi Bonichi, Napoleonis Bandini et Nesi Rucgeri ac omnium aliorum sociorum tuorum et societatis tue nomine duxeris persolvendas; Nos solutionem huiusmodi ratam et gratam habentes ac volentes super hoc tue societatis et sociorum ipsorum indempnitatibus precavere, presentium tenore fatemur de huiusmodi quantitate pecunie per te, tuo et eorundem sociorum et societatis tue nomine persolventem fore nobis, romane Ecclesie ac Terre sancte plenarie satisfactum.

Decernentes ut instrumenta seu quecunque littere et obligationes sub quavis forma verborum super huiusmodi pecunia decimarum confecta sint omnino cassa et vacua quo ad huiusmodi quantitatem pecunie per te, ut premittitur, persolutam mercatoribus supradictis; nec aliquis pretextu eorundem instrumentorum vel litterarum et obligationum te

---

(1) Quas litteras recensitas invenies ap. Potthast, *Regesta Pont.*, n. 22114, sub dat. 8 martii 1284.

ac societatem eamdem et socios ipsos ac tuos et heredes eorum et successores in posterum impetere valeat aut etiam molestare.

Has quoque litteras bulla nostra munitas in testimonium solutionis huiusmodi tibi ad tuam et eorundem sociorum tuorum et societatis cautelam duximus concedendas.

Datum apud Urbem veterem IIII non. aprilis, pontif. nostri anno quarto.

VII, 11. — *Originale.*

207. *1284, 13 aprilis.*

Martinus episc. *etc.* dilectis filiis... Guardiano et fratribus Ordinis Minorum de Asisio salutem *etc.*

Volumus et presentium vobis auctoritate mandamus, quatenus dilecto filio Truffe Maraboctini de societate dilectorum filiorum Thomasii Spilliati et Manneti Spine de Florentia has litteras deferenti totum depositum quondam Angeli de la Maira, quod penes vos esse dinoscitur et super quo sollicite conservando pridem vobis Nos scripsisse recolimus, sive sit in auro vel argento aut rebus aliis quibuscumque, sine difficultatis obstaculo assignetis, Nobis quid, quantum et quando eidem Truffe duxeritis assignandum plenarie ac fideliter rescripturi.

Datum apud Urbem veterem idibus aprilis, pontif. nostri anno quarto.

VII, 12. — *Originale.*

208. *1283, 22 septembris.*

Martinus episc. *etc.* dilecto filio... Decano ecclesie Anicien. capellano nostro salutem *etc.*

Dudum in... Potestatem, Capitaneum et Consiliarios civitatis Asisinatis excomunicationis et in civitatem ipsam interdicti sententias sub certa forma, preter temporales penas per nos ipsis impositas, propter graves et multiplices eorum excessus contra mandata nostra in Fulginates et terras ac bona eorum commissos, sicut in nostris continetur processibus, duximus exigente iustitia promulgandas (1).

Cum autem Potestas, Capitaneus et alii supradicti, derelicto indevotionis invio per quod periculosius oberrabant, ad devotionis semitam se consultius reducentes per sindicum proprium ad hoc spetialiter constitutum super premissis excessibus iuraverint nostris et Ecclesie precise stare mandatis et sufficientes ac idoneas de satisfaciendo plenarie prestiterint cautiones, volumus et discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad predictam civitatem te personaliter conferens, Po-

(1) Bellum contra Fulginates fuit anno 1282. Plures de eo Bullas Pontificias, easque huic nostrae similes, pro aliis civitatibus datis, habes ap. *Bull. Franc.* III, 486, 515, 524, 527, 529, 531, 538. Cf. et Potthast, *Reg. Pont.*, n. 22167. — Ant. Cristofani (*Delle storie di Assisi libri sei*, ed. 3, Assisi 1902, p. 118) Assisiates asserit, nescio quo fretus documento, absolutionem consecutos esse serius, per Bullam Nicolai IV, anno 1285.

testati, Capitaneo et Consiliariis supradictis necnon et singularibus personis civitatis eiusdem, cum ab eis fueris requisitus, auctoritate nostra iuxta formam Ecclesie beneficium absolutionis impendas, ad relaxationem huiusmodi interdicti postmodum processurus.

Datum apud Urbem veterem x kal. octobris, pontif. nostri anno tertio.

VII, 13. — *Originale.*

229. *1288, 13 decembris.*

Nicolaus episc. *etc.* dilectis filiis Bandino Ammannati, Martino et Marcucio Iacobi, Nesio et Tocto Bartholomei (1), Iacobo et Lante Agolantis et Ghiero Bonacursi ac ceteris vestris sociis de societate Ammannatorum, civibus et mercatoribus Pistorien., salutem *etc.*

Cum ad mandatum nostrum per dilectum filium Berardum camerarium nostrum oretenus vobis factum de pecunia felicis recordationis Honorii pape IIII^ti predecessoris nostri, que apud vos et societatem vestram dum viveret habebatur, quamque eodem predecessore viam universe carnis ingresso ab eodem camerario nomine romane Ecclesie, vestro et sociorum vestrorum nomine, tunc apostolica Sede vacante, in depositum recepistis, dilectis filiis Fortino et Balducio de societate Clarentum de Pistorio et Vanto Honesti ac Nello Gualandi de societate Riczardorum de Luca Camere nostre mercatoribus, recipientibus pro se ac ceteris sociis dictarum societatum, decem et novem milia nongentos et octoginta quinque floren. auri nostro et eiusdem Ecclesie nomine duxeritis liberaliter persolvenda; Nos promptitudinis vestre studia in Domino commendantes et assignationem ipsius pecunie per vos, ut predicitur, factam mercatoribus antedictis, ratam et gratam habentes, et nolentes quod ad solutionem pecunie supradicte ulterius teneamini vel ad restitutionem ipsius a quoquam compelli possitis, decernimus ut omnia instrumenta et littere exinde confecta, quoad quantitatem predictam per vos, ut premittitur, predictis mercatoribus persolutam, sint cassa et irrita et nullius penitus existere firmitatis. Has litteras bulla nostra munitas pro vestra et societatis vestre cautela in huius rei testimonium concedentes.

Datum Rome apud S. Maria maiorem idibus decembris, pontif. nostri anno primo.

VIII, 10. — *Originale.*

231. *1290, 13 februarii.*

Nicolaus episc. *etc.* dilecto filio Bene de Asisio canonico Asisinat. salutem *etc.*

Affectionis paterne studium habere Nos condecet in provisionibus clericorum, ut sic in Nobis condigne dona gratie se gaudeant invenisse, quod virtutum incremento proficiant et ad divine laudis frequentiam fortius invalescant.

(1) Orig. *Bortronici.*

Hinc est quod Nos tuam volentes personam, obtentu dilecti filii nostri *M(atthei)* tit. S. Laurentii in Damaso presbiteri cardinalis (1), cuius clericus et familiaris existis, prō te nobis humiliter supplicantis, prosequi dono gratie specialis, canonicatum ecclesie Asisinat. cum plenitudine iuris canonici et prebendam integram nulli alii de iure debitam, si qua in ecclesia ipsa vacat ad presens, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et providemus de illis: ac dilectum filium mag. Iohannem de Penestre camere nostre clericum investimus tuo nomine per nostrum anulum de eisdem. Si vero nulla talis prebenda nunc vacat in ecclesia supradicta, Nos prebendam aliam integram primo inibi vacaturam, que similiter de iure nulli alii debeatur, conferendam tibi cum vacaverit donationi apostolice reservamus. Decernentes ex nunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate contigerit attemptari.

Non obstantibus de certo canonicorum numero seu quibuslibet aliis ipsius ecclesie statutis et consuetudinibus contrariis, iuramento, confirmatione Sedis apostolice vel alia quavis firmitate vallatis; aut si aliqui nostra vel predecessorum nostrorum romanorum Pontificum, quibus per hoc nullum volumus preiudicium generari, vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant; seu si venerabili fratri nostro Episcopo et dilectis filiis... priori et capitulo Asisinat. aut quibuscumque aliis communiter vel divisim a Sede sit indultum eadem, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint, quodque de prebendis ipsius ecclesie seu beneficiis ad eorum collationem vel provisionem seu quamcumque dispositionem spectantibus nulli valeat provideri per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et qualibet alia prefate Sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis; seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ac indulgentiis eiusdem ecclesie aut quodcumque aliud solitum iuramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum et, cum ad eandem ecclesiam accesseris, corporaliter illud prestes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collationis, provisionis, investiture, reservationis et constitutionis infringere *etc.* Si quis *etc.*

A. de Florentia.

XI, 6. — *Originale.*

296. *1451, 1 decembris.*

Nicolaus episc. *etc.* venerabilibus fratribus ... Castellan. et Assisinat. episcopis salutem *etc.*

Significarunt nobis dilecti filii Custos et Fratres domus sancti Francisci Assisinat., Ordinis Minorum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, decimas, oblationes, census, fructus, redditus, proventus, emolumenta, possessiones, annuas pensiones, iura, iurisdictiones, domos, terras, ortos, campos, vineas, prata, pascua, nemora, silvas, mo-

lendinas, piscarias, libros, cruces, calices, sanctorum reliquias, ornamenta ecclesiastica, vasa aurea, argentea, erea, cuprea, stanea, lignea, pannos laneos, lineos, lectos, culcitras, linteamina, domorum utensilia, equos, iumenta, boves, vaccas, porcos, oves, asinos, litteras autenticas, instrumenta publica, contractus, documenta, cedulas, scripturas, vini, olei, grani, ordei, leguminum, auri, argenti monetati et non monetati quantitates, debita, legata, pecuniarum summas et nonnulla alia mobilia et immobilia bona, etiam per quondam Danielem de Assisio laicum tempore eius obitus relicta ac ipsis Custodi et Fratribus in elemosinam nec non pro reparatione et conservatione domus eiusdem ac illius ecclesie ornamentis ecclesiasticis, luminaribus et aliis pro domo et ecclesia huiusmodi necessariis erogata, temere et malitiose occultare et occulte detinere presumunt, non curantes ea prefatis Custodi et Fratribus exhibere, in animarum suarum periculum ipsorumque Custodis, Fratrum et domus non modicum detrimentum; super quo iidem Custos et Fratres apostolice Sedis remedium implorarunt.

Quo circa fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus omnes huiusmodi occultos detentores decimarum, oblationum, censuum, fructuum, reddituum, proventuum et aliorum bonorum predictorum ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per vos vel alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeritis, ea prefatis Custodi et Fratribus a se debita restituant et revelent, ac de ipsis plenam et debitam satisfactionem impendant; et si id non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem vos ad hoc peremptorie duxeritis prefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferatis et eam faciatis, ubi et quando expedire videritis, usque ad satisfactionem condignam solemniter publicari. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur.

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, kalendis decembris, pontif. nostri anno quinto.

XI, 7. — *Originale.*

303. *1472, 26 novembris.*

Sixtus episc. *etc.* Ad perpetuam rei memoriam.

Inter ceteros Dei atletas beatus Franciscus, almus confessor Christi, et sanctus Bernardinus apparuerunt signis et virtutibus gloriosi, qui eorum meritis et exemplis multipliciter sanctam decorant Ecclesiam ac presentis temporis caliginem suorum lampadum fulgore illustrant. Debitum ergo reputamus ut Nos etiam ecclesias et alia loca ad laudem eorum nominum dedicata gratiosis remissionum prosequamur impendiis et indulgentiarum muneribus decoremus, ipsorumque locorum commoditatibus, quantum cum Deo possumus, salubriter consulamus.

Cum itaque, sicut accepimus, ecclesie domorum beati Francisci Ordinis fratrum Minorum et eiusdem sancti Bernardini Assisinat. opere quodam mirifico constructe existant ac in suis structuris et edificiis

reparatione non modica indigeant, pro qua facienda et conservanda Christi fidelium suffragia sunt quamplurimum oportuna; Nos cupientes ut ipse ecclesie congruis frequententur honoribus ac in suis structuris et edificiis huiusmodi reparentur, conserventur et manuteneantur, ac libris, paramentis et aliis ornamentis ecclesiasticis decorentur, ipsique fideles eo libentius devotionis causa ad ecclesias predictas confluant et ad illarum reparationem, conservationem, manutentionem et decorem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie conspexerint se refectos: de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere penitentibus et confessis, qui in eorumdem beati Francisci et sancti Bernardini ac sancti Antonii et Assumptionis beate Marie festivitatibus a primis vesperis usque ad secundas vesperas devote predictas ecclesias visitaverint annuatim, et ad reparationem, conservationem, manutentionem et decorem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, singulis festivitatum eorumdem diebus ducentos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis in Domino misericorditer relaxamus.

Et nichilominus, ut ipsi fideles ad ecclesias predictas tam causa indulgentie huiusmodi consequende quam alias confluentes conscientie pacem et animarum salutem Deo propitio consequantur necnon eiusdem indulgentie facilius participes esse valeant, benignius agere volentes, dilectis filiis sancti Francisci et sancti Bernardini domorum predictarum Custodibus ac presbiteris idoneis secularibus vel Ordinum quorumcumque regularibus ab ipsis Custodibus pro tempore deputandis, ut eorundem fidelium tam tempore dicte indulgentie quam alias ecclesias ipsas visitantium confessiones audire eisque diligenter auditis pro commissis per eos criminibus, delictis et peccatis omnibus, dummodo talia non sint propter que Sedes apostolica merito sit consulenda, debitam absolutionem impendere et penitentiam salutarem iniungere ac Eucaristie et alia sacramenta ecclesiastica ministrare, cuiusvis licentia minime requisita, libere et licite valeant, apostolica auctoritate concedimus et indulgemus. Presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Preterea ne ecclesie predicte et earum fabrice propter indebitas exactiones, quas notarii de testamentis earundem ecclesiarum commoda concernentibus pro tempore rogati dum testamenta ipsa in publicam formam redigunt exigere conantur, indebite graventur, omnibus et singulis notariis publicis de aliquibus testamentis, codicillis, donationibus vel aliis ultimis voluntatibus ac contractibus ad ecclesias predictas et illarum fabricas, domos et Fratres seu aliquem eorum provenientibus et in quibus interesse pretendere possent pro tempore rogatis, et qui ex aliorum notariorum inde rogatorum instrumenta assumpserint, ne ab eisdem Custodibus et Fratribus pro huiusmodi instrumentis nomine mercedis aut alias ultra unum bononenum argenti monete illarum partium pro quolibet floreno auri de Camera extimatione comodi, quod ex inibi contentis consequi verisimiliter et cum es[i]tu possint exigere aut a sponte volentibus recipere, sive ex pretextu restitutionem talium in-

strumentorum et scripturarum malitiose differire aut occultare, sub excomunicationis late sententie et quinque ducatorum auri Camere apostolice applicandorum penis, quas contrafatientes eo ipso incurrant quoquo modo, presumant, districtius inhibemus.

Et insuper venerabilibus fratribus Perusin. et Assisinat. episcopis ac dilecto filio priori prioratus sancti Pauli Assissinat. per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, prefatos notarios ad restituendum instrumenta predicta, mercede huiusmodi recepta, apostolica auctoritate compellant, et quos predictam excomunicationis sententiam incurrisse eis constiterit excomunicatos publice nuntient ac faciant ab aliis nuntiari et ab omnibus arctius evitari, donec excomunicati predicti meruerint ab huiusmodi excomunicationis sententia absolutionis beneficium obtinere.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque; aut si notariis prefatis vel quibusvis aliis comuniter vel divisim ab apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre relaxationis, concessionis, indulti, inhibitionis et mandati infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Rome apud S. Gregorium anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, sexto kal. decembris, pontif. nostri anno secundo.

XI, 15. — *Originale.*

304. *1474, 1 februarii.*

Sixtus episc. *etc.* ad perpetuam rei memoriam.

Digna exauditione vota personarum sacre religioni deditarum apostolico Nos convenit favore prosequi et ipsarum necessitatibus succurrere provisionis gratia congruentis.

Sane pro parte dilecti filii *Iohannis de Trevio* Theologie professoris, Ministri provincialis fratrum provincie sancti Francisci Ordinis Minorum, secundum morem dicti Ordinis, petitio continebat, quod domui sancti Francisci Assisinat. dicti Ordinis, infra cuius ambitum dudum, dum ante nostram promotionem ad Cardinalatus honorem in Ordine predicto generalis Ministri fungeremur officio, locum decentem pro residentia et educatione Magistri et Novitiorum dicti Ordinis, novitiatum noncupatum, in domo predicta pro tempore degentium, de novo construi et edificari, et alium locum antiquitus pro Fratribus dicti Ordinis pro tempore infirmis deputatum, infirmariam nuncupatum, reparatione tunc indigentem, resarciri fecimus, quosdam proventus dicte domus eidem infirmarie pro infirmorum Fratrum in illa pro tempore degentium subventione applicando; et predicte Provincie est summopere utile et necessarium quod Novitii iuxta ordinationem nostram predictam in domo predicta sub cura unius Magistri in religiosis et honestis moribus educentur, ut religiose

in pueritia instructi ad doctrinam et alia religiosa opera disponantur; locaque predicta tam Novitiorum quam infirmarie manuteneantur ibidem. Quare pro parte dicti Ministri nobis humiliter fuit supplicatum, ut ex redditibus annuis apothecarum existentium in platea dicte domus et ad domum ipsam pertinentibus, pro indumentis Magistri et Novitiorum eorumdem ac aliis rebus eis et loco predicto necessariis vigintiquinque florenos, et totidem infirmarie ac illius infirmario et infirmis predictis in perpetuum annis singulis per Procuratorem cum Custode dicte domus vel eius Vicario et predictorum Novitiorum Magistro et infirmario qui sunt et pro tempore erunt exponendos, applicare et concedere ac eidem et pro tempore existenti Ministro dicte Provincie ut Custodem et Fratres in dicta domo pro tempore existentes ad premissa compellere possit concedere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur de premissis sufficienter informati et huiusmodi supplicationibus inclinati, novitiatui vigintiquinque pro indumentis et aliis rebus predictis, ac infirmarie huiusmodi totidem florenos ex annuis proventibus predictis in perpetuum annis singulis a Procuratore prefato cum Custode vel eius Vicario ac Magistro novitiorum et infirmario predictis pro tempore existentibus exponendos apostolica auctoritate presentium tenore perpetuo applicamus et concedimus; sicque predicte domus Custodem, Fratres et Procuratorem predictos perpetuo observari debere prefata auctoritate decernimus et mandamus, ac prefato et pro tempore existenti Ministro dicte Provincie ut eosdem Custodem, Fratres et Procuratorem ad premissa observandum per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia auctoritate nostra compellere et cohercere possit et valeat, facultatem eadem auctoritate concedimus per presentes.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac conventus et Ordinis predictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque; aut si Custodi, Fratribus et Procuratori predictis vel quibusvis aliis comuniter vel divisim a Sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre applicationis, concessionis, constitutionis et mandati infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, kalendis februarii, pontif. nostri anno tertio.

XI, 16. — *Originale.*

305. *1473, 5 iulii.*

Sixtus episc. *etc.* dilecto filio Priori ecclesie Assisinat. salutem *etc.*

Significavit nobis dilectus filius Franciscus de Salerno, laicus Assisinat., quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorat, census, fructus,

redditus, proventus, annuas pensiones, possessiones, domos, ortos, campos, vineas, prata, pascua, silvas, nemora, lacus, stagna, aquas, aqueductus, aquarum decursus, molendina, vini, bladi, frumenti, siliginis, auri, argenti monetati et non monetati, lini, lane, canapis et leguminum quantitates, instrumenta publica, registra, protocolla, testamenta, codicillos, contractus, libros rationum, litteras, cedulas, notas, cartas, scripturas, recognitiones, quitantias, iocalia, monilia, ciphos, tasseas, anulos, coclearia, zonas, texutos, perlas, lapides preciosos, vasa aurea, argentea, erea, cuprea, stannea, plumbea, ferrea, ligna, pannos lineos, laneos et siriceos, lectos, culcitras, linteamina, mantellos, tunicas, domorum utensilia, equos, boves, oves, vaccas, porcos et alia animalia, debita, credita, legata, merces, pecuniarum summas, iura, iurisdictiones et nonnulla alia mobilia et immobilia bona ad eum tam ratione persone sue ac successionis hereditarie parentum et consanguineorum suorum defunctorum, quorum heres existit, quam alias legitime spectantia, temere et malitiose occultare et occulte detinere presumunt, non curantes ea prefato Francisco exhibere, in animarum suarum periculum dictique Francisci non modicum detrimentum; super quo idem Franciscus apostolice Sedis remedium imploravit.

Quo circa discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus omnes huiusmodi occultos detentores censuum, fructuum et aliorum bonorum predictorum ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per te vel alium seu alios moneas, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeris, ea prefato Francisco a se debita restituant et revelent ac de ipsis plenam et debitam satisfactionem impendant. Et si id non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas et eam facias, ubi et quando expedire videris, usque ad satisfactionem condignam solemniter publicari.

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo septuagesimo tertio, tertio nonas iulii, pontif. nostri anno secundo.

XI, 17. — *Originale.*

306. *1474, 27 ianuarii.*

Dilecto filio Thesaurario civitatis nostre Perusii et Assisii presenti et pro tempore existenti

SIXTUS PAPA IIII.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Per alias nostras sub bulla plumbea litteras dilectis filiis Custodibus, Fratribus et conventui S. Francisci de Assisio pridem indulximus, ut in emptione quarumcumque rerum ad eorum victum necessariarum ad nullius datii, gabelle aut alterius oneris solutionem compelli possent aut ad id quomodolibet tenerentur, prout in ipsis litteris, quarum tenorem ac si de verbo ad verbum presentibus insertus esset haberi volumus pro sufficienter expresso, plenius continetur.

Nunc vero ex ipsorum Fratrum et conventus querela percepimus eos, ad quos huiusmodi gabellarum et onerum exactio spectat, per indirectum cogere eosdem Fratres atque conventum ad solutionem predictam, exigentes gabellam ab illis qui res ad victum necessarias, ut prefertur, ipsis Fratribus et conventui vendunt, adeo ut hoc facto in emptione huiusmodi non minus exponere opus sit quam si gabellas et onera solverent, sicut ante nostrum indultum facere consueverant, cum vendentes tantum augeant pretium quantum ratione gabelle solvere compelluntur.

Itaque hanc rem moleste ferentes volentesque litteras nostras antedictas inviolabiliter observari ipsosque Fratres et conventum plena et libera in premissis exemptione gaudere, presentium tenore tibi et omnibus aliis ad quos spectat seu spectare poterit in futurum committimus ac mandamus, quatenus nec Fratres conventumque predictos aut vendentes eis res ad victum necessarias, ut prefertur, ad ullam gabelle aut alterius oneris solutionem ullo modo preter dictarum litterarum nostrarum seriem et tenorem cogere debeatis aut ab aliis cogi permittatis.

Volumus autem ut breve hoc, cum lectum et registratum fuerit, illesum presentanti restituatur. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII ianuarii MCCCCLXXIIII, pontif. nostri anno tertio.

L. Grifus.

XI, 18. — *Originale.* = Nr. 447; XIV, 11a, 11b. — *Exempla.*

308. *1474, 5 novembris.*

Sixtus episc. *etc.* ven. fratri episcopo Urbinati et dilectis filiis Falconi de Sinibaldis canonico basilice Principis Apostolorum de Urbe ac... Vicario ven. fratris nostri episcopi Assisinat. in spiritualibus generali salutem *etc.*

Romani Pontificis providentia circumspecta ecclesiis et monasteriis singulis, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, ut gubernatorum utilium fulciantur presidio prospicit diligenter et personis ecclesiasticis, presertim pontificali dignitate preditis, libenter, prout est decens et congruum, de subventionis auxilio providet oportuno.

Dudum siquidem provisiones ecclesiarum et monasteriorum omnium apud Sedem apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturorum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari.

Cum itaque postmodum monasterium S. Nicolai de Campolongo Ordinis S. Benedicti, Assisinat. diocesis, ex eo quod dilectus filius Franciscus monachus, nuper illius abbas, regimini et administrationi dicti monasterii, cui tunc preerat, in manibus nostris sponte et libere cessit, Nosque cessionem ipsam duximus admittendam, apud Sedem predictam vacaverit et vacet ad presens, nullusque de illius provisione preter Nos hac vice se intromittere potuerit sive possit, reservatione et decreto

obsistentibus supradictis: Nos tam dicto monasterio de gubernatore secundum cor nostrum utili et ydoneo per quem circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, quam etiam venerabili fratri nostro *Leoni* episcopo Sithien. (1), ut statum suum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam commodius tenere valeat, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, ipsumque *Leonem* episcopum a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, quoad hoc dumtaxat ut presentium consequatur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, nec non fructus, redditus et proventus mense episcopalis Sithien. presentibus pro expressis habentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios monasterium predictum, cuius fructus, redditus et proventus quinquaginta florenorum auri de Camera, secundum communem extimationem, valorem annuum, ut dictus episcopus asserit, non excedunt, super quibus dilectus filius Fabianus de Monte Politiano presbiter Aretin. diocesis certam pensionem annuam dudum sibi apostolica auctoritate assignatam percipit, sive premisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona vacet et ex quavis causa illius provisio ad Sedem predictam spetialiter vel generaliter pertineat, eidem episcopo per eum quoad vixerit una cum dicta Sithien. vel alia cathedrali ecclesia, ad quam eum transferri contigerit ac etiam sine, tenendum, regendum et gubernandum, ita quod debitis et consuetis ipsius monaste ii ac dilectorum filiorum conventus eiusdem supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare libere et licite valeat, sicuti veri ipsius monasterii Abbates qui fuerunt pro tempore de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt (alienatione tamen quorumcumque bonorum inmobilium et pretiosorum mobilium dicti monasterii sibi penitus interdicta), auctoritate nostra commendare curetis, curam, regimen et administrationem ipsius monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, facientes eidem *Leoni* episcopo a prefatis conventu obedientiam et reverentiam congruentes in hiis que commendam concernunt et a dilectis filiis vasallis et aliis subditis dicti monasterii consueta servitia et iura sibi ab eis debita integra exhiberi. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus ecclesie, monasterii et Ordinis predictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, contrariis quibuscumque; aut si conventui, vasallis et subditis predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede predicta indultum existat quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per lit-

---

(1) Leo de Naxia Ord. Min. « de Observantia », habet Eubel, *Hier.*, II[1], 263, creatus episcopus Sitien., in insula Creta, die 17 martii 1469: ibid. Waddingus vero hoc ponit sub anno 1467: *Annales,* ad annum, n. 21 (v. XIII, 410).

teras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Proviso quod propter commendam huiusmodi divinus cultus et solitus monachorum et ministrorum numerus in dicto monasterio non minuatur, sed illius ac conventus predictorum congrue supportentur onera antedicta. Nos enim, prout est, irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attemptatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attemptari.

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo septuagesimo quarto, nonis novembris, pontif. nostri anno quarto.

XI, 20. — *Originale.*

312. *1477, 7 februarii.*

Sixtus episc. *etc.* dilecto filio *Ioanni de Assisio* Ordinis fratrum Minorum et Theologie professori salutem *etc.*

Religionis zelus, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos tam certa experientia quam fidedigno commendaris testimonio, Nos inducunt ut illa tibi favorabiliter concedamus que tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna.

Hinc est quod Nos, qui dudum inter alia voluimus et ordinavimus quod littere reservationis et assignationis etiam motu proprio cuiusvis pensionis super alicuius beneficii ecclesiastici fructibus expediri non possent nisi de consensu illius qui dictam pensionem persolvere tunc haberet, et deinde declaravimus nostre intentioni nullatenus esse pensiones annuas extinctas post earum extinctionem sive expirationem in posterum suscitare et renovare velle, et si per preoccupationem vel alias per Nos suscitata renovari, constitui et assignari aut secus deinceps fieri contingeret, illas ex tunc cassas et irritas, ac litteras apostolicas etiam motu proprio et ex certa scientia desuper conficiendas et quascumque alias efficacissimas clausulas in se continentes nec non processus pro tempore habitos per easdem et quecumque inde secuta irrita et inania nulliusque roboris vel momenti fore decrevimus, ad ipsarum quoque pensionum solutionem pretextu suscitationum, innovationum, constitutionum, assignationum, litterarum et processuum predictorum quempiam non teneri vel compelli, aut sententiis, censuris et penis in litteris et processibus antedictis contentis ligari minime posse, scientia simili declaravimus, ac pariter irritum et inane declaravimus quicquid contra declarationis huiusmodi tenorem contingeret in posterum attemptari; quique hodie de persona dilecti filii Victoris electi Nicosien. (1), cui dudum pensio annua triginta florenorum auri de Camera super fructibus, redditibus et proventibus parrochialis ecclesie plebis nuncupate de Carpenedo Tervisin. dioc., quam dilectus filius Iohannes Albanen. illius rector obtinet, eidem electo tunc in minoribus constituto quoad vi-

(1) Hac ipsa die ad eam ecclesiam electus: Eubel, *Hier.*, II[1], 224.

veret persolvenda apostolica auctoritate reservata, constituta et assignata extitit, ecclesie Nicosien. tunc certo modo vacanti de fratrum nostrorum consilio providentes, omnes et singulas pensiones eidem electo super quibusdam fructibus ecclesiasticis antea assignatas per promotionem eandem cessare decrevimus; tibi ut te commodius sustentare valeas de alicuius subventionis auxilio providere premissorumque meritorum tuorum intuitu spetialem gratiam facere volentes, ac te a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te Nobis super hoc oblate petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate, pensionem annuam triginta florenorum similium super fructibus, redditibus et proventibus dicte parrocchialis ecclesie, quos haberi volumus pro expressis, tibi quoad vixeris per prefatum Iohannem Albanensem annis singulis, pro una, videlicet in S. Iohannis Baptiste, et alia pensionis eiusdem medietatibus in domini nostri Ihesu Christi nativitatum festivitatibus in civitate Venetiarum integre persolvendam tibi auctoritate apostolica tenore presentium concedimus, constituimus et assignamus.

Decernentes eundem Iohannem Albanensem ad integram solutionem pensionis predicte faciendam tibi iuxta concessionis, constitutionis et assegnationis predictarum continentiam atque formam fore efficaciter obligatum, ac volentes et auctoritate prefata statuentes quod si dictus Iohannes in aliqua dictarum festivitatum aut saltem infra triginta dies ex tunc inmediate sequentes pensionem huiusmodi tibi vel eidem procuratori tuo non persolverit cum effectu, lapsis diebus eisdem, excommunicationis sententiam eo ipso incurrat, a qua, donec tibi vel eidem procurator de pensione huiusmodi tunc debita integre satisfactum aut alias tecum vel cum eodem procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, absolutionis beneficium obtinere non possit, preterquam in mortis articulo constitutus. Si vero per sex menses dictos triginta dies inmediate sequentes sententiam ipsam animo, quod absit, sustinuerit indurato, ex tunc, lapsis mensibus eisdem, parrochiali ecclesia huiusmodi perpetuo privatus existat illaque vacare censeatur eo ipso.

Et nichilominus ecclesiam ipsam parrochialem, cum cedente vel decedente dicto Iohanne Albanensi aut alias ecclesiam ipsam parrochialem quomodolibet dimittente vel pensionem predictam non solvente et propterea privationis penam incurrente vel alias quovis modo vacare contigerit, conferendam tibi post vacationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus ac illam cum, ut prefertur, vel alias quovis modo vacaverit, etiam si actu quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona seu per liberam resignationem dicti Iohannis Albanensis vel alicuius alterius de illa in romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem fel. rec. Iohannis XXII predecessoris nostri que in-

cipit *Execrabilis* (1), vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem predictam legitime devoluta ipsaque parrochialis ecclesia spetialiter vel aliter generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore dati presentium non sit in ea alicui spetialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi dicta auctoritate conferimus et de ea etiam providemus.

Districtius inhibentes venerabili fratri nostro... episcopo Tervisin. ac illi vel illis ad quem vel ad quos ipsius parrochialis ecclesie collatio, provisio, presentatio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de illa contra reservationem et collationem ac provisionem predictas disponere quoquo modo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari. Et insuper venerabilibus fratribus Patracen. et Spalaten. archiepiscopis ac dilecto filio... Abbate monasterii S. Gregorii Venetiarum per apostolica scripta motu simili mandamus, quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios faciant tibi auctoritate nostra pensionem predictam, iuxta concessionis, constitutionis et assignationis predictarum continentiam atque formam, efficaciter persolvi et etiam assignari; et cum dicta ecclesia parrochialis vacaverit te in illius iurium et pertinentiarum predictarum corporalem possessionem inducant auctoritate nostra et defendant inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciant tibi de ipsius ecclesie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi; ac prefatum Iohannem Albanensem, postquam eis constiterit eum excommunicationis sententiam predictam incurrisse et desuper pro parte tua fuerint requisiti, excommunicatum in ecclesiis, dominicis et aliis festivis diebus, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, publice denuntient et faciant ab aliis nuntiari ac ab omnibus arctius evitari, donec de pensione huiusmodi tibi tunc debita integre satisfactum aut alias tecum vel cum procuratore tuo predicto super hoc amicabiliter concordatum fuerit, ipse Iohannes ab eadem excommunicationis sententia absolutionis beneficium meruerit obtinere. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Non obstantibus priori voluntate, ordinatione et declaratione nostris predictis ac pie mem. Bonifatii pape VIII etiam predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque; aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus spetiales vel generales prefate Sedis vel Legatorum eius litteras impetrarunt, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus te in assecutione dicti parrochialis ecclesie volumus anteferri,

(1) Extravag. Ioannis XXII, tit. III.

sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari; seu si pro tempore existenti episcopo Tervisin. vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede predicta indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem et prefato Iohanni quo ad prestationem seu solutionem pensionis alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel spetiali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectum huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio spetialis; aut quod tu Ordinis frutrum Minorum professor existis: Nos enim tecum ut pensionem percipere et levare et ecclesiam predictam, cum vacaverit, ut prefertur, recipere et retinere illamque simpliciter vel ex causa permutationis, quando tibi placuerit, dimittere et loco dimisse quodcumque aliud simile vel dissimile beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura per seculares clericos obtineri solitum, etiam si similis parrochialis ecclesia vel eius perpetua vicaria fuerit, unum dumtaxat similiter recipere et quoad vixeris retinere, et nichilominus omnibus et singulis privilegiis, indultis et immunitatibus Fratribus dicti Ordinis concessis et quibus Fratres ipsi utuntur, potiuntur et gaudent seu uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere libere et licite possis et valeas, quodque tu dicti Ordinis professor existis, constitutionibusque et ordinationibus ac privilegiis apostolicis nec non dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de spetialis dono gratie dispensamus tibique indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, concessionis, constitutionis, assignationis, decreti, statuti, reservationis, collationis, provisionis, inhibitionis, mandati, voluntatis, dispensationis et indulti infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, septimo idus februarii, pontif. nostri anno sexto.

XI, 24. — *Originale.*

313. *1476, 25 augusti.*

Sixtus episc. *etc.* venerabili fratri *Leoni* episcopo Scitien. salutem *etc.*

Personam tuam Nobis et apostolice Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benivolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus que tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna.

Cum itaque hodie tu, qui monasterii S. Nicolai de Campolongo Ordinis S. Benedicti, Assisinat. diocesis, ex concessione et dispensatione apostolica obtinebas in commendam, commende huiusmodi per certum procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum, in manibus nostris sponte et libere cesseris, Nosque cessionem ipsam tunc admittentes in dicto monasterio abbatialem dignitatem et predictum Ordinem ac nomen et titulum monasterii penitus et omnino suppresserimus et extinxerimus, ac illius structuras et edificia nec non bona omnia sacristie domus S. Francisci Assisinat. Ordinis fratrum Minorum pro illius onerum supportatione et decentis numeri Fratrum in illa sustentatione applicaverimus et appropriaverimus per alias nostras litteras, prout in illis plenius continetur (1); Nos tibi qui, ut asseris, dicti Ordinis fratrum Minorum professor existis, ne propterea nimium dispendium patiaris de alicuius substentationis auxilio providere premissorumque intuitu specialem gratiam facere volentes, ac te a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus forsan innodatus existis, ad effectum presentium consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, nec non omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura que ex quibusvis apostolicis dispensationibus in titulum vel commendam obtines ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque et mense episcopalis Scitien. fructuum, redditu um et proventuum veros annuos valores ac ipsarum dispensationum tenores nec non pensionum huiusmodi super quibusvis fructibus ecclesiasticis assignatarum quantitates presentibus pro expressis habentes, omnes et singulos fructus, redditus et proventus dicti monasterii cum onere solvendi pensionem annuam decem et octo florenorum auri de Camera dudum dilecto filio magistro Fabiano de Monte Politiano archipresbitero ecclesie S. Marie etiam de Monte Politiano, Aretin. diocesis, Camere apostolice clerico, super hiisdem fructibus, redditibus et proventibus apostolica auctoritate reservatam, constitutam et assignatam, quam percipit annuatim, et alia ipsius monasterii onera supportandi per te vel alium seu alios quoad vixeris vel donec Ministro provinciali Fratrum provincie S. Francisci secundum morem dicti Ordinis fratrum Minorum, in qua Provincia domus ipsa consistit, et Custode ac Fratribus dicte domus pro tempore existentibus procurantibus tibi de aliquibus beneficiis ecclesiasticis uno vel pluribus, cuius seu quorum fructus, redditus et proventus equivaleant bonorum applicatorum huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus, provisum in titulum vel commendam fuerit, tuque illa assecutus fueris pacifice et quiete, levandos, percipiendos et habendos loco pensionis annue apostolica tibi auctoritate reservamus, concedimus et assignamus. Decernentes te illos percipere, levare et habere posse libere et licite, ac per Ministrum, Custodes et Fratres predictos super illorum perceptione impediri seu molestari non debere.

(1) Sunt litterae sub nr. sequenti editae.

Et nichilominus venerabilibus fratribus Viterbien. et Assisinat. episcopis ac dilecto filio Abbati monasterii S. Petri in Bovaria de Trevio, Spoletan. diocesis, per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios faciant te libera fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi perceptione gaudere, non permittentes te per Ministrum, Custodem et Fratres predictos aut quoscunque alios super illorum libera perceptione huiusmodi quomodolibet impediri. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non dicti Ordinis fratrum Minorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque; aut si Ministro, Custode, Fratribus et eorum Ordini predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede apostolica indultum existat quod ipsi et eiusdem Ordinis persone interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nos enim tecum, ut fructus huiusmodi percipere et levare libere et licite valeas, quod tu dicti Ordinis Minorum professor existis, ut prefertur, a quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non predictis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate predicta tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, reservationis, concessionis, assignationis, constitutionis, mandati et dispensationis infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Assisii anno incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo septuagesimo sexto, octavo kal. septembris, pontif. nostri anno sexto.

XI, 25. — *Originale.* = Nr. 450: XIV, 14. — *Exemplum.*

314. *1476, 25 augusti.*

Sixtus episc. *etc.* ad perpetuam rei memoriam.

Venerabilem sanctamque ecclesiam domus sancti Francisci de Assisio Ordinis fratrum Minorum, de quo dum illius generalis Ministri fungebamur officio, ad Cardinalatus honorem, ac tandem ad summi Apostolatus apicem divine miserationis providentia Nos vocavit, plurimum diligentes, et considerantes quod divina maiestas meritis eiusdem Sancti singularibus celestis gratie donis reddere voluit insignitam, ad ea libenter intendimus per que ecclesia ipsa, que domus est orationis in

terris, per divinorum officiorum celebrationem assiduam, digna devotione, fide et reverentia a Christi fidelibus veneretur (1) et eiusdem domus structure et edificia valeant conservari.

Cum itaque monasterium sancti Nicolai de Campolongo Ordinis sancti Benedicti, Assisinat. diocesis, ex eo quod venerabilis frater noster *Leo* episcopus Scitien., qui illud ex concessione et dispensatione apostolica in commendam obtinebat, commende huiusmodi per venerabilem fratrem nostrum Iohannem (2) episcopum Vasionen. procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte et libere cessit, Nosque cessionem ipsam duximus admittendam, adhuc eo quo dum eidem episcopo comendatam extitit vacabat, modo vacet ad presens; et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum *Ioannes de Trevio* dicti Ordinis fratrum Minorum et Theologie professoris ac Ministri dicte Provincie et in romana Curia eiusdem Ordinis fratrum Minorum Procuratoris et *Francisci de Force* Custodis ac Fratrum dicte domus petitio continebat, domus prefata tum ratione civitatis nostre Assisii, in qua sita est et unde dictus sanctus Franciscus originem traxit, tum structurarum que opere admodum sumptuoso dudum mirifice constructe fuerunt magnitudine, tum etiam continuata apud omnes et presertim dicti Ordinis fratrum Minorum professores fama et reputatione principalior domus totius predicti fratrum Minorum Ordinis existit, expediretque propterea, pro conservanda mira Christi fidelium devotione ad eam, quod in ipsa domo esset continuo magnus numerus Fratrum dicti Ordinis Minorum, qui amplissimas eiusdem domus officinas inhabitarent et in prefata ecclesia, superiori ac inferiori parte, Missas et alia divina officia etiam solemnius et in maiori numero quam in ecclesiis aliarum domorum dicti Ordinis fieri consueverit iugiter celebrarent, et conservatione structurarum ipsius domus que, nisi desuper post nostram ad summi Apostolatus apicem assumptionem gravissima impensa obviassemus, ad ruinam manifeste tendere videbantur, curam habeant; et quia proventus sacristie dicte domus et pia Christi fidelium suffragia ac elemosine ad premissa non sufficiunt, consueverunt generalis et Provincie predicte provincialis Minister in eorum generalibus et provincialibus Capitulis inibi longe minorem numerum Fratrum quam expediat, ut prefertur, deputare; et, ut eadem petitio subiungebat, si in monasterio predicto, quod in rure consistit ac conventu et monachis caret, abbatialis dignitas et Ordo sancti Benedicti predictus ac nomen et titulus monasterii penitus et omnino supprimerentur et extinguerentur, ipsiusque monasterii structure et edificia, que pro magna parte ad ruinam devenerunt, ac bona omnia prefate sacristie pro premissorum onerum supportatione et decentis numeri Fratrum in dicta domo sustentatione perpetuo appropriarentur et applicarentur, verisimiliter speretur quod onera predicta supportari et decens numerus Fratrum ibidem sustentari comodius valerent; fueritque pro parte Ministri, Custodis et Fratrum pre-

(1) Orig. *veneratur.* (2) De Montemirabili, iam can. Lingon., creatus 1473, † 1479: Eub., *Hier.* II[1], 288.

dictorum nobis humiliter supplicatum ut in dicto monasterio abbatialem dignitatem, Ordinem sancti Benedicti, nomen et titulum monasterii huiusmodi penitus et omnino supprimere et extinguere, illiusque structuras et edificia ac bona omnia prefate sacristie applicare et appropriare aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus et ordinavimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum valorem tam beneficii uniendi quam illius cui unio fieri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, et sub regularibus institutis dicti Ordinis Minorum ac illius voluntarie paupertatis vexillo a teneris enutriti de premissis plenarie informati sumus, fructus, redditus et proventus sacristie ac ultime vacationis monasterii predictorum modum, etiam si ex illo generalis reservatio resultet, presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in dicto monasterio, cuius fructus, redditus et proventus sexaginta florenorum auri de Camera secundum comunem extimationem, ut dicti Minister, Custos et Fratres asserunt, non excedunt et super quibus dilectus filius Fabianus de Montepolitiano archipresbiter ecclesie sancte Marie etiam de Montepolitiano, Camere apostolice clericus, pensionem annuam decem et octo florenorum auri similium dudum sibi apostolica auctoritate reservatam percipit annuatim, quovis modo et ex cuiuscumque persona vacet et ex quavis causa illius provisio ad Sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, abbatialem dignitatem, nomen et titulum monasterii ac Ordinem sancti Benedicti huiusmodi, auctoritate apostolica, tenore presentium supprimimus et penitus extinguimus, ac illius structuras et edificia necnon bona omnia prefate sacristie pro premissorum onerum supportatione et Fratrum in decenti numero ibidem sustentatione perpetuo applicamus et appropriamus. Ita quod Ministro, Custodi et Fratribus predictis liceat structurarum et edificiorum ac bonorum omnium dicti monasterii corporalem possessionem propria auctoritate apprehendere et illorum fructus, redditus et proventus in premissos usus et eorum licitos convertere et perpetuo retinere, Diocesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus voluntate et ordinatione nostris predictis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon domus, monasterii et Ordinum predictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem quod propter suppressionem, extinctionem, applicationem et appropriationem predictas, ecclesia dicti monasterii ad prophanos usus non redigatur sed in illa Misse et alia divina officia quandoque celebrentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre suppressionis, extinctionis, applicationis et appropriationis infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Assisii anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, octavo kal. septembris, pontificatus nostri anno sexto.

XI, 26. — *Originale.* = Nr. 449: XIV, 13, 15, 16; nr. 502: XV, 32. — *Exempla.*

316. *1479, 2 februarii.*

Sixtus episc. *etc.* dilectis filiis Custodi ac Fratribus domus sancti Francisci de Assisio, ordinis Minorum, salutem *etc.*

Applicavimus dudum sacristie domus vestre sancti Francisci de Assisio structuras, edificia ac bona omnia olim monasterii sancti Nicolai de Campolongo Ordinis sancti Benedicti, Assinatis diocesis, pro nonnullis dicte domus oneribus commodius perferendis, de beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura que ad collationem Abbatis dicti monasterii pro tempore existentis cum conventu eiusdem monasterii vel sine, de antiqua et approbata ac usque ad tempus facte applicationis huiusmodi observata consuetudine pertinebant, aliter mentione non facta.

Cupientes igitur necessitatibus vestris ulterius providere ac ipsa beneficia, quecumque, quotcunque et qualiacumque sint, illorumque ac dicti monasterii et sacristie huiusmodi fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores presentibus pro expressis habentes, dilecti filii *Ioannis de Trevio* vestri Ordinis professoris, provincie dicti Sancti Ministri ipsiusque Ordinis Procuratoris, ac vestris supplicationibus inclinati, omnia et singula beneficia predicta cum omnibus et singulis iuribus et pertinentiis eorumdem sacristie predicte perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ita quod de cetero si vacent quovis modo ex nunc, alioquin cedentibus vel decedentibus illorum possessoribus seu illa alias quomodolibet dimittentibus, prout quisque ea obtinens decesserit, cesserit vel dimiserit, liceat vobis beneficii quod talis cedens, decedens vel dimittens obtinebat possessionem propria auctoritate apprehendere et illorum fructus, redditus et proventus in dicte sacristie utilitatem et alias vestras et huiusmodi domus necessitates convertere et perpetuo retinere, ac eisdem beneficiis per aliquem etiam dicti Ordinis professorem, ad nutum vestrum amovibilem, in divinis deserviri facere et illorum onera etiam in ministratione sacramentorum perferre, Diocesani loci vel cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus illa per quam dudum voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica uniri tenerentur exprimere verum valorem tam beneficii uniti quam illius cui unio fieri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, et aliis apostolicis constitutionibus monasterii et Ordinum predictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et

consuetudinibus, ac omnibus illis que in dicta applicatione voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, quarto non. februarii, pontif. nostri anno octavo.

XI, 28. — *Originale.* = Nr. 451: XIV, 15; nr. 503: XV, 32. — *Exempla.*

318. *1281, 20 decembris.*

Venerabili fratri episcopo Gadicensi

SIXTUS PAPA IIII.

Venerabili fratri salutem et apostolicam benedictionem.

Alias, dum in minoribus constituti Generalatus officio in Ordine Minorum fungeremur, pro quiete et concordia inter Conventuales et Fratres de Observantia nuncupatos servanda quandam Bullam fieri procuravimus, qua inter cetera cavetur, sub excommunicationis et aliis gravibus penis, ne Ministri Provinciarum eorum Fratres recipiant nisi sui superioris habita et in scriptis obtenta licentia, quodque ipsi Fratres de Observantia nuncupati nullo modo aut colore conventus, loca et monasteria generali Ministro et aliis provincialibus Ministris subiecta que erant, sub eorum cura habere vel recipere possent vel deberent, prout in ipsa Bulla plenius continetur (1).

Nuper vero dilecti filii generalis Minister Ordinis Minorum et *Alfonsus Zamorensis* (2) frater dicti Ordinis, ad prensens nuntius et commissarius noster, exposuerunt nobis quod Fratres ipsi de Observantia superioribus annis in diversis Provinciis multos conventus fratrum Minorum contra huiusmodi Bulle tenorem occuparunt et de novo, nulla legitima subsistente causa aut culpa dictorum Conventualium seu aliorum Fratrum sub obedientia prefati generalis Ministri degentium, tacita veritate, a Nobis surreptitie impetrarunt in provinciis Canarie, Guinee et Africe, conventum *S. Marie de Iesu* prope S. Lucam de Barrameda, et loca, videlicet *Sancte Marie matris Dei* iuxta civitatem *Xiricen.* et *S. Marie de la Veredas* iuxta villam de *Utrera* et *S. Marie de Valle* iuxta locum de *Mongtinilla* et *S. Salvatoris* iuxta oppidum de *Alharam* et loca insularum *Canarie* (3) per dilectos filios Alfonsum de Balano et fr. *Andream de Cumis* et prefatum fr. *Alfonsum Zamoren.* ac alios Fratres in dictis conventu et locis commorantes edificata et constructa et

(1) Pauli II, *Cum pueri,* 27 febr. 1466: cfr. *Indiculus Bullarii Ser.,* II, 56, n. 1.

(2) Nuncius apostolicus « ad insulam Canariam pro conversione incolarum dictae insulae ad fidem catholicam » destinatus: Wadd., *Annales,* ad ann. 1484 *Regest. Pont.,* vol. XIV, 583; cf. 388, n. 62.

(3) De his conventibus, ad Canariae Custodiam tunc pertinentibus et postea provinciae Baeticae in Hispania aggregatis, vide Gonzaga, *De origine* etc., Venetiis 1603, p. 1037 ss., et specialiter, iuxta ordinem Bullae: conv. 11, p. 1046; monast. 4, p. 1061; conv. 9, p. 1045; pro ceteris cf. conv. 2, p. 1039-41, si saltem eadem sint loca et nomina.

sub obedientia generalis Ministri prefati Ordinis Minorum existentia. Unde Generalis et fr. *Alfonsus Zamoren.* prefati a nobis de oportuno super hoc remedio supplicarunt.

Nos igitur attendentes quod, si premissa nobis fuissent exposita, nunquam Fratribus ipsis de Observantia talem concessionem fecissemus (1), cupientes paci et tranquillitati ipsorum Fratrum prospicere, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue expresse precipiendo committimus et mandamus, quatenus sub penis et censuris ecclesiasticis et aliis iuris remediis conventum et loca predicta ac Fratres sub obedientia generalis Ministri Ordinis Min. existentes conserves et manuteneas, ac ad illa cum predictis fratribus Minor. conservandum et manutendum, donec aliter desuper statuerimus, dilectum filium nobilem virum ducem Mutinensem nostro nomine stricte requiras et, ut sic fiat, omni oportuno remedio, via et modo procures et efficias; non obstantibus quibusvis litteris et facultate dictis de Observantia Fratribus desuper concessis et illis Vicario ultramontano decimo halendas decembris presentis anni cum clausula motu proprio commissis, quas interim, quousque re bene intellecta aliter desuper provideamus, suspendimus. Ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XX decembris, pontif. nostri anno decimo.

XI, 30. — *Originale.*

319. *1483, 20 ianuarii.*

Dilecto filio ... Potestati civitatis nostre Assisii

SIXTUS PAPA IIII.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Mittimus tibi supplicationem presentibus introclusam, manu venerabilis fr. A(rdicini) (2), episcopi Alerien., referendarii nostri domestici, in presentia nostra signatam. Volumus igitur et tibi committimus et mandamus ut, vocatis vocandis, ad illius executionem procedas iuxta eius signaturam.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XX ianuarii, pontif. nostri anno duodecimo.

L. Grifus.

XI, 31. — *Originale.*

---

(1) Desiderantur hae litterae concessionis alteraeque in fine memoratae.
(2) De Porta, 1475, creatus cardinalis 1489, † 1493: Eubel, *Hier.*, II¹, 21, 95.

320. *1486, 5 novembris.*

Innocentius episc. *etc.* ven. fratri... episcopo Assisinat. salutem *etc.* Significarunt Nobis dilecti filii Custos et Fratres domus S. Francisci Assisinat. Ordinis Minorum quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, calices, cruces, paramenta ecclesiastica, terras, molendina, possessiones, vineas, ortos, campos, prata, pascua, nemora, silvas, arbores, arborum fructus, ligna, postes, pisces, piscarias, aquas, aquarum decursus, vini, bladi, frumenti ordei, avene, lini, lane, cere, olei, auri, argenti monetati et non monetati quantitates, casseas, ciphos, coclearia, discos, scutellas, vasa aurea, argentea, erea, cuprea, stannea, ferrea, lignea, pannos laneos, lineos, sericeos, vestes, tunicas, foderaturas, mantellos, caputia, zonas, anulos, perlas et alia iocalia, lectos, culcitras, linteamina, mappas, manutergia, domorum utensilia, equos, iumenta, boves et alia animalia, libros, scripturas publicas et privatas, testamenta, codicillos et alia documenta, debita, credita, legata, deposita, pecuniarum summas et nonnulla alia mobilia et immobilia bona eisdem Custodi et Fratribus pro reparatione et conservatione dicte domus illiusque ornamentis ecclesiasticis ac aliis pro divino cultu inibi necessariis, in elemosinam etiam per q. Antonium del Conte laicum Assisinat. in eius ultima voluntate pie relicta, temere et malitiose occultare et occulte detinere presumunt, non curantes ea Custodi et Fratribus prefatis exhibere, in animarum suarum periculum, ipsorumque Custodis et Fratrum ac domus non modicum detrimentum; super quo iidem Custos et Fratres apostolice Sedis remedium implorarunt.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus omnes huiusmodi occultos detentores calicum, crucum et aliorum bonorum predictorum ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo

per te vel alium seu alios moneas, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeris, ea Custodi et Fratribus prefatis a se debita restituant et revelent ac de ipsis plenam et debitam satisfactionem impendant, et si id non adimpleverint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas et eam facias, ubi et quando expedire videris, usque ad satisfactionem condignam solemniter publicari.

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo octuagesimo sexto, nonis novembris, pontif. nostri anno tertio.

XII, 1. — *Originale.*

321. *1488, 6 februarii.*

Innocentius episc. *etc.* venerabili fratri Iulio Cesari episc. Montispilosii (1) in civ. Assisinat. commoranti salutem *etc.*

Conquesti sunt Nobis Custos et Fratres domus S. Francisci Assisinat. Ordinis Min. quod Bernardinus de Salvis civis Assisinat., legum doctor, super quadam pecunie summa eisdem Custodi et Fratribus pro reparatione et conservatione dicte domus illiusque ecclesie ornamentis ecclesiasticis ac aliis pro divino cultu inibi necessariis in elemosinam pie erogata iniuriatur eisdem.

Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere.

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo, octavo idus februarii, pontif. nostri anno quarto.

XII, 2. — *Originale.*

322. *1486, 20 novembris.*

Dilecto filio Custodi domus S. Francisci de Assisio Ordinis eiusdem Sancti presenti et pro tempore existenti

INNOCENTIUS PAPA VIII.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Dudum, ut accepimus, in civitate ista nostra Assisii apostolica fuit auctoritate prohibitum (2) ne quis sub excommunicationis late sententie

(1) Iulius Caesar Cantelmus, promotus 1482, resignavit 1491: Eub., *Hier.*[1], 216.

(2) Cf. Bullam supra sub nr. 320 editam, nisi tempore nimis propinquam eam censeas.

pena, a qua preterquam a romano Pontifice nisi in mortis articulo constitutus absolvi nequeat, in bonis domus istius S. Francisci Assisinat. Ordinis eiusdem Sancti damnum inferre presumeret. Ex quo nonnulli pro levi plerumque damno excommunicati ad Sedem apostolicam pro absolutione venire non valentes, in censuris huiusmodi irretiti permanent, non sine animarum suarum periculo et aliorum fidelium scandalo.

Quare cum Nobis fuerit humiliter supplicatum ut super hoc oportune providere de benignitate apostolica dignaremur; Nos, qui salutem animarum quorumcumque Christi fidelium vehementer desideramus, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi et pro tempore existenti Custodi prefate domus, ut omnibus qui pro damnis in bonis dicte domus per eos illatis excommunicationis huiusmodi sententiam hactenus incurrerunt aut in futurum incurrent, absolutionis beneficium, si id humiliter petierint, impendere, iniuncta eis pro modo culpe penitentia salutari et aliis que de iure fuerint iniungenda, libere ac licite possit et valeas, apostolica auctoritate presentium tenore facultatem et potestatem concedimus et indulgemus. Premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XX novembris MCCCCLXXXVI, pontif. nostri anno tertio.

XII, 3. — *Originale.*

323. *1491, 13 martii.*

Innocentius episc. *etc.* universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem *etc.*

A supremo Patrefamilias, meritis licet insufficientibus, in domo Domini dispensatores effecti, thesaurum dominicum divinitus Nobis commissum sic dispensare Nos convenit, ut per illius erogationem populum christianum Domino acceptabilem et bonorum operum ac religionis, presertim Ordinis fratrum Minorum, septatorem reddere valeamus, et Fratres predictos pro rebus fidei ortodoxe in unum convenientes et alios Christi fideles ad complacendum Deo quasi quibusdam alectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus, invitemus, ut exinde redantur divine gratie aptiores et fides ipsa felitia exinde suscipiat incrementa.

Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii predicti Ordinis Minorum professores pro laudabili reformatione cunctarum personarum sub regulari habitu dicti Ordinis Altissimo dedicatarum eorum Capitulum generale in festo Pentecostes proxime futuro in civitate nostra Asisii celebrare intendant (1), ad cuius celebrationem viri utique religionis zelo

(1) Hinc omne e medio tollitur dubium circa annum huius generalis Capituli, quod Marianus (*Compendium Chronicarum,* ap. AFH IV, 330) ponit sub anno 1492, Waddingus vero sub anno 1490, dum ceteri scriptores (Rodulphius, De Gubernatis etc.) recte referunt sub anno 1491: cf. AFH l. c., not. 6. Error Waddingi (et P. Alva et Astorga, *Indiculus,* II, 113) ab errata styli Incarnationis computatione repetendus est.

et litterarum scientia ac morum probitate prediti ipsius Ordinis professores, Altissimo favente, sunt in magno numero accessuri, ad quorum sustentationem domus ecclesie S. Francisci dicti Ordinis in eadem civitate Asisii nullo modo suppetunt facultates, quinimmo pro eorum sustentatione ac incumbentium onerum supportatione Christi fidelium largitiones plurimum necessarie fore noscuntur; Nos igitur, ut Fratres dicti Ordinis ad Capitulum huiusmodi celebrandum, et alii Christi fideles devotionis causa ad ecclesiam predictam eo tempore uberius confluant et pro dictorum profexorum et onerum supportatione manus prontius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, undecumque fuerint vel ubicumque moram traxerint, qui in festo predicto proxime futuro ab ipsius primis vesperis usque ad secundas vesperas diei immediate sequentis inclusive ecclesiam dicte domus devote visitaverint et ad huiusmodi sustentationem ac supportationem manus porrexerint adiutrices, plenam omnium peccatorum suorum remissionem indulgemus, indulgetiamque tenore presentium concedimus et elargimur; nec non illis qui ex nunc vel durante dicto Capitulo pro Fratrum ad ipsum convenientium sustentatione et ipsorum refectione manus porrexerint adiutrices eandem plenam omnium peccatorum suorum remissionem indulgemus pariter et elargimur.

Et insuper, ut fideles Christi ad eandem ecclesiam predicto tempore confluentes et contribuentes, ut dictum est, conscientie pacem et animarum salutem Deo propitio consequantur, ac huiusnodi indulgentie et remissionis participes esse possint, dilecto filio (*Francisco Sansoni*) Generali eiusdem Ordinis nonnullos, prout ei videbitur, ipsius Ordinis professores idoneos in confessores eligendi et deputandi ipsisque sic electis et deputatis confessiones predictorum Christi fidelium visitantium et porrigentium prefato tempore in dicta ecclesia seu in eius ambitu licitum audiendi et pro commissis, dummodo talia non fuerint propter que Sedes apostolica merito esset consulenda, debitam absolutionem auctoritate apostolica impendendi et penitentiam salutarem iniungendi, vota vero peregrinationis et abstinentie que dicti visitantes et porrigentes comode servare non poterunt, peregri[...] [1] nam [...] ultramarine et S. Iacobi in Compostella ac castitatis [et] religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi plenam et liberam concedimus facultatem.

Preterea volumus et etiam decernimus quod presens remissio et indulgentia, quacumque suspensione consimilium indulgentiarum per Nos seu predecessores nostros romani Pontifices quocumque respectu facta vel forsan facienda non obstante, plenum et omnimodum effectum habere debeant, quodque Diocesani et Ordinarii locorum nec non parrochialium ecclesiarum rectores et quorumcunque Mendicantium Ordinum

---

(1) Charta perforata.

Fratres ubilibet constituti presentium litterarum publicationem, insinuationem et notificationem in sermonibus et aliis divinis offitiis, que in ipsorum ecclesiis fieri contigerit, libere et absque alicuius rei exactione facere teneantur et quotiens super his requisiti fuerint fieri permictant, sub suspensionis a divinis in Episcopos et Superiores, ac excommunicationis in alios ab eis penis; quas, si secus fecerint, ipsos et ipsorum quemlibet incu[rrere] volumus; quodque earundem presentium transuntis per aliquem notarium publicum subscriptis et sigillo alicuius curie ecclesiastice munitis ubicunque exibita fuerint et ostensa, stetur, illisque plena fides adhibeatur in omnibus, prout ipsis presentibus staretur, si forent exibite, ostense vel presentate.

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnat. Dominice MCCCCLXXXX°, tertio idus martii pontif. nostri anno septimo.

XII, 4. — *Originale.*

324. *1501, 27 ianuarii.*

Alexander episc. *etc.* ad perpetuam rei memoriam.

Digna exauditione vota personarum humilium divinis laudibus sacreque religioni deditarum apostolico Nos convenit favore prosequi, et ne eorum que pro ipsorum submovendis incommodis a Nobis emanarunt frustrentur effectu, de oportuno remedio providere.

Dudum siquidem prioratu domus S. Iohannis extra muros castri Turris Alfini sepulchri Dominici (1) Ordinis S. Augustini Urbevetan. diocesis, quem dilectus filius *Petrus Pauli de Aquapendente* Ordinis Minorum professor ex concessione et dispensatione apostolica tunc in commendam obtinebat, commenda huiusmodi, ex eo quod ipse *Petrus* illi per certum procuratorem suum ad id ab eo spetialiter constitutum in manibus nostris sponte et libere cessit, Nosque cessionem ipsam duximus admittendam, cessante, adhuc eo, quo dum eidem *Petro* commendatus fuit (2) vacabat, modo vacante; et pro parte dilectorum filiorum *Egidii de Amelia* Ministri generalis (3) ac Guardiani domus S. Francisci Assissinat. dicti Ordinis Minorum Nobis exposito quod, si dictus prioratus infirmarie eiusdem domus S. Francisci pro illius Fratribus infirmis et egrotis pro tempore existentibus commodius curandis, nutriendis, sustentandis et alendis ac aliis dicte infirmarie incumbentibus oneribus supportandis perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, ex eo profecto Fratres infirmi et egroti huiusmodi commodius ali, nutriri, sustentari et curari ac (4) alia onera predicta facilius perferre (5) valerent; Nos, ipsorum Ministri generalis et Guardiani in ea parte supplicationibus inclinati, Prioratum predictum, quovismodo et ex cuiuscunque persona vacaret, eidem infirmarie perpetuo per alias (6) nostras litteras (7)

(1) Hic ponuntur variationes Bullae sub nr. **325**, quousque eius tenor huic similis persistit. — Add. *Ierosolimitani.*

(2) *fuerat.* (3) Delphini, 1500-1506. (4) *et.*

(5) *perferri.* (6) *quasdam.* (7) Quae desiderantur.

univimus, annexuimus et incorporavimus, prout in illis, in quibus quod fructus, redditus et proventus dicti prioratus vigintiquatuor florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedebant expressum fuit (1), plenius continetur.

Cum (2) autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte Ministri et Guardiani eorumdem petitio continebat, a nonnullis asseratur fructus, redditus et proventus predictos tempore dati earumdem litterarum plus valuisse et adhuc (3) valere quam in dictis litteris expressum fuerit (4), licet quadraginta florenorum similium secundum predictam extimationem valorem annuum non excederent, prout non excedunt (5), et propterea Minister et Guardianus prefati dubitent (6) litteras predictas surreptionis vitio subiacere illasque sibi minus utiles existere seque desuper molestari posse tempore procedente; Nos (7) eisdem Ministro et Guardiano, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, providere eosque gratioso favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad affectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; ipsorum Ministri et Guardiani in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod littere ac unio, annexio et incorporatio predicte et inde secuta quecunque a data presentium valeant plenamque roboris firmitatem obtineant et eis suffragentur in omnibus et per omnia, perinde ac si in dictis litteris quod fructus, redditus et proventus predicti quadraginta florenorum similium secundum eandem extimationem valorem annuum non excedebant expressum extitisset.

Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis que in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, voluntatis et constitutionis infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo, sexto kal. februarii, pontif. nostri anno nono.

XII, 5. — *Originale.* = Nr. 453: XIV. 17a, 17b, 17c, 44. — *Exempla.*

325. *1501, 27 ianuarii.*

Alexander episc. *etc.* ad perpetuam rei memoriam.

Digna exauditione vota *etc., ut supra nr. 324 usque* tempore procedente; Nos eorumdem Ministri et Guardiani etiam in hac parte suppli-

(1) *fuerat.*

(2) *Et deinde hodie pro parte dictorum Ministri et Guardiani etiam nobis exposito quod a nonnullis asserebatur fructus, redditus.*

(3) *tunc.* (4) *fuerat.*

(5) *prout tunc non excedebant.* (6) *predicti dubitabant.*

(7) Sequitur, ut infra, diverso prorsus tenore.

cationibus inclinati, voluimus et apostolica auctoritate decrevimus quod littere ac unio, annexio et incorporatio predicte et inde secuta quecumque a data predictarum litterarum valerent plenamque roboris firmitatem obtinerent et eis suffragarentur in omnibus et per omnia, perinde ac si in dictis litteris quod fructus, redditus et proventus predicti quadraginta florenorum similium, secundum predictam extimationem, valorem annuum non excedebant expressum extitisset, prout in aliis nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Cum autem felicis recordationis Innocentius papa VIII predecessor noster solerti meditatione pensans quod inter precipua presidia et contra inimicos orthodoxe fidei defensiones Ordo Hospitalis S. Iohannis Ierosolimitan. assiduum propugnaculum existit ac pro eiusdem fidei conservatione, tutela et augmento viros religione decoros, propugnatores Ordinis, in temporalibus providos et in spiritualibus circumspectos producit, et quod tunc Magister et Fratres dicti Hospitalis superioribus annis, dum Turci Crucis Christi persecutores eos intra civitatem Rhodi terra marique arcta obsidione conclusos tenerent et ipsius urbis menia machinarum et aliorum instrumentorum, que bello usui esse solent, impetu solo magna ex parte equassent, sepius cum eisdem Turcis pro fidei catholice et Rodie urbis defensione manus intrepide cum maxima Turcorum strage conseruerant et victores, auxiliante Domino, evaserant, in ea tamen obsidione, oppugnatione et congressu quamplures Fratres et milites Christi ac acerrimi propugnatores perierant, et pro huiusmodi civitatis, opidorum, locorum, insularum et subditorum tutela, defensione et manutentione murorum turriumque prolapsorum reintegratione, fortificatione, restitutione et reedificatione permagna expensarum onera necessaria subire compulsi erant, quodque militum et Fratrum Hospitalis eiusdem numerus pariter et facultates ad supportandum tanti belli infidelium molem ac illorum tam grandi potentie resistendum plurimum tenues existebant, cavendumque erat ne ob virium imparitatem nefandi hostes non sine maximo et pernitioso catholice fidei dedecore et detrimento prevalerent; de fratrum suorum consilio inter alia Sepulchri Dominici Ordinis S. Augustini huiusmodi cum eius iuribus et proprietatibus et illius archiprioratus, prioratus et membra ac in dicti Ordinis prioratibus, domibus et membris illorum nomina, dependentias et pertinentias omnino suppresserit et extinxerit illaque omnia et singula per universum orbem consistentia dicto Hospitali S. Iohannis pro illius membris univerit, incorporaverit, concesserit et assignaverit, ac personas dicti Ordinis suppressi ab illius regularum, institutorum observatione, exceptis tribus votis substantialibus per eas forsan emissis, et habitus eiusdem suppressi Ordinis gestatione absolverit et ad Hospitale ipsum et illius Ordinem transtulerit, ac voluerit ut de cetero illum gestarent habitum qui per Fratres dicti Hospitalis gerebatur et habebatur ac illius regularibus institutis se conformarent, et tam qui in titulum quam qui in commendam tunc illa obtinebant ad aliorum Fratrum dicti Hospitalis instar, iuxta Magistri et Fratrum predictorum aut ab eis auctoritatem habentium providam moderationem, pro temporum qualitate de eorumdem

membrorum que sic obtinerent proventibus communi thesa[uro] dicti Hospitalis suffragia et onera exhiberent annuatim ac Magistri et conventus predictorum mandatis obtemperarent, nec quovis modo clam vel palam illi qui huiusmodi prioratus, beneficia aut loca dicti Ordinis suppressi tenebant eis cederent aut renuntiarent vel de eis donationem facerent absque expresso consensu, licentia et auctoritate Magistri et conventus predictorum, quod si secus facerent irritum et inane decreverit et nichilominus penam privationis beneficiorum et excommunicationis late sententie eo ipso incurrere censerentur, ac plenam Magistro et conventui prefatis ac habentibus ab eis potestatem ex eisdem sic suppressi Ordinis prioratibus, domibus et membris Ierosolimitan. huiusmodi prioratus, baiulivas et preceptorias ad instar aliorum membrorum dicti Hospitalis ordinandi et, cum pro tempore vacarent, de eis disponendi facultatem concesserit, decreveritque prioratus, domos et membra suppressi Ordinis huiusmodi dicto Hospitali, ut prefertur, applicata et illa tunc et pro tempore obtinentes privilegiis, favoribus et indultis quibus alia eiusdem Hospitalis membra et Fratres potiebantur et gaudebant, uti, potiri et gaudere posse et debere in hiis que Hospitali et membris eius ac illa obtinentibus concederentur imposterum, pari modo includi, irritumque ac inane quicquid super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari, prout in ipsius Innocentii predecessoris litteris desuper confectis plenius continetur.

Et, sicut accepimus, in privilegiis, indultis et litteris apostolicis dicto Hospitali etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine et de simili consilio et sub quibusvis verborum formis etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis concessis et per Nos et Sedem predictam iteratis vicibus approbatis et innovatis, inter alia caveri dicitur expresse quod dicti Hospitalis preceptorie et alia beneficia per dicti Hospitalis Magistrum pro tempore existentem et prefatos conventum iuxta stabilimenta dicti Hospit[alis illi]s ([1]) Fratribus magis anctianis et qui habitum a Magistro et conventu prefatis eis exhibitum prius per certum tempus gestaverint ac professionem in manibus eiusdem Magistri emiserint dumtaxat et non alias conferri debeant collationes quoque, provisiones, uniones, annexiones, incorporationes et quevis alie dispositiones per alios quam Magistrum [et] conventum predictos, etiam per romanum Pontificem pro tempore de preceptoriis et beneficiis predictis, etiam apud Sedem eandem vacantibus, cum privilegiorum, indultorum et litterarum predictorum expressa derogatione facte, nullius sint roboris vel momenti, nec ille alicui ius vel titulum coloratum tribuant possidendi nec censeatur eisdem privileg[iis et] stabilimentis per quascumque clausulas etiam derogatoriarum derogatoriis, fortiores, efficaciores et insolitas quomodolibet derogatum, nisi derogatio huiusmodi de consilio sancte romane Ecclesie Cardinalium fiat, nec etiam tunc nisi ad id Magistri et conventus pre-

([1]) Verba quae ob chartam perforatam deficiunt, ex exemplo supplentur.

dictorum expressus accesserit assensus fuerintque littere derogatorie huiusmodi etiam per [dictum] Magistrum subscripte et eis etiam per diversas in forma Brevis litteras diversis temporibus cum certis intervallis presentatas, insinuate et non alias nec alio modo, censeaturque semper in huiusmodi [q]ue sic fient etiam de simili consilio derogationibus apposita clausula quod ille effectum sortiantur de consensu Magistri et conventus predictorum et etiam non [alia]s nec alio modo, habeantque privilegia et indulta huiusmodi vim contractus inter romanam Ecclesiam et Magistrum et conventum prefatos inibi.

Et pro eo quod in litteris nostris predictis de litteris Innocentii predecessoris et contentis in eis ac privilegiis, indultis, litteris et stabilimentis huiusmodi nulla mentio facta fuit, dubitent ipsi Minister et Guardianus easdem nostras litteras surreptionis vitio subiacere illasque eis minus utiles existere seque desuper molestari posse, tempore procedente; Nos eisdem Ministro et Guardiano, ne litterarum nostrarum predictarum frustrentur effectu, providere eosque gratioso favore prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; ipsorum Ministri et Guardiani in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et prefata apostolica auctoritate decernimus quod singule littere nostre ac unio, annexio et incorporatio predicte et inde secuta quecunque a data presentium valeant plenamque roboris firmitatem obtineant et eis suffragentur in omnibus et per omnia, perinde ac si in dictis litteris nostris de litteris Innocentii predecessoris et contentis in eis ac privilegiis, indultis, litteris et stabilimentis predictis plena et expressa mentio facta illisque omnino derogatum extitisset.

Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non dicti Hospitalis statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ac litteris Innocentii privilegiis, indultis et litteris predictis; quibus omnibus et singulis, etiam si quascumque clausulas in se continerent ac de illis eorumque totis tenoribus pro illorum sufficienti derogatione plena, expressa, spetialis, specifica et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut alia exquisita forma habenda foret, tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat spetialiter et expresse derogamus; nec non omnibus illis que in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, voluntatis, constitutionis et derogationis infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo, sexto kalendas februarii, pontif. nostri anno nono.

XII, 6. — *Originale.* = Nr. 451: XIV, 18. — *Exemplum.*

326. *1513, 15 martii.*

Leo Papa X universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem *etc.*

A supremo Patrefamilias, meritis licet insufficientibus, in domo Domini dispensatores effecti, thesaurum dominicum divinitus nobis commissum sic dispensare Nos convenit, ut illius erogatione populum christianum Domino acceptabilem et bonorum operum ac religionis, presertim Ordinis fratrum Minorum S. Francisci, sectatorem reddere valeamus, et Fratres predictos pro rebus fidei orthodoxe in unum convenientes et alios Christi fideles ad complacendum Deo quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus, invitemus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores et fides ipsa felicia suscipiat incrementa.

Cum itaque, sicuti accepimus, dilecti filii predicti Ordinis Minorum professores pro deputatione et electione eorum generalis Ministri generale Capitulum in civitate nostra Assisii, in quo corpus eiusdem gloriosi Sancti dicti Ordinis fundatoris et institutoris requiescit, in festo Pentecostes proxime futuro celebrare intendant (1) ad cuius celebrationem viri utique zelo religionis et litterarum scientia ac morum probitate prediti ipsius Ordinis professores, Altissimo favente, sunt accessuri, ad quorum sustentationem ac incumbentium onerum supportationem communeque dicti Ordinis comodum Christi fidelium largitiones plurimum oportune fore noscuntur: Nos, ut Fratres dicti Ordinis ad Capitulum huiusmodi celebrandum, et alii Christi fideles devotionis causa ad ecclesiam predictam, in qua divina officia solemniter celebrantur, eo tempore liberius confluant et manus promptius pro dictorum professorum et onerum supportatione porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui proximo festo Penthecostes ab ipsius primis vesperis usque ad secundas vesperas ferie tertie immediate sequentis inclusive, ecclesiam dicte domus devote visitaverint et ad premissa manus porrexerint adiutrices, vel impediti aut infirmitate aliqua detenti eo se conferre non poterunt, et aliquid in subventionem dicti Capituli miserint, ex nunc plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam tenore presentium concedimus et elargimur.

Et insuper ut Christi fideles ipsi ad eandem ecclesiam predicto tempore confluentes et contribuentes seu mittentes, conscientie pacem et animarum salutem, Deo propicio, consequantur, ac indulgentie et remissionis huiusmodi capatiores reddantur, dilecto filio fratri *Bernardino de Ripa* (2) dicti, Ordinis Vicario generali, nonnullos prout ei videbitur, ipsius

---

(1) Celebratum fuit revera inibi hoc anno: AFH IV, 338 nota 1.

(2) Bernardinus Pratus de Cherio, Ligur, ut nostri habent scriptores, qui tamen ignorant eum fuisse Vic. gen. et Capitulum rexisse: in quo gen. Minister electus est, 1413-1417: AFH IV, 338.

Ordinis professores idoneos in confessores eligendi et deputandi, qui confessiones predictorum Christi fidelium visitantium et porrigentium prefato tempore in dicta ecclesia seu in eius ambitu, et duodecim aliis conventibus sive domibus in Italia per eum eligendis licite audire et pro commissis, dummodo talia non fuerint propter que Sedes apostolica merito esset consulenda, debitam absolutionem auctoritate apostolica impendere et penitentiam salutarem iniungere; vota vero quecumque, visitationis liminum beatorum Petri et Pauli de Urbe atque sancti Iacobi in Compostella apostolorum necnon religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare possint et valeant, auctoritatem et facultatem concedimus per presentes.

Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Cancellarie apostolice regulis ac similium indulgentiarum suspensionibus seu revocationibus, presertim per felicis recordationis Iulium II predecessorem nostrum pro fabrica basilice beati Petri principis apostolorum de Urbe seu alios romanos Pontifices predecessores nostros factis, quibus omnibus quo ad hec specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ceterum, quia difficile foret presentes nostras originales litteras ad singula queque loca oportuna deferri, volumus atque apostolica auctoritate decernimus quod ubique publicari possint quodque earum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius persone in ecclesiastica dignitate constitute seu dicti Ordinis munitis, ubique ea prorsus fides adhibeatur, que presentibus nostris adhiberetur, si forent exhibite vel ostense.

Presentibus pro dictis tribus diebus dumtaxat valituris.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XV martii MDXIII, ante nostram coronationem [1].

XII, 7. — *Originale.*

329. *1579, 24 ianuarii.*

Gregorius papa XIII, universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sanctissima Communione refectis, qui ecclesiam *S. Francisci Parvuli* nuncupatam, Assisien., in festo Stygmatum eiusdem S. Francisci, quod die decima septima mensis septembris celebratur, a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem festi singulis annis ad decennium proximum devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia et unione, haeresum extirpatione sanctaeque matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, pro primo scilicet, quinto et ultimo annis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, pro reliquis vero septem

(1) Electus die 9 et coronatus die 19 martii huius anni: Eub., *Hier.*, III, 14.

annis septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino concedimus et relaxamus.

Praesentibus post dictum decennium minime valituris.

Volumus autem quod si alias Christi fidelibus dictam ecclesiam visitantibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad certum tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, eaedem praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIIII ianuarii MDLXXVIIII, pontif. nostri anno septimo.

XII, 10. — *Originale.*

330. *1578, 5 decembris.*

Gregorius episc. *etc.* ad perpetuam rei memoriam.

Omnium saluti paterna charitate intenti, inter tam multa pietatis officia que Nos pro munere nostro convenit exercere, sacra interdum loca speciali privilegio insignimus, ut inde fidelium defunctorum saluti amplius consulatur.

Quocirca, ut ecclesia domus S. Francisci terre *Leonisse* Ordinis fratrum Minorum Conventualium eiusdem S. Francisci, Spoletan. diocesis, decem Fratrum sacerdotum ibi continuo residentium et divinis ministeriis deservientium numero, ut minimum, fulcita nec simili usque adhuc privilegio decorata ac in ea altare S. Antonii hoc speciali dono illustretur, auctoritate Nobis a Domino tradita concedimus, ut quoties Missa ad predictum altare celebrabitur pro anima cuiuscumque fidelis, que Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesie indulgentiam consequatur, quatenus Domini nostri Iesu Christi et beatissime virginis Marie, beatorum apostolorum Petri et Pauli aliorumque Sanctorum omnium meritis suffragantibus a purgatorii penis liberetur.

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, nonis decembris, pontif. nostri anno septimo.

XII, 11. — *Originale.*

331. *1582, 13 ianuarii.*

Gregorius episc. *etc.* dilectis filiis priori ecclesie Assisien. ac vicario venerabilis fratris nostri episcopi Assisien. in spiritualibus generali salutem *etc.*

Ex iniuncto Nobis desuper apostolice servitutis officio votis illis, per que monasteriorum et aliorum regularium locorum quorumlibet utilitates et commoda procurantur, libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis.

Dudum siquidem a felicis recordationis Paulo papa II predecessore nostro emanarunt littere tenoris subsequentis:

« Paulus episc. *etc.* ad perpetuam rei memoriam. Cum in omnibus iudiciis... Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice

millesimo quadrigentesimo sexagesimo quinto, quinto idus maii, pontif. nostri anno primo » (1).

Et deinde exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Custodis et Fratrum domus S. Francisci Assisien., Ordinis fratrum Minorum Conventualium noncupatorum, ac Marci Antonii Florentii perpetui commendatarii monasterii abbatie nuncupati S. Quirini terre Bettone, S. Benedicti vel alterius Ordinis, Assisien. diocesis, petitio continebat quod, cum ipsi Custos et Fratres habeant et possideant quamplurimas et diversas terrarum petias in campis cultis et incultis, vineis, cannetis ac nemoribus seu silvis consistentes: unam videlicet duorum modiolorum et septem stariorum, et aliam unius modioli, et aliam unius modioli et novem stariorum ac quinque pugillorum similis mensure, necnon aliam unius modioli, et aliam novem stariorum, ac aliam unius modioli et sex stariorum, atque aliam novem stariorum et sex pugillorum, et aliam unius starii et quatuor pugillorum, ac aliam unius modioli et quatuor stariorum, necnon aliam octo stariorum et octo pugillorum, et aliam octo modiolorum ac unius starii et duorum pugillorum, ac aliam duorum modiolorum, et aliam unius modioli et octo stariorum, necnon aliam octo stariorum et sex pugillorum in de Porciano; atque aliam unius modioli et quinque pugillorum, et aliam unius modioli et duorum stariorum ac trium pugillorum, nec non aliam sex stariorum et quinque pugillorum, aliamque unius starii et sex pugillorum, et aliam unius modioli et octo stariorum ac quinque pugillorum, necnon aliam quatuor stariorum et trium pugillorum in S. Savini; ac aliam sex stariorum, et aliam duorum modiolorum et trium stariorum in de Montemora; ac alia unius modioli et trium stariorum ac quatuor pugillorum, et aliam sex stariorum et trium pugillorum, necnon aliam novem stariorum et duorum pugillorum, et aliam trium stariorum, atque aliam unius modioli et unius starii ac trium pugillorum in de Biagiano; necnon aliam duorum modiolorum et unius starii, et aliam unius modioli et novem stariorum ac quinque pugillorum in de Cottratuccio; ac aliam trium modiolorum et trium pugillorum, aliamque unius modioli et sex stariorum in de Casacastalda; et aliam septem stariorum et trium pugillorum in de Agnano; atque aliam unius modioli et novem stariorum et trium pugillorum in de Bevilii; ac aliam novem stariorum et septem pugillorum in S. Victorini; necnon aliam unius modioli et quinque stariorum, ac aliam duorum modiolorum in de Collepruni; et aliam trium stariorum et duorum pugillorum, ac aliam unius modioli, atque aliam sex stariorum et unius pugilli in de Roccheciola; necnon aliam octo stariorum et unius pugilli, et aliam trium stariorum et octo pugillorum in de Chiagnia; necnon aliam duorum modiolorum et septem stariorum in de Torrito; et aliam unius modioli in de S. Bartholo; atque aliam unius modioli et quatuor stariorum, et aliam unius modioli in de Valecchie; et aliam trium modiolorum in de S. Tecla; et aliam quinque stario-

(1) Idest, 11 maii 1465: *Bull. Romanum*, edit. Taurin., V, 183.

rum, necnon aliam quatuor pugillorum, et aliam unius modioli et quatuor stariorum ac septem pugillorum, et aliam sex stariorum et sex pugillorum in S. Nicolai; atque aliam quinque stariorum et duorum pugillorum in de Bertignano; necnon aliam unius modioli et sex stariorum, et aliam unius modioli ac unius starii et unius pugilli, atque aliam sex stariorum, ac aliam unius modioli et quatuor stariorum, necnon aliam septem stariorum et quinque pugillorum, atque aliam sex stariorum, ac aliam octo stariorum, atque aliam etiam octo stariorum, et aliam novem stariorum et trium pugillorum, ac aliam quinque stariorum et duorum pugillorum, et aliam unius modioli et duorum stariorum in de Gualdo; necnon aliam octo stariorum, et aliam duorum modiolorum et octo stariorum ac novem pugillorum, et aliam unius modioli et quinque stariorum, atque aliam trium stariorum et quinque pugillorum, ac aliam unius modioli, et aliam etiam unius modioli, atque aliam similiter unius modioli et sex stariorum, et aliam unius modioli et octo stariorum, et aliam unius modioli et unius starii ac duorum pugillorum, et aliam unius modioli et duorum stariorum, necnon aliam sex stariorum, et aliam etiam sex stariorum et quinque pugillorum, ac aliam duorum stariorum et unius pugilli, atque aliam septem stariorum et duorum pugillorum, necnon aliam unius modioli et sex stariorum in de Podio seu *Poggio;* ac aliam novem stariorum et octo pugillorum, et aliam duorum modiolorum ac novem stariorum, atque aliam duorum modiolorum et unius starii ac sex pugillorum, necnon aliam septem stariorum et unius pugilli, ac aliam trium stariorum, et aliam septem stariorum et quatuor pugillorum in de Palanzano, territorii Assisien.; necnon aliam centum et septem modiolorum et quinque pugillorum in de Frecho extra dictum territorium, sed tamen in statu Assisien.; ac alias duodecim terrarum petias in curte de Coldemaneco; atque reliquam unius modioli in de Grello locis Baliis noncupatis, iuxta suos confines sitas: ex quibus tenuissimos fructus et cum maxima difficultate, fastidio et impensa percipiunt, ita ut id in grave domus preiudicium et Custodis ac Fratrum predictorum incommoditatem resultet.

Et propterea ipsi Custos et Fratres cupientes suam et dicte eorum domus condictionem efficere meliorem, omnes et singulas terrarum petias predictas personis illas emere volentibus [...] (1) preciis hinc inde [...] pet[...] et alienare ac precium inde proveniens in solutionem cuiusdam possessionis dicte domui unite et coniuncte ac per eosdem Custodem et Fratres pro dicta eorum domo precio [mille et octingentorum scutorum monete romane ...quos ...] solvere non potuerunt nec etiam de presenti aliter possunt convertere, et quicquid de preciis terrarum huiusmodi solutis prius mille et octingentis scutis predictis supererit in aliorum bonorum stabilium emptionem pro dicta eorum domo erogare; necnon si quas ex dictis petiis terrarum vendere non potuerint seu illarum emptores non invenerint, easdem cum quacunque vel quibuscumque

(1) Charta perforata.

personis pro aliis bonis stabilibus eidem domui utilioribus et commodioribus imperpetuum permutare; insuper alias quinque terrarum arabilium petias ad eandem domum legitime pertinentes quantitatis simul et in totum quindecim modiolorum vel circiter in territorio Assisien. et balia Costano ac Turni Fratrum S. Francisci nuncupatis locis iuxta bona dicti monasterii et alios suos confines sitas, cum dicto Marco Antonio pro quodam predio quantitatis duodecim modiolorum similium terre cum dimidio alterius similis modioli ad ipsum monasterium etiam legitime pertinente in eodem territorio Assisien., iuxta domus et alia monasterii predictorum bona nenenon alios suos confines sito, etiam imperpetuum permutare desiderant, si sibi ad id nostra et Sedis apostolice licentia suffragetur. Quare pro parte Custodis et Fratrum ac Marci Antonii predictorum, asserentium singulas venditiones, alienationes et permutationes huiusmodi, si fiant, in evidentem domus ac etiam quoad ultimo dictas quinque terrarum petias monasterii huiusmodi cessuras esse utilitatem, Nobis fuit humiliter supplicatum ut eis licentiam venditiones et alienationes ac permutationes huiusmodi faciendi concedere aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes ipsosque Custodem et Fratres ac Marcum Antonium prefatos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon omnium et singularum petiarum terrarum ac possessionis et predii predictorum veriores situationes, confines, qualitates, quantitates, vocabula, denominationes verosque etiam annuos valores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi et servata forma preinsertarum litterarum, necnon singulis petiis terrarum et possessione ac predio predictis eorumque circumstantiis universis prius coram vobis specificatis, coniunctim precedentes, de premissis vos diligenter informetis et, si per informationem huiusmodi ita esse ac venditiones, alienationes et permutationes predictas, si fiant, in evidentem domus et monasterii huiusmodi utilitatem cessuras esse repereritis, Custodi et Fratribus ac Marco Antonio predictis illas tam coniunctim quam divisim ac simul vel successive faciendi licentiam concedere auctoritate nostra curetis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon domus et monasterii ac Ordinum predictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod precium venditionis huiusmodi, sive simul sive ad partem fiat, in solutionem precii dicte possessionis per Custodem et Fratres predictos acquisite convertatur, ita quod venditio et precii conversio huiusmodi unico contextu fiant; et si, soluto precio emptionis eiusdem possessionis, aliquid superfuerit ex precio venditionis, illud sive

multum sive modicum fuerit, penes edem sacram aut personam fide et facultatibus idoneam deponatur, donec in emptionem aliorum bonorum stabilium prefate domui magis utilium citius quam fieri poterit omnino conversum fuerit.

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo primo, idibus ianuarii, pontif. nostri anno decimo.

XII, 12. — *Originale.*

332. *1581, 15 octobris.*

Gregorius episc. *etc.* venerabilibus fratribus Nucerin. et Assisien. ac Perusin. episcopis seu dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus generalibus salutem *etc.*

Significavit Nobis dilectus filius *Antonius Fera,* Magister generalis Ordinis fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum [1], quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorat, census, terras, domos, possessiones, bona mobilia et immobilia, scripturas et iura ad dictum Ordinem legitime spectantia et pertinentia temere et malitiose occultare ac occulte et indebite detinere presumpserunt et presumunt, in animarum suarum periculum et dicti Ordinis non modicum detrimentum; super quo idem significans apostolice Sedis remedium imploravit.

Quo circa fraternitati vestre, fratres episcopi, seu discretioni vestre, filii vicarii, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, quilibet vestrum videlicet in suis civitate et diocesi, si, causa diligenter et magna maturitate per vos examinata, pro rei, loci, temporis et persone qualitatibus vobis pro vestra conscientia videbitur expedire, omnes huiusmodi bonorum detentores et illorum celatores occultos ex parte vestra publice in ecclesiis coram populo per vos vel alium seu alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeritis, ea dicto Ordini a se debita detentores quidem sive occupatores restituant, occultatores vero revelent. Et si id non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc duxeritis peremptorie prefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferatis eamque faciatis, ubi, quando et quoties expedire videritis, usque ad satisfactionem condignam et revelationem debitam solemniter publicari.

Datum Tusculi anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo primo, idibus octobris, pontif. nostri anno decimo.

XII, 13. — *Originale.*

333. *1581, 13 aprilis.*

Gregorius episc. *etc.* venerabilibus fratribus Assisien., Fulginaten. et Perusin. episcopis seu dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus generalibus salutem *etc.*

---

(1) Rexit Ordinem annis 1581-1584.

Significarunt Nobis dilecti filii Guardianus et Fratres domus S. Francisci Assisien. Conventualium eiusdem S. Francisci, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, census, terras, domos, possessiones, mobilia et immobilia bona, paramenta et ornamenta ecclesiastica, scripturas publicas et privatas ac iura ad ipsam domum legitime spenctantia temere et malitiose occultare et detinere presumpserunt et presumunt, in animarum suarum periculum et dicte domus non modicum detrimentum; super quo ipsi significantes apostolice Sedis remedium implorarunt.

Quocirca fraternitati vestre, fratres episcopi, seu discretioni vestre, filii vicarii, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et vestrum quilibet in suis civitate et diocesi, si, causa diligenter et magna maturitate per vos respective examinata, pro rei, loci, temporis et persone qualitatibus vobis pro vestra respective conscientia videbitur expedire, omnes huiusmodi bonorum, scripturarum et iurium detentores et occupatores occultos ex parte vestra publice in ecclesiis coram populo per vos vel alium seu alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeritis, ea dicte domui a se debita detentores quidem sive occupatores restituant, occultatores vero revelent. Et si id non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem *etc.* usque ad revelationem et satisfactionem condignas solemniter publicari.

Datum Tusculi anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo primo, idibus aprilis, pontif. nostri anno nono.

XII, 14. — *Originale.*

335. *1535, 10 decembris.*

Paulus papa III, universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis in dignitate ecclesiastica constitutis salutem *etc.*

Non absque animi nostri displicentia accepimus quod postquam fel. rec. Clemens papa VII predecessor noster, cupiens Fratres Ordinis Minorum Conventualium nuncupatorum non parum a sanctissimis institutis dicti Ordinis deviantes nec non Ordinem ipsum ad primevam institutionem a b. Francisco ordinatam et per pie mem. Honorium III confirmatam et successive per recolende mem. Nicolaum IIII (1), Clementem V, Ioannem XXII, Martinum etiam V et Sixtum IIII predecessores suos romanos Pontifices declaratam reduci ac ipsis per eosdem et alios romanos Pontifices concessa et confirmata privilegia ac statuta inviolabiliter observari facere, sub anathematis late sententie pena statuerat atque decreverat quod tunc et pro tempore existens Magister generalis vel provincialis dicti Ordinis, et non alius, Fratrum eiusdem Ordinis delicta et excessus nec non alias causas tam civiles quam criminales, iuxta institutionem dicti Ordinis, tela iudiciaria postposita, audire et de illis cognoscere ac eosdem Fratres pro meritis punire possent et debe-

(1) Sic; corrige *III.*

rent, prout in litteris ipsius Clementis VII predecessoris desuper confectis plenius continetur (1).

Tamen modernus Gubernator provincie nostre Marchie Anconitan. et forsan alii iudices aliarum diversarum provinciarum eosdem Fratres capere, incarcerare et contra illos inquirere et alias procedere iuxta dictarum litterarum tenorem audent, in religionis opprobrium, Sedis apostolice contemptum et scandalum plurimorum.

Volentes igitur ut littere a predecessoribus nostris in favorem presertim religiosarum personarum emanate, ut par est, serventur; vobis et vestrum cuilibet per presentes committimus et mandamus, quatenus, si et postquam pro parte dictorum Fratrum fueritis requisiti seu alter vestrum fuerit requisitus, faciatis eosdem Fratres huiusmodi statuto et ordinatione iuxta dictarum litterarnm tenorem pacifice frui et gaudere, non permittentes ipsos per quoscumque iudices seculares vel ecclesiasticos, quavis occasione vel causa, quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles ac alias quomodolibet se opponentes illisque auxilium vel favorem publice vel occulte per se vel alium seu alios prestantes, per censuras ecclesiasticas aliasque vestro arbitrio imponendas penas, appellatione postposita, compescendo, et legitimis desuper habendis servatis processibus, censuras ipsas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod presentium transumptis manu pro tempore existentis Generalis huiusmodi subscriptis et eius sigillo munitis ea prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, que originalibus adhiberetur, si forent exhibite vel ostense.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die X decembris MDXXXV, pontif. nostri anno secundo.

XII, 16. — *Originale.*

336. *1540, 2 iulii.*

Dilectis filiis universis fratribus Ordinis Minorum Conventualium nuncupatorum ac dilectis in Christo filiabus Monialibus S. Clare

PAULUS PAPA III.

Dilecti filii et dilecte in Christo filie, salutem *etc.*

Cum nuper pro Sedis apostolice ingentibus necessitatibus duas decimas omnium et singolorum fructuum, redituum et proventuum, secundum annuum valorem quorumlibet monasteriorum seu domorum Fratrum quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium ex privilegio apostolico vel alias certos redditus habentium, imposuerimus; Nos, ut libentius divinis beneplacitis vacare possitis, rerum vestrarum statui paterne prospicere et necessitatibus vestris, de quibus informati sumus, plene con-

(1) Neque apud *Bull. Romanum,* neque apud praecipuos Ordinis scriptores eas litteras inveni.

sulere volentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis quod ratione quoruncunque monasteriorum seu domorum vestri Ordinis tam impositas predictas quam imposterum imponendas decimas nonnisi pro illis fructibus qui, deductis septem ducatis auri pro quolibet Fratre et Moniali in eisdem domibus existente superfuerint, solvere teneamini, et ad aliter solvendum minime compelli, nec propterea aliquibus censuris innodari possitis, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et indulgemus; inhibentes sub indignationis nostre pena omnibus et singulis dictarum decimarum commissariis, collectoribus nunc et pro tempore deputatis, ne vos aut vestrum aliquem seu aliquam ad aliquam solutionem seu contributionem huiusmodi contra tenorem presentium quomodolibet cogere aut vos desuper molestare presumant.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aut quibusvis litteris super decimarum huiusmodi impositionibus emanatis et pro tempore emanandis, nec non per illas eisdem commissariis et collectoribus pro tempore concessis facultatibus, quas adversus vos contra tenorem presentium nullatenus suffragari volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus etiam quod presentium transumptis manu notarii publici subscriptis eadem prorsus fides adhibeatur que originalibus adhiberetur, si forent exhibite vel ostense.

Datum Rome apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die secunda iulii MDXL, pontif. nostri anno sexto.

XII, 17. — *Exemplum authenticum.*

337. *1526, 18 iulii.*

Dilecto filio Perusie et Umbrie Vicelegato

CLEMENS PAPA VII.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Accepimus non sine molestia quod, licet alias ab antiquissimo et immemorabili citra tempore in secunda die mensis augusti cuiuslibet anni, Christi fidelibus ad ecclesiam S. Marie de Angelis sive de Portiuncula Ordinis Minorum de Observantia prope et extra muros civitatis Assisii existentem pro plenaria Indulgentia ibi a Sede apostolica concessa confluere solitis, multe pie et solemnes ceremonie intervenire et observari consueverint, inter ceteraque ut Fratres dicte domus in primis vesperis eiusdem diei processionaliter ad ecclesiam domus S. Francisci intra dictam civitatem Assisii existentem Ordinis Minorum Conventualium, in qua corpus eiusdem Sancti requiescit, venirent, indeque una cum eisdem Fratribus Conventualibus insimul congregatis ad sonum campane cum himnis et laudibus et magna populorum pie subsequentium devotione ad eamdem ecclesiam S. Marie redirent, et ingrediente ipsam ecclesiam Crucifixi imagine, tum primum Indulgentia ipsa incipere et ad secundas vesperas diei sequentis durare censeretur; ex

quibus omnibus devotio populorum confovebatur et divinus maxime augebatur cultus. Tamen a paucis citra annis, forte ob quandam rixam seu altercationem inter Conventuales ex una et de Observantia Fratres predictos ex altera in ecclesia seu conventu domus S. Francisci Assisin. dudum commissam, Fratres ipsi de Observantia ex illo tempore non solum in eodem die Indulgentie ad dictam domum S. Francisci amplius non accesserunt, neque Fratres Conventuales cum processione et devotione subsequentis ex Assisio populi expectarunt, sed ipsi soli etiam tempestivius et festinantius solito longe ante vesperas processionem per agros et campos vicinos facientes et ecclesiam suam circumeuntes, hora solita vesperarum non expectata, Indulgentiam plenariam publicant, posteaque dum Fratres Conventuales ex dicta civitate cum populo hora vesperarum solita processionaliter venerunt, nullo eos campanee vel alio ecclesiastico signo recipiunt; quo fit ut et corpus eiusdem Sancti Assisii existens, ob cuius merita et miracula Indulgentia ipsa in ecclesia S. Marie predicta instituta fertur, solita celebritate et veneratione careat, et populus Assisin. ac ex diversis mundi partibus confluentes in sua devotione destituantur, ac vetus mos et consuetudo in tanta solemnitate aboleantur, scandalum quoque Christi fidelibus similia intuentibus generetur.

Nos igitur pro pastorali officio nostro devotionem populorum augere, piosque mores et ceremonias presertim pro animarum salute inductas restituere et conservare, scandalisque huiusmodi occurrere volentes, de tua prudentia ac fide confisi, mandamus tibi per presentes, ut illuc te personaliter conferens, si hec vera compereris, agas cum utriusque domus Fratribus, quibus omnibus in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis late sententie pena ut tibi in hoc pareant precipimus, eisque sub hac et aliis ecclesiasticis gravioribus penis tuo arbitrio moderandis mandes, prout Nos mandamus, ut omnes antiquas ceremonias in processione et solemnitate huiusmodi a dictis Fratribus servari solitas, tam in die huiusmodi Indulgentie quam in precedentis diei vesperis, appellatione postposita, effectualiter et plene observent, et auctoritate nostra ab eisdem observari facias. Quod ut libentius faciant, eos ad mutuam charitatem et concordiam, presertim in tam pio exequendo opere, reducere curabis.

Quod si hec ipsa per te, aliis impeditus, commode exsequi non poteris, volumus ut per alium ad hoc tibi visum idoneum ea nihilominus exequaris.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die decima octava iulii MDXXVI, pontif. nostri anno tertio [1].

XII, 18; nr. 458: XIV, 22a, 22b, 22c — *Exempla typis edita.*

---

[1] P. Papini in copia inserta exemplari *Collis Paradisi,* quod in nostra Bibliotheca sua aliorumque manu postillatum asservatur, adnotat: *Allude alla zuffa seguita il 1 agosto 1520 Domenica la mattina, in tempo delle funzioni nella Basilica e in convento, tra i Zoccolanti venuti armati in gran numero per impossessarsene, e noi aiutati da soldati e dal popolo.* Cf. Cristofani, *Delle storie di Assisi,* edit. 3, Assisi 1902, lib. VI, p. 352 ss.

338. *1552, 23 augusti.*

Iulius episc. *etc.* venerabilibus fratribus Cesenat. et Lipparen. episcopis ac dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri episcopi Asscissinaten. in spiritualibus generali salutem *etc.*

Hodie dilecto filio Petro Gentilis de Honofriis, rectori ruralis et sine cura ecclesie S. Blasii de la Bastia, Asscissinaten. diocesis, ecclesiam predictam, certo tunc expresso modo apud Sedem apostolicam vacantem et antea dispositioni apostolice reservatam, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica auctoritate contulimus et de illa etiam providimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam dicte littere vobis presentate fuerint, per vos vel alium seu alios, eundem Petrum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem ecclesie iuriumque et pertinentiarum predictorum inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes sibi de ipsius ecclesie fructibus, reddictibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Non obstantibus omnibus que in dictis litteris voluimus non obstare, seu si venerabili fratri nostri episcopo Asscissinaten. vel quibusvis aliis comuniter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Rome apud S. Marcum anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, decimo kal. septembris, pontif. nostri anno tertio.

XII, 19. — *Originale.* = Nr. 582: Instr. XIII, 9. — *Exemplum authenticum.*

339. *1563, 19 februarii.*

Pius episc. *etc.* venerabilibus fratribus Amerin. et Muran. episcopis ac dilecto filio vicario ven. fratris episcopi Assessinaten. in spiritualibus generali satutem *etc.*

Significarunt nobis dilecti filii Guardianus et Fratres domus S. Francisci Assessinaten. Ordinis fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, census, fructus, redditus, proventus, terras, domos, possessiones, vineas, ortos, campos, prata, pascua, nemora, silvas, arbores, arborum fructus, vini, bladi, frumenti, ordei, lini, lane, olei, cere, auri, argenti monetati et non monetati quantitates, vasa argentea, enea, stanea, cuprea, ferrea, pannos lineos, laneos, sericeos, vestes, iocalia, calices, patenas, cruces, turribula, reliquiaria, casulas, albas, amictus, tunicas, stolas et alia ornamenta et paramenta ecclesiastica, lectos, lintheamina et alia domus utensilia, equos et alia animalia, libros, instrumenta, contractus, obli-

gationes, cedulas, quetantias, litteras, scripturas publicas et privatas, testamenta, codicillos et alia documenta, credita, debita, legata, mutua, deposita, iura, iurisdictiones, pecuniarum summas et nunnulla alia res et bona in publicatione presentium etiam latius, si dictis significantibus videbitur, specificanda, ad dictam domum cui, sicut dicti significantes asserunt, bona etiam immobilia ex indulto apostolico eis seu dicto Ordini concesso habere licet, tam ratione fundationis et dotationis eiusdem domus nec non legatorum et relictorum ei seu dictis significantibus pro tempore factorum ac spoliorum Fratrum eiusdem domus etiam pro tempore defunctorum, quam alias legitime spectantia, temere et maliciose occultare ac occulte et indebite detinere presumunt eorumque occultatores et detentores eisdem significantibus revelare non curant, in animarum suarum periculum et domus ac significantium predictorum non modicum detrimentum; super quo iidem significantes apostolice Sedis remedium implorarunt.

Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes huiusmodi censuum, fructuum, auri, argenti quantitatum, iocalium, ornamentorum, utensilium, litterarum, scripturarum, pecuniarum, summarum ac aliorum bonorum et rerum etiam, ut prefertur, specificandorum predictorum detentores et ea revelare non curantes occultos, ex parte vestra publice in ecclesiis coram populo per vos vel alium seu alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeritis, ea dictis significantibus seu eorum legitimo procuratori a se debita restituant et occulta revelent ac de ipsis plenam et debitam satisfactionem impendant. Et si id non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc perentorie duxeritis prefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferatis et ea faciatis, ubi et quando videritis expedire, usque ad satisfactionem et revelationem condignam solemniter publicari. Quod si non omnes hiis exequendis potuerint interesse, duo aut unus vestrum ea nichilominus exequatur.

Datum Rome apud S. Petrum, anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, undecimo kal. martii, pontif. nostri anno quarto.

XII, 20. — *Originale.* = Nr. 463: XIV, 26. — *Exemplum italice versum et typis editum.* = Nr. 586: Instr. XIII, 17. — *Exemplum authenticum.*

343. *1588.*

[*Sixtus papa V*], *ad perpetuam rei memoriam* (1).

Quia plerumque mortalis vitae solecitudinibus pressus, homo mentis suae aspectum a Creatoris sui intuitu divertebat, hic in solio militantis

(1) Hoc schema, prius in Bullae forma, deinde Brevis redactum, sed nunquam a Sede apostolica definitive sancitum et editum, uti iacet hic inseritur, verba postea deleta angularibus uncis ⟨ ⟩ includendo, aliaque notatu digna ad calcem paginae indicando.

Ecclesiae hortum voluptatis inter ceteros quemdam fecit a procellosis mundi fluctibus elongatum, in quo quietius ac securius vacaretur contemplandis servandisque operibus suis. Hic hortus siquidem est fratrum Minorum S. Francisci, qui hodie Conventuales nuncupantur, sancta religio, quae muris regularis observantiae firmiter undique circumclusa, intra se solo contenta Deo adornatur abunde novellis plantationibus foliorum. Haec est illa caelestis vitae porta et regula, quam descripsit ille confessor Christi eximius beatus Franciscus, ac servanda a filiis suis verbo docuit pariter et exemplo; cuius sanctae Regulae professores et aemulatores devoti, ut alumni et veri filii tanti Patris, sanctus Bonaventura doctor seraphicus et sanctus Antonius de Padua ac sanctus Ludovicus episcopus et confessor, nec non sanctus Bernardinus de Senis multique alii Sancti miraculis clari; praeterea fel. rec. Nicolaus IV, Alexander V et Sixtus etiam IV romani Pontifices praedecessores nostri, ac Nicolaus de Lira et Alexander de Alles et Ioannes Scotus multique episcopi, archiepiscopi et sanctae romanae Ecclesiae cardinales, viri doctissimi, affectarunt ad purum et ad plenum praemissam Regulam observare. Ad quam denique animus noster iam ab aetate tenera pia devotione effervens, illam in minoribus constituti multos annos professi fuimus; nunc autem ex communi cura pastoralis regiminis (quam immeriti sustinemus) ad illius professores dulcius et attentius gratiosis favoribus prosequendos tanto provocamur ardentius, quanto frequentius intenta mente revolvimus fructus uberes, quos de eorum exemplari vita et salutari doctrina toti universali Ecclesiae continue cernimus pervenire.

Multi siquidem romani Pontifices praedecessores nostri hunc Ordinem illiusque generalem et provinciales Ministros ac Custodes et alios professores multis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indultis, indulgentiis et gratiis locupletarunt, et praesertim Clemens etiam IV per quasdam sub dato Perusii MCCLXV (1)*, ac Sixtus etiam IV per suas sub pridie kal. martii incipientes « Dum fructus uberes »* (2)*, et per alias sub pridie kal. septembris incipientes « Regimini universalis Ecclesiae »* (3)*, ac per reliquas sub VII kal. augusti incipientes « Sacri Praedicatorum et Minorum »* (4)*, nec non Paulus etiam III per alias sub die XXVII octobris MDXXXX* (5)*, datis eorum pontificatus I, IV, VIII et VI respective annis, desuper confectas sub plumbo et annulo Piscatoris litteras concedendo, inter alia unicuique professorum dicti Ordinis in bonis temporalibus eis pro tempore relictis succedendi et quaecumque legata, relicta, eleemosynas ac quascunque pecuniarum summas et alia bona, quae in futurum sibi obveniri possent, ac si in saeculo essent, recipiendi, tenendi, habendi et possidendi de licentia sui Superioris, facultatem, prout in singulis praefatis et aliis a piae mem. Nicolao etiam*

---

(1) Cf. Bullas sub nr. 183, 184 in elencho recensitas.

(2) Cf. nr. 300 nostri elenchi.

(3) Cf. ibidem nr. 307.

(4) Wadd., *Annales*, ad an. 1479 n. 6: XIV, 224.

(5) « Exhibita nobis »: cf. Alva, *Indiculus* cit., II, 208 n. 1.

III et Martino similiter IV ac Martino V romanis Pontificibus praedecessoribus nostris emanatis ac desuper confectis litteris plenius continetur.

1. [1] Cupientes itaque etiam Nos privilegia ac omnia et singula alia tam per praefatos quam quoscumque alios romanos Pontifices itidem praedecessores nostros concessa ex pastoralis officii debito illibata tueri, illorumque ac desuper confectarum litterarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis et insertis habentes, ac dilectos filios generalem Ministrum et professores singularesque personas dicti Ordinis a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes:

2. Motu proprio, non ad illorum aut alicuius eorum vel aliorum pro eis Nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia et mera deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula praefata ac alia tam spiritualia quam temporalia privilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, favores, exemptiones et gratias, a tempore fel. rec. Innocentii papae etiam tertii pariter praedecessoris nostri usque ad tempora nostra, huic Ordini illiusque generali et provincialibus Ministris ac Custodibus et aliis professoribus tam per praefatos quam quoscunque alios romanos Pontifices praedecessores nostros ac Nos et Sedem apostolicam ac vivae vocis oraculo in genere vel in specie, etiam per viam extensionis aut communicationis seu ad instar activae et passivae ac alias quavis occasione vel causa et cuiusvis intuitu seu contemplatione concessa, approbata et innovata ac extensa, etsi illa non sunt in usu;

3. ⟨Necnon quasvis auctoritates, praeeminentias, iurisdictiones, gubernia, visitationes et reformationes generalis et provincialium Ministrorum praefatorum super professoribus et aliis Ordinis fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum per dictos praedecessores etiam concessa, approbata et innovata, ac litteras quascunque desuper confectas apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus⟩.

4. Necnon illa omnia et singula innovamus et de novo concedimus eaque perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere volumus; ⟨necnon privilegia aliaque praefata ad eorumdem dictorum Fratrum personas et bona, etiam si privilegiorum et aliarum gratiarum huiusmodi authentica originalia propter temporis antiquitatem et iniuriam ac alias quavis causa deperdita existant, auctoritate, motu, scientia et potestate similibus extendimus et ampliamus⟩.

5. Et insuper omnia et singula privilegia, immunitates, libertates, exemptiones, concessiones, indulgentias, gratias et indulta quorumvis Ordinum Mendicantium et non Mendicantium ⟨et Iesuatorum⟩ tam per

---

( ) Hic et sequentes numeri in originali sunt notati.

praefatos quam quoscumque alios romanos Pontifices praedecessores nostros ac Nos et Sedem praefatam concessa et praesertim illa quae per piae memoriae Gregorium XIII etiam praedecessorem nostrum Ordini fratrum Eremitarum sancti Augustini concessa fuerunt (1) *communicamus et concedimus.*

6. Necnon constitutionem perpetuam recolendae mem. Pii etiam V, pariter praedecessoris nostri, in favorem praefatorum Mendicantium sub XVII kal. iunii, quae incipit « Etsi Mendicantium Ordines » (2); *necnon litteras eiusdem Pii praedecessoris in forma Brevis sub die XXIX iulii, quae incipiunt « Dum ad uberes »* (3), *datis pontificatus sui primo et secundo respective annis editam et sub annulo Piscatoris expeditas, motu, scientia, potestate, auctoritate et tenore praefatis approbamus, confirmamus et innovamus.*

7. Et quia corpus eiusdem beati Francisci reconditum est in ecclesia conventus Collis Paradisi in civitate Assisien., quae quidem ecclesia est mater et caput totius huius Ordinis, ut per litteras fel. rec. Innocentii etiam IV, similiter praedecessoris nostri, anno eius II expeditas (4) *inter alia declaratum extitit, prout declaramus, easque etiam confirmamus et innonamus.*

8. Ac statuimus et ordinamus quod ⟨*huius Regulae*⟩ *professores primo dicti Ordinis non nominentur aut noncupentur Conventuales, sed simpliciter professores Ordinis fratrum Minorum, ac ita ab omnibus nominentur et describantur.*

9. Decernentes Fratres et Sorores tertii Ordinis de Poenitentia nuncupati, a praefato beato Francisco instituti, sub dominio, cura et regimine Superiorum eorumdem fratrum Minorum subesse ac ab eisdem sacramenta ecclesiastica suscipere debere ac alias, iuxta constitutiones et concessiones apostolicas et signanter Gregorii IX, Nicolai IV, Martini V et Sixti IV praefatorum; quas motu, scientia, potestate, auctoritate et tenore praefatis approbamus, confirmamus et innovamus (5).

10. Necnon Generalem fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum nullam prorsus autoritatem, iurisdictionem vel actionem aut superioritatem super professoribus primo dicti Ordinis ac aliis personis et locis ab eis dependentibus habere et praetendere debere.

11. Praeterea ipsum Generalem dictorum Fratrum de Observantia nuncupatorum et quosvis alios non posse nec debere ullo modo ullave ratione, causa seu pretextu, directe vel indirecte, dicere aut asserere quod Generalis Fratrum primo dicti Ordinis non sit Generalis sed sit duntaxat Vicarius eorumdem fratrum Minorum, cum consueverit dici et appellari Generalis etiam a Concilio Tridentino, ac habitus, tentus et reputatus pro Generali, non autem Vicario, etiam in omnibus electionibus a

---

(1) Cf. *Bull. Roman.*, ed. Taur., VIII, 13.

(2) Ibid., VII, 468.

(3) Cf. nr. 501 nostri elenchi.

(4) Potius Clementis IV: cf. supra nr. 180.

(5) In margine ad hunc numerum alia manu scriptum est: *F.*

Capitulis generalibus factis, et a summis Pontificibus romanis postea confirmatus, quem etiam, quatenus opus sit, confirmamus et in futurum Ministrum generalem nuncupari et describi ac ab omnibus pro tali teneri atque reputari volumus et mandamus per praesentes.

12. Praefatumque Generalem eorumdem fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum non posse dici et appellari Generalissimum, sed solum Generalem eorumdem fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum.

13. Postremo, quoad praecedentiam, motum proprium seu litteras fel. rec. Gregorii XIII etiam praedecessoris nostri (1), *quem seu quas harum serie motu, scientia, potestate et auctoritate similibus approbamus, confirmamus et innovamus, observari debere* (2).

14. Necnon per litteras nostras in forma Brevis sub die III octobris MDLXXXVI (3), *pontificatus nostri anno secundo, in favorem Generalis et professorum Ordinis Minorum de Observantia nuncupatorum editas non intendimus in aliquo praeiudicare generali et provincialibus Ministris ac reliquis Fratribus primo dicti Ordinis ac ab eis dependentibus, etiam non obstantibus quibusvis derogationibus et aliis in eisdem nostris litteris contentis* (4).

Praesentesque litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari aut ad terminos iuris reduci seu in ius vel controversiam revocari, etiam quod Generalis et Fratres de Observantia nuncupati ac alii interesse habentes seu praetendentes vocati non fuerint, nec sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi posse, sed illas semper validas et efficaces existere suosque plenarios et integros effectus sortiri; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate, potestate et dignitate fungentes, etiam sanctae romanae Ecclesiae Cardinales et causarum palatii apostolici Auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari ac diffiniri debere, necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; <omni mora et dilatione postpositis ita praestent, ut ipsi praeter aeternae retributionis praemium, nostram et Sedis apostolicae benedictionem et gratiam uberius consequi mereantur>.

Quocirca dilecto filio nostro Hieronimo tit. S. Petri ad Vincula presb. card. de Ruvere nuncupato et pro tempore existenti primo dicti Ordinis <fratrum Minorum Conventualium> protectori ac universis et singulis ven. fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, nec non dilectis filiis causarum curiae Camerae apostolicae generali Auditori et quibusvis aliis personis in dignitate ecclesiastica et ubicumque locorum

(1) Bull. Roman., ed. cit., VIII, 429.
(2) Item in margine *S. V.*
(3) Wadd., *Annales*, 1587, *Reg. Pont.*, sed sub « an. III »: vol. XXII, 440.
(4) Item in margine *S. P.*

constitutis, motu, scientia et auctoritate similibus per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios ipsas praesentes et in eis contenta quaecumque, ubi et quando et quoties opus fuerit ac quotiens pro parte Ministri generalis et provincialium Ministrorum et aliorum supradictorum Fratrum primo dicti Ordinis ⟨Minorum Conventualium⟩ vel alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in omnibus et singulis praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes et in eis contenta huiusmodi firmiter et inviolabiliter observari, ac singulos, quos litterae ipsae concernunt, illis pacifice uti, frui, potiri et gaudere; non permittentes eos vel aliquem eorum desuper contra praesentium tenorem per quoscumque, etiam locorum Ordinarios, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando et interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus praemissis ac piae memoriae Bonifacii pape VIII etiam praedecessoris nostri de novis locis per Mendicantes absque dictae Sedis licentia non recipiendis et de una ac in Concilio generali editis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iuditium non trahatur, necnon quibusdam litteris fel. rec. Leonis papae X etiam praedecessoris nostri incipientibus « Ite et vos in vineam » (1) sub IV kal. iunii, ac Pii V incipientibus « Ad extirpandos » (2) sub VI idus iunii, nec non Gregorii XIII praedecessoris huiusmodi incipientibus « In tanta rerum » (3) sub kalendis martii, datis eorum pontificatus V, III et I respective annis, nostrisque praefatis, regulaque nostra de iure quaesito non tollendo, ac quibusvis aliis litteris et regulis, nec non in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis editis et edendis generalibus et specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam iuramento, confirmatione apostolica et quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam in forma Brevis, quibusvis personis ecclesiasticis et saecularibus ac quorumvis Ordinum regularibus per praefatos et quoscumque alios romanos Pontifices praedecessores nostros ac Nos et Sedem praefatam sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in genere et in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ac alias quomodolibet, etiam iteratis et multiplicatis vicibus, concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti de-

---

(1) Wadd., *Annales*, ad ann. 1517 n. 23: XVI, 42.

(2) Wadd., *Annales*, ad ann. 1568, *Reg. Pontif.*, sed sub « VI id. oct. »: XX, 609. (3) *Bull. Roman.*, ed. cit., VIII, 39.

rogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam quod in eis caveatur expresse quod illis nullatenus aut nonnisi sub certis modo et forma derogari possit, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita, exprimerentur et insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes, specialiter et expresse, motu, scientia, potestate, auctoritate et tenore praedictis derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si locorum Ordinariis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca in quibus forsan opus esset deferri, volumus et pariter motu, scientia, potestate et auctoritate similibus decernimus quod illarum transumptis etiam impressis, manu notarii etiam in archivio romanae Curiae descripti, per Hieronymum card. ac pro tempore existentem primo dicti Ordinis ⟨fratrum Minorum Conventualium⟩ Protectorem ad id deputandi, subscriptis et sigillo eiusdem Protectoris munitis sive impressis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium in iuditio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

⟨Nulli etc. Si quis etc.⟩

Datum Romae apud S. ⟨Marcum⟩ Petrum ⟨anno incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, die⟩ sub annulo Piscatoris, MDLXXXVIII, pontificatus nostri anno quarto.

XII, 23. — *Primum schema originale.*

344. *1596, 19 decembris.*

Clemens episc. *etc.* universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Innefabilia gloriose virginis Dei genitricis Marie meritorum insignia devote considerationis indagine perscrutantes et intra mentis nostre arcana evolventes quod ipsa castissimo eius utero, prout nostri status exigebat necessitas, humane salutis Auctorem pertulit et apud eum, quem maternis lactavit uberibus, sedulas pro nostre fragilitatis expiatione preces effundit, dignum quin potius debitum reputamus ut in honorem sui nominis dicatas ecclesias ac pro exercitio piorum operum rite institutas confraternitates gratiosis remissionum prosequamur impendiis et indulgentiarum muneribus decoremus.

Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia beate Marie virginis castri seu terre *Rocchigiolle,* Assisien. diocesis, una pia et devota utriusque sexus Christi fidelium confraternitas sub invocatione eiusdem beate Marie virginis ad Dei prepotentis laudem et animarum salutem canonice, non tamen pro hominibus unius specialis artis, erecta et insti-

tuta existat et dilecti filii illius confratres quam plurima charitatis, pietatis et misericordie opera exercere consueverint; Nos cupientes ut dicti ac pro tempore existentes ipsius confraternitatis confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur et magis ad illa in posterum exercenda, nec non alii Christi fideles promptius ad dictam confraternitatem ingrediendam incitentur dictaque ecclesia in maiori veneratione habeatur et ab ipsis Christi fidelibus congruis frequentetur honoribus, ac illi eo libentius ad dictam ecclesiam devotionis causa confluant quo ex hoc se dono celestis gratie uberius conspexerint esse refectos; de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictam confraternitatem pro tempore in perpetuum ingredientur, die primi illorum ingressus huiusmodi si sanctissimum Eucharistie sacramentum sumpserint; ac tam ipsis quam omnibus et singulis nunc existentibus confratribus prefatis pro tempore ubilibet decedentibus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra Communione refectis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus; nec non tam eisdem confratribus quam pro primo anno decennii proximi tantum universis et singulis aliis utriusque sexus Christi fidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui dictam ecclesiam in festo Conceptionis ipsius beate Marie virginis a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festi singulis annis devote visitaverint et inibi pro exaltatione sancte matris Ecclesie, heresum extirpatione, hereticorum reductione, infidelium conversione et inter principes christianos conservanda pace, concordia et unione aliquas ad Deum preces fuderint, quo die festivitatis huiusmodi id pro tempore fecerint, si eodem die dictum sanctissimum Sacramentum sumpserint, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur; pro reliquis vero novem annis eiusdem decennii Christi fidelibus non confratribus predictis ecclesiam huiusmodi, ut prefertur, visitantibus, septem annos et tolidem quadragenas.

Preterea omnibus et singulis confratribus predictis, qui pariter vere penitentes et confessi, sumpto eodem sanctissimo Sacramento, ecclesiam prefatam in Nativitatis, Purificationis, Annunciationis et Assumptionis beate Marie virginis huiusmodi festivitatibus etiam devote visitaverint, ibidemque ut supra oraverint, quo dierum festivitatum huiusmodi id fecerint etiam septem annos et totidem quadragenas; illis vero qui Missis et aliis divinis officiis in dicta ecclesia ex consuetudine vel instituto seu intuitu dicte confraternitatis pro tempore more confratrum celebrandis et recitandis aut congregationibus publicis vel secretis eiusdem confraternitatis ubivis et pro quocumque pio opere exercendo interfuerint seu pauperes peregrinos hospitio exceperint aut elemosinis vel officiis iuverint, seu pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, aut corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulturam associaverint, vel infirmos

consolati fuerint, seu quascumque processiones ordinarias tam prefate confraternitatis quam alias de licentia Ordinarii celebrandas dictumque sanctissimum Sacramentum, quando tam in processionibus quam ad aliquem infirmum aut alias ubicumque et quandocumque deferetur, comitati fuerint, seu impediti per alium vel alios associari fecerint, aut, campane ad id signo dato, genu flexo semel Orationem dominicam et Salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis in Christi charitate defunctorum recitaverint, seu devium aliquem ad viam salutis reduxerint ac ignorantes Dei precepta et que ad salutem sunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, quoties premissa vel eorum aliquod egerint, sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quibuslibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Presentibus quo ad Christi fideles non confratres predictos ecclesiam ipsam, ut prefertur, visitantes, ad dictum decennium; quo vero ad alios singula premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis.

Volumus autem quod, si confratribus et aliis Christi fidelibus prefatis ratione premissorum vel alias alia indulgentia perpetuo vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, eedem presentes nullius sint roboris vel momenti.

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, quartodecimo kal. ianuarii, pontif. nostri anno quinto.

XII, 24. — *Originale.*

345. *1600, 28 septembris.*

Dilectis filiis Ministro generali et aliis Superioribus Ordinis fratrum Minorum Conventualium S. Francisci

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecti filii, salulem *etc.*

Ordinis vestri conservationi et propagationi, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, motu proprio et ex certa nostra scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, in conventu S. Francisci Ordinis fratrum Minorum Conventualium Assisien., ubi quinquaginta Fratres, comprehensis novitiis, de familia manere volumus, Novitiatum dicti Ordinis auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus et instituimus, vobisque ut in conventu praefato novitios, qui qualitates requisitas iuxta constitutionem nostram super receptione Novitiorum nuper editam (1) habeant ac servata in omnibus et per omnia dictae constitutionis forma, ad habitum per Fratres vestri Ordinis gestari solitum recipere et deinde, lapso probationis anno, ad professionem per eosdem Fratres emitti consuetam regulares, admittere libere et licite possitis et valeatis, auctoritate et tenore praefatis licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

(1) « Regularis disciplinae », sub die 12 martii 1596: *Bull. Roman.,* ed. cit., X, 769.

Non obstantibus prohibitione novissime facta, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDC, pontif. nostri anno nono.

XII, 25. — *Originale.*

346. *1600, 5 decembris.*

Clemens episc. *etc.* dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri episcopi Fulginat. in spiritualibus generali salutem *etc.*

Ex parte dilecti filii Ioannis Quaglia, scholaris Spoletan. dioecesis, Nobis fuit humiliter supplicatum ut cum eo quod, defectu natalium quem, ut asserit, ex coniugato et soluta genitus patitur, non obstante, clericali charactere, quatenus illo nondum insignitus existat, insigniri illiusque privilegiis uti ac ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promoveri et in eis promotus [...] (1) in altaris ministerio ministrare, necnon quaecunque et qualiacunque cum cura et sine cura beneficia ecclesiastica, etiam si personatus, administrationem vel officium in cathedralibus etiam metropolitan. et collegiatis ecclesiis, ac canonicatus et praebendae necnon dignitates, non tamen principales, in collegiatis ecclesiis huiusmodi seu parochiales ecclesiae vel earum perpetuae vicariae fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consuever[...] per electionem [assumta?] eisque cura immineat animarum, si sibi alias canonice conferantur aut ipse Ioannes eligatur, praesentetur vel alias assumatur ad illa et instituatur in eis, recipere et, dummodo plura simul non sint, retinere libere et licite valeat, dispensare de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur praefatum Ioannem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, cum Sedes episcopalis Spoletan. ad praesens vacet et, ut dictus Ioannes etiam asserit, ven. frater noster episcopus Fulginat. ordinarius vicinior existat, per apostolica scripta mandamus, quatenus, consideratis diligenter circumstantiis universis quae circa idoneitatem personae dicti Ioannis fuerint attendendae, si ipse Ioannes non sit paternae incontinentiae imitator sed bonae conversationis et vitae ac alias ei merita suffragentur ad huiusmodi dispensationis gratiam obtinendam, super quo tuam conscientiam oneramus, cum eodem Ioanne super praemissis auctoritate nostra [dispen]ses, prout secundum Deum animae suae saluti videris expedire. Non obstantibus defectu praemisso ac Pictaven. Concilii et quibusvis aliis [...]bus et ordi-

(1) Charta perforata.

nationibus apostolicis nec non ecclesiarum in quibus beneficia huiusmodi fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis [statutis] et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo, [nonis decembris], pontif. nostri anno nono.

XII, 26. — *Originale.*

347. *1601, 21 maii.*

Clemens episc. *etc.* dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Mediolanen. in spiritualibus generali salutem *etc.*

Sedes apostolica pia mater recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filiis, praesertim sub regulari iugo viventibus, se propitiam praebet et benignam, illos quoque favore gratiose prosequitur quos ad id alias propria virtutum merita multipliciter commendant.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii *Silvii Iatuati* Ordinis fratrum Minorum Conventualium S. Francisci expresse professoris petitio continebat, quod cum alias ipse *Silvius* et de mense februarii proxime praeterito domi paternae seu fraternae in loco S. Victoris dictae dioecesis existeret, quondam Antonius Cribellus Mediolanen., exul seu bannitus ac alias vir perditus, archibugio et ense armatus, animo ut creditur violandi puellam dicti *Silvii* neptem dictae domi existentem, illuc accessit et post nonnulla altercatoria verba ense evaginato in dictum *Silvium* irruit; cumque illum apud ignem se calefacientem occidere tentaret, ita disponente Domino ictus vanus evasit et ensis aggressoris se rupit, unde dictus *Silvius* iusto dolore commotus praefato Antonio arma abstulit, in ipsoque rumore quidam eius frater et ipsius fratris duo filii advenerunt dictumque Antonium percusserunt ac tandem a dicto *Silvio* inde recedente prolato verbo: Interficite!, occiderunt.

Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus eiusdem *Silvii* frater et ipsius fratris filii praefati a curia saeculari desuper processati tandemque, rei veritate cognita ac a dicti defuncti parentibus pace habita, absoluti fuerint, dictus autem *Silvius,* qui ante praemissa in necem dicti Antonii numquam cogitaverat, de eisdem praemissis plurimum doluerit et doleat, nec a dicta curia aut alio quoquam molestatus fuerit; quare pro parte dicti *Silvii* Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi de absolutionis beneficio ac opportunae dispensationis gratia providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur attendentes quod dictae Sedis exuberans clementia gremium suae pietatis veniam petentibus claudere non consuevit, ipsumque *Silvium,* alias apud Nos de religionis zelo multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso et a quibusvis excommunicationis *etc.* harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac certam de praemissis notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, verificatis prius coram te supra narratis ac imposita dicto *Silvio*

aliqua poenitentia salutari et alia quae de iure fuerint iniungenda ipsoque ab executione sacrorum ordinum ad biennium et deinde arbitrio tuo suspenso et salva regulari disciplina, eumdem *Silvium,* si hoc a te humiliter petierit, ab excessibus praemissis necnon quibusvis excomunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quas propter praemissa quomodolibet incurrit in utroque foro auctoritate nostra absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas sibi gratiose remittas et condones, secumque super irregularitate per eum praemissorum occasione quomodolibet contracta, quodque clericali charactere, quo alias rite insignitus fuit, illiusque privilegiis necnon omnibus etiam sacris et presbyteratus ordinibus, per eum alias rite quoque susceptis, uti et in illis etiam in altaris ministerio ministrare necnon quaecumque et qualiacumque dicti Ordinis officia etiam claustralia, si ad illa canonice eligatur, praesentetur vel alias assumatur et instituatur, in eisdem recipere et retinere libere et licite valeat dicta auctoritate dispenses, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam circa eum ex praemissis quomodolibet insurgentem ab eo penitus aboleas illumque in pristinum et eum in quo ante praemissa quomodolibet erat statum, in omnibus et per omnia, restituas, reponas et plenarie reintegres.

Non obstantibus irregularitate et aliis praemissis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis dictique Ordinis statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo primo, duodecimo kal. iunii, pontif. nostri anno decimo.

XII, 27. — *Originale.*

348. *1602, 5 septembris.*

Clemens episc. *etc.,* ad perpetuam rei memoriam.

In apostolicae dignitatis culmine, meritis licet imparibus, divina dispositione constituti, Christi fidelium quorumlibet, praesertim sub suavi religionis iugo altissimo famulantium, votis eorum exemptiones, privilegia, facultates et indulta concernentibus, libenter intendentes, ea cum a Nobis petitur apostolicae firmitatis munimine roboramus.

Dudum siquidem, postquam felicis recordationis Innocentius papa IIII et Clemens etiam IIII ac Nicolaus similiter IIII necnon Gregorius IX et Gregorius XI ac Alexander pariter IIII, necnon Bonifacius IX et Nicolaus V ac Calixtus III, necnon Pius II et alii romani Pontifices domum S. Francisci Assisien. Ordinis fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum illiusque Custodem et Fratres pro tempore existentes specialibus favoribus prosequi volentes, domui et Custodi ac Fratribus praefatis diversa privilegia, indulta, exemptiones, favores et gratias tam spirituales quam etiam forsan temporales sub modis et formis tunc expressis per diversas concesserant, piae memoriae Gregorius papa XIII, praedecessores no-

stri, privilegia, indulta, exemptiones, favores et gratias huiusmodi ac litteras desuper confectas copiosissime per alias suas litteras approbavit et confirmavit, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenissent in eisdem, supplevit, prout in singulis litteris praefatis plenius continetur. Cum autem quo saepius similia privilegia ab apostolica Sede confirmantur et approbantur eo firmius subsistant et melius ab omnibus observentur, pro parte dilectorum filiorum modernorum Custodis et Fratrum dictae domus Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus privilegia et alia praefata pro firmiori eorum subsistentia et observatione inviolabili nostro et Sedis praefatae munimine roborare in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur Custodem et Fratres praefatos eorumque singulos a quibusvis excomunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon singularum litterarum praedictarum et inde secutorum quorumcumque tenores etiam veriores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, indulta, libertates, exemptiones, praerogativas, facultates, favores et gratias alias universas, tam spirituales quam temporales, domui et Custodi ac Fratribus praefatis per dictos praedecessores et eorum quemlibet sub quibuslibet verborum formis et expressionibus concessa, dummodo sint in usu nec sub aliqua revocatione comprehensa et sacris canonibus ac Concilii Tridentini decretis regularibusque eiusdem Concilii institutis minime contraria, et in viridi observantia existant, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti ac quosvis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus, ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane auctoritate et tenore praemissis decernimus.

Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon domus et Ordinis praefatorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnimo hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis et decreti infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo secundo, nonis septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

XII, 28. — *Originale.*

349. *1604, 5 novembris.*

Clemens episc. *etc.* venerabili fratri episcop. Assisien. seu dilecto filio eius Vicario in spiritualibus generali salutem *etc.*

Significarunt nobis dilecti filii Guardianus et Fratres domus S. Francisci Assisien. Ordinis fratrum eiusdem S. Francisci Minorum Conventualium nuncupatorum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, census, terras, domos, possessiones, mobilia et immobilia bona, pannos laneos, lineos, sericeos, scripturas publicas et privatas fidem tamen facientes, libros rationum ac iura nec non pecuniarum summas, auri et argenti, leguminum, hordei, frumenti ac aliarum frugum, vini oleique quantitatem, decimas, primitias, cruces, calices, vasa aurea et argentea, ornamenta et paramenta ecclesiastica, domusque suppellectilia magni momenti ad dictam domum legitime spectantia subtraxerunt et temere occultarunt eaque malitiose occultare ac occulte et indebite detinere praesumpserunt et praesumunt, ex quo praefatae domui gravia damna valorem quinquaginta ducatorum excedentia nequiter intulerunt, in animarum suarum periculum et dictae domus non modicum detrimentum; super quo ipsi significantes apostolicae Sedis remedium implorarunt.

Quocirca fraternitati tuae, frater episcope, seu discretioni tuae, fili vicarie, per apostolica scripta mandamus, quatenus si, causa diligenter et magna maturitate per te examinata pro rei, loci, temporis et personarum qualitatibus, tibi pro tua conscientia videbitur expedire, omnes huiusmodi bonorum detentores et illorum celatores aut alias scientiam habentes ac damnorum illatores occultos ex parte vestra publice in ecclesiis coram populo per te vel alium seu alios moneas ut infra competentem terminum, quem eis praefixeris, ea dictae domui a se debita detentores quidem et occupatores restituant, occultatores vero ac illa scientes revelent. Et si id non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc duxeris peremptorie praefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas eamque facias, ubi, quando et quoties videris expedire, usque ad satisfactionem condignam et revelationem debitam solemniter publicari.

Volumus autem quod ex revelatione huiusmodi, si eam fieri contingat, non possit nisi pro civili interesse et civiliter tantum agi, et aliter revelatio ipsa neque in iudicio neque extra iudicium fidem faciat.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo quarto, nonis novembris, pontif. nostri anno tertiodecimo.

XII, 29. — *Originale.*

350. *1608, 3 octobris.*

Paulus papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in ecclesia *S. Dionisii castri Podii inferioris,* Assisien. dioecesis, una pia utriusque sexus Christi fidelium confraternitas sub invocatione sanctissimi Corporis Domini, non tamen ex homi-

nibus unius specialis artis, canonice instituta existat, cuius dilecti filii confratres et consorores in diversis pietatis et charitatis operibus sese consueverunt exercere; Nos, ut confraternitas praefata maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus qui dictam confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam ipsis pro tempore describendis quam iam descriptis in dicta confraternitate confratribus et consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si pariter vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu, ore si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, etiam plenariam; nec non ipsis nunc et pro tempore confratribus et consororibus similiter vere poenitentibus et confessis sacraque Communione refectis, qui praefatae confraternitatis ecclesiam vel capellam seu oratorium die festo Nativitatis Domini, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi, singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Insuper eisdem confratribus et consororibus similiter vere poenitentibus et confessis ac sanctissima Communione refectis, qui praefatae confraternitatis ecclesiam vel capellam seu oratorium in Paschatis Resurrectionis dominicae, sanctissimi Corporis Christi, S. Ioannis Baptistae ac S. Dionisii festis diebus similiter a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis pie visitaverint et, ut praefertur, oraverint, quo die praefatorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; quoties vero Missis et aliis divinis officiis in dicta ecclesia vel capella seu oratorio pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum tam confratrum et consororum quam aliorum ad sepulturam ecclesiasticam associaverint, vel quascumque processiones per ipsam confraternitatem de licentia Ordinarii faciendas dictumque sanctissimum Eucharestiae sacramentum tam in processionibus quam cum ad infirmos aut alias ubicumque et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut si ad hoc impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem dominicam et Salutationem angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem dominicam et Salutationem angelicam pro animabus defunctorum confratrum et consororum dictae confraternitatis recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et ea quae ad salutem sunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis et charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praefatorum [...] sexaginta dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut si alias dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura per Nos concessa fuerit, praesentes nullae sint, utque etiam si praefata confraternitas alicui archiconfraternitati aggregata iam sit vel imposterum aggregetur seu quavis alia ratione uniatur seu etiam quomodolibet instituatur, priores seu quaevis aliae litterae apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCVIII, pontif. nostri anno quarto.

XII, 30. — *Originale.*

351. *1609, 1 septembris.*

Paulus papa V, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam *etc.* omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sanctissima Communione refectis, qui ecclesiam monasterii fratrum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Assisien., die festo Stygmatum eiusdem S. Francisci, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi, singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum *etc.* preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et relaxamus.

Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Volumus autem quod si alias Christi fidelibus dictam ecclesiam visitantibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die prima septembris MDCIX, pontif. nostri anno quinto.

XII, 31. — *Originale.*

352. *1609, 13 sept.*

Paulus episc. *etc.* venerabili fratri episcopo Assisien. seu dilecto filio eius Vicario in spiritualibus generali salutem *etc.*

Significarunt nobis dilecti filii Guardianus et Fratres domus S. Francisci Assisien. Ordinis fratrum Conventualium nuncupatorum eiusdem S. Francisci, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, census, terras, domos, possessiones, bona mobilia et immobilia, pannos laneos, lineos, sericeos, scripturas publicas et privatas fidem tamen facientes, libros rationum ac iura, nec non pecuniarum summas, auri et argenti ac frugum, vini oleique quantitatem, iocalia, gemmas, annulos aureos, lapidesque pretiosos, domusque suppellectilia magni momenti, ad dictam domum ex successione sibi contingente in persona *Ioannis Francisci Sans* (?) dictum Ordinem in dicta domo expresse professi legitime spectantia, subtraxerunt et temere occupaverunt eaque malitiose oc-

cultare ac occulte et indebite detinere praesumpserunt et praesumunt, ex quo dictae domui gravia damna valorem quinquaginta ducatorum excedentia nequiter intulerunt, in animarum suarum periculum et dictae domui non modicum detrimentum; super quo ipsi significantes apostolicae Sedis remedium implorarunt.

Quocirca fraternitati tuae, frater episcope, seu discretioni tuae, fili vicarie, per apostolica scripta mandamus, quatenus si ea diligenter et magna maturitate per te examinata pro rei, loci, temporis et personarum qualitatibus, tibi pro tua conscientia videbitur expedire, omnes huiusmodi bonorum detentores et illorum celatores aut alias scientiam habentes ac damnorum illatores occultos ex parte vestra publice in ecclesiis coram populo per te vel alium seu alios moneas ut infra competentem terminum, quem eis praefixeris, ea dictae domui a se debita detentores quidem et occupatores restituant, occultatores vero ac illa scientes revelént. Et si id non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc duxeritis peremptorie praefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas et facias, ubi, quando et quoties opus fuerit videbitur expedire, usque ad satisfactionem condignam et revelationem debitam solemniler publicari.

Volumus autem quod ex revelatione huiusmodi *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nono, idibus septembris, pontif. nostri anno quinto.

XII, 32. — *Originale.*

353. *1613, 6 iulii.*

Paulus papa v, ad perpetuam rei memoriam.

Ad augendam *etc.* omnibus utriusque sexus Christi fidelibus qui processioni, quae singulis feriis sextis in ecclesia S. Francisci Assisien. in memoriam passionis Domini post Completorium agi solet, devote interfuerint, et ibi pro christianorum principum *etc.* preces effuderint, qua die id egerint, ducentos dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut si alias Christi fidelibus in dicta ecclesia praemissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die VI iulii MDCXIII, pontif. nostri anno nono.

XII, 33. — *Originale.*

354. *1617, 25 februarii.*

Paulus papa v, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam *etc.* omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sanctissima Communione refectis, qui orationi Quadraginta horarum, de licentia Ordinarii in ecclesia S. Francisci

fratrum Ordinis Minorum Conventualium Assisien. dominica Palmarum instituendae, per aliquod temporis spatium interfuerint et ibi pro christianorum principum *etc.* preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et relaxamus.

Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Volumus autem ut si alias Christi fidelibus in dicta ecclesia praemissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XXV februarii MDCXVII, pontif. nostri anno duodecimo.

XII, 34. — *Originale.*

355. *1619, 15 ianuarii.*

Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in ecclesia *S. Ioannis* prope et extra civitatem Assisien. una pia utriusque sexus Christi fidelium confraternitas sub invocatione Conceptionis b. Mariae virginis, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice instituta existat, cuius confratres et consorores quamplurima pietatis et charitatis opera exercere consueverunt; Nos ut confraternitas huiusmodi maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; necnon descriptis et describendis in eadem confraternitate confratribus et consororibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, etiam plenariam; ac ipsis nunc et pro tempore confratribus et consororibus vere etiam poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui praedictae confraternitatis ecclesiam vel cappellam seu oratorium die festo Conceptionis b. Mariae virginis a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christinorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Insuper eisdem vere pariter poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis ecclesiam vel capellam seu oratorium huiusmodi in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis eiusdem b. Mariae virginis festis diebus, ut praefertur, visitantibus et ut supra orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; necnon qui congregationibus tam publicis quam privatis eiusdem confraternitatis, ubi ipsius negotia tractantur, interfuerint, centum

dies pro qualibet vice; necnon eisdem confratribus et consororibus, qui corpora defunctorum confratrum et consororum dictae confraternitatis ad sepulturam ecclesiasticam comitati fuerint et pro ipsius defuncti anima preces Deo effuderint, ducentos dies pro qualibet vice; quoties vero conscientiae suae vespere examen egerint et protectioni eiusdem b. Mariae virginis et Angeli Custodis sese commendaverint, toties centum dies; iis vero, qui in honorem eiusdem Immaculatae virginis Mariae pauperibus puellis ne in diaboli potestatem veniant subvenerint et auxilium praestiterint, ac etiam quovis modo earumdem pudicitiae conservandae occasionem praebuerint, quoties id egerint, annum unum; quoties vero paci et unioni inter fideles constituendae operam dederint, aut peccatum reliquerint, aut hospitalia et carceratos visitaverint, et ignorantes doctrinam christianam docuerint, sexaginta dies pro qualibet vice; iis vero, qui officium b. Mariae virginis recitaverint, quinquaginta dies pro qualibet vice; et qui dictum officium quotidie per mensem continuum similiter recitaverint, si confessi ac sacra Communione refecti fuerint, septem annos et totidem quadragenas semel pro quolibet mense, de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut si alias dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, praesentes nullae sint; utque etiam si dicta confraternitas alicui archiconfraternitati aggregata iam sit aut in posterum aggregetur seu quavis alia ratione uniatur vel etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae litterae apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XV ianuarii MDCXIX, pontif. nostri anno decimoquarto.

XII, 35. — *Originale.*

356. *1615, 23 martii.*

Paulus episc. *etc.* dilecto filio vicario ven. fratris nostri episcopi Assisien. in spiritualibus generali salutem *etc.*

Religionis zelus, litterarum scientia, vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius *Bartholomaeus Tartalia* frater expresse professus domus S. Francisci Assisien. Ord. fratrum Ordinis eiusdem S. Francisci Minorum Conventualium nuncupatorum et [sacrae] Theologiae [professor] apud Nos fide digno commendatur testimonio, Nos inducunt ut eum specialibus favoribus et gratiis prosequamur.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dicti *Bartholomaei* petitio continebat quod alias q. Simeon Antonellus laicus Assisien., pio. devotionis zelo et affectu ductus, prope et extra muros civitatis Assisien. unam ecclesiam sub invocatione et ad honorem S. Ioannis Baptistae suo proprio sumptu de licentia Ordinarii loci extrui fecit et sic extructam

ex propriis bonis et facultatibus suis dotavit ac tam illam quam eius bona et redditus per unum ex Fratribus dictae domus, eius vita durante, regi et administrari, ipsumque Fratrem per dictum Simeonem ac eius descendentes praesentari et nominari, ac per Custodem et Fratres domus huiusmodi confirmari, et singulis diebus de praecepto festivis in ipsa ecclesia ad unius Missae celebrationem teneri et obligatum esse, instituit. Nuperrime vero, dicta ecclesia rectore seu administratore carente, dilecta in Christo filia Baptista etiam Antonella, dicti Simeonis nata et haeres, cui ius nominandi seu praesentandi huiusmodi competit, ad illam illiusque ac bonorum et reddituum huiusmodi regimen et administrationem dictum *Bartholomaeum* coram dilecto filio moderno Custode et Fratribus domus huiusmodi, mediante persona dilecti filii Flaminii Vignati Assisien. ad hoc procuratoris, legitime praesentavit seu nominavit; Custos vero et Fratres praefati particulariter, ut moris est, congregati dictum *Bartholomaeum* uti habilem et idoneum in rectorem seu administratorem ecclesiae illiusque bonorum et reddituum huiusmodi iuxta dicti Simeonis dispositionem admiserunt, prout in diversis scripturis desuper confectis dicitur contineri. Cum autem, sicut eadêm petitio subiungebat, ea quae a Sede apostolica approbantur et confimantur firmius obsistant et melius ab omnibus observari soleant; quare pro parte dicti *Bartholomaei* nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus praesentationem seu nominationem et admissionem huiusmodi pro firmiori earum subsistentia et observatione inviolabili approbare et confirmare aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur certam de praemissis notitiam non habentes, ipsumque *Bartholomaeum* praemissorum meritorum suorum intuitu specialis gratiae favore prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis *etc.* absolutum fore censentes, nec non singularum scripturarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, constito tibi de praemissis, praesentationem, nominationem et administrationem praefatas cum omnibus et singulis inde legitime secutis ac sequendis, ita tamen quod si dictus *Bartholomaeus* apud praefatam ecclesiam residere contingat, dummodo cum uno socio inibi commoretur et sub obedientia Superioris dicti Ordinis remaneat, quodque rationem administrationis ecclesiae huiusmodi illiusque bonorum Superioribus praefatis, quandocumque ab eis desuper requisitus fuerit, reddere teneatur, auctoritate nostra approbes et confirmes omnesque singulos tam iuris quam facti et quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dicta auctoritate suppleas; et nihilominus eidem *Bartholomaeo* u[t a]d eius vitam dictam ecclesiam eiusque res et bona quaecumque regere et gubernare et administrare illique in divinis deservire libere et licite valeat, eadem auctoritate concedas, eumque desuper a Superioribus dicti Ordinis nunc et pro tempore existentibus aut quibusvis aliis, quovis praetextu, colore vel ingenio molestari, inquietari aut quoquomodo impediri nullatenus posse dicta auctoritate decernas.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac domus et Ordinis praefatorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis illorumque Superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo decimo quarto, decimo kal. aprilis, pontif. nostri anno decimo.

XII, 36. — *Originale.* = XIV, 35. — *Exemplum.*

357. *1622, 6 septembris.*

Gregorius papa XV, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam *etc.* omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sanctissima Communione refectis, qui ecclesiam superiorem S. Francisci Ordinis fratrum Minorum Conventualium eiusdem S. Francisci Assisien., die festo Stigmatum eiusdem S. Francisci, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia *etc.* preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et relaxamus.

Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Volumus autem quod si alias Christi fidelibus dictam ecclesiam visitantibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, eaedem praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDCXXII, pontif. nostri anno secundo.

XII, 37. — *Originale.*

358. *1625, 15 martii.*

Urbanus episc. *etc.* venerabilibus fratribus Assisien. et Nucerin. ac Perusin. episcopis seu dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus generalibus salutem *etc.*

Significarunt nobis dilecti filii Guardianus et Fratres domus S. Francisci Assisien., Ordinis eiusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, census, terras, domos, possessiones, bona mobilia et immobilia, scripturas publicas et privatas fidem tamen facientes, libros rationum et computorum, ac iura, decimas, primitias, ornamenta et paramenta ecclesiastica, nec non pecu-

niarum summas, auri et argenti, ferri, lignorum, vini, olei, hordei, frumenti ac aliarum frugum quantitatem, gemmas, cruces, calices, vasa aurea et argentea, domusque suppellectilia magni momenti, ad dictam domum legitime spectantia, subtraxerunt ac temere occuparunt eaque malitiose occultare ac occulte et indebite detinere praesumpserunt et praesumunt, ex quo dictae domui gravia damna valorem quinquaginta ducatorum excedentia nequiter intulerunt, in animarum suarum periculum et dictae domus non modicum detrimentum; super quo significantes ipsi apostolicae Sedis remedium implorarunt.

Quocirca fraternitati vestrae, fratres episcopi, seu discretioni vestrae, filii vicarii, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, quilibet vestrum videlicet in suis civitate et dioecesi, si, causa diligenter et magna maturitate per vos examinata, pro rei, loci, temporis et personarum qualitatibus, vobis pro vestra conscientia videbitur expedire, omnes huiusmodi bonorum detentores et illorum celatores aut alias scientiam habentes ac damnorum illatores occultos ex parte vestra publice in ecclesiis coram populo per vos vel alium seu alios moneatis ut infra competentem terminum, quem eis praefixeritis, ea dictae domui a se debita detentores quidem et occupatores restituant, occultatores vero ac illa scientes revelent. Et si id non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc duxeritis peremptorie praefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferatis eamque faciatis, ubi, quando et quoties videritis expedire, usque ad satisfactionem condignam et revelationem debitam solemniter publicari.

Volumus autem quod ex revelatione *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, idibus martii, pontif. nostri anno tertio.

XII, 38. — *Originale.*

359. *1626, 7 octobris.*

Urbanus episc. *etc.* universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

De salute gregis Dominici curae nostrae, meritis licet imparibus, divina dispositione commissi sollicitis studiis cogitantes, fideles singulos, quorum merita pro demeritis sunt imparia ad pia et meritoria opera exercenda, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus, libenter invitamus, ut per huiusmodi operum exercitium sacrum abolita macula delictorum ad aeternae beatitudinis gaudia facilius pervenire mereantur.

Cum itaque, sicut accepimus, in ecclesia monasterii Monialium S. Clarae oppidi civitatis nuncupati *Annesii,* Gebennen. dioecesis, una pia et devota utriusque sexus Christi fidelium confraternitas sub invocatione S. Ursulae et undecim millium virginum et martyrum ad Dei omnipotentis laudem canonice, non tamen pro hominibus unius specialis artis, instituta existat, cuius dilecti filii confratres diversa pietatis opera exer-

cere consueverunt; ut igitur ipsa confraternitas maiora in dies suscipiat spiritualia incrementa, de eiusdem omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur, die primi illorum ingressus huiusmodi, si sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint; necnon tam ipsis quam nunc et pro tempore existentibus dictae confraternitatis confratribus, etiam vere poenitentibus et confessis sacraque Communione, si id commode fieri poterit, refectis, in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus; ac dictis confratribus pariter vere poenitentibus et confessis eademque Communione refectis, qui dictam ecclesiam in die festo eiusdem sanctae Ursulae a primis vesperis usque ad occasum solis diei festi huiusmodi annis singulis devote visitaverint et inibi pro sanctae matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, haereticorum conversione ac inter principes christianos concilianda et fovenda pace ac romani Pontificis salute pias ad Deum preces effuderint; quo die praefato id fecerint, indulgentiam plenariam et omnium peccatorum suorum remissionem apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et elargimur.

Praeterea eisdem confratribus pariter vere poenitentibus et confessis dictaque Communione refectis, qui ecclesiam huiusmodi in Annunciationis et Assumptionis ac Nativitatis necnon Purificationis beatae Mariae virginis festivitatibus etiam devote annis singulis visitaverint et, ut praefertur, oraverint, quo dierum festivitatum huiusmodi id fecerint, septem annos et totidem quadragenas.

Postremo eisdem confratribus quoties Missis et aliis divinis officiis in oratorio dictae confraternitatis more illius confratrum pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis et privatis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint; vel pauperes peregrinos hospitio exceperint, aut pacem cum inimicis composuerint, necnon corpora in Christi charitate defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulturam ecclesiasticam associaverint, vel quascumque per ipsam confraternitatem de Ordinarii licentia faciendas processiones dictumque sanctissimum Eucharistiae sacramentum dum ad infirmos defertur comitati fuerint, vel, si impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem dominicam et Salutationem angelicam pro eodem infirmo vel quinquies Orationem et Salutationem praefatas pro animabus confratrum dictae confraternitatis devote recitaverint, seu devium aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei praecepta et quae ad salutem sunt docuerint, toties pro quolibet praemissorum piorum operum sexaginta dies de iniunctis eis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis auctoritate et tenore praefatis misericorditer in Domino relaxamus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Volumus autem quod si dicta confraternitas alicui archiconfraternitati aggregata sit vel imposterum aggregetur seu quavis alia ratione pro illius indulgentiis consequendis et de illis partecipandis uniatur vel alias quomodolibet instituatur, priores seu quaevis aliae litterae aposto-

licae desuper obtentae praeter has nullatenus ei suffragentur, sed ex tunc prorsus nullae sint eo ipso; quodque si confratribus praefatis ratione praemissorum vel alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, eaedem praesentes nullius sint roboris vel momenti.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, nonis octobris, pontif. nostri anno quarto.

XII, 39. — *Originale.*

360. *1626, 13 novembris.*

Urbanus episc. *etc.* venerabilibus fratribus Assisien. et Perusin. ac Fulginat. episcopis seu dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus generalibus salutem *etc.*

Significaverunt nobis dilecti filii Guardianus et Fratres domus S. Francisci Assisien., Ordinis fratrum Minorum eiusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, census, terras, domos, possessiones, bona mobilia et immobilia, pannos laneos, lineos, sericeos, scripturas pubblicas et privatas fidem tamen facientes, libros rationum et computorum, ac iura nec non pecuniarum summas, auri et argenti, vini, olei, hordei, frumenti ac aliarum frugum quantitatem, gemmas, domusque suppellectilia magni momenti ad dictam domum ratione successionis hereditariae q. Petri Pauli Pace de Pesena (?) dilecti filii *Ioannis Francisci* etiam *Pace,* dicti Petri Pauli fratris germani, dictum Ordinem in praefata domo expresse professi, legitime spenctantia, subtraxerunt et temere occuparunt eaque malitiose occultare ac occulte et indebite detinere praesumpserunt et praesumunt, ex quo praefatae domui gravia damna valorem quinquaginta ducatorum excedentia nequiter intulerunt, in animarum suarum periculum et dictae domus non modicum detrimentum; super quo ipsi significantes apostolicae Sedis remedium implorarunt.

Quocirca fraternitati vestrae *etc., ut supra nr. 358, usque* solemniter publicari.

Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam maiorem anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, idibus novembris, pontif. nostri anno quarto.

XII, 40. — *Originale.*

361. *1629, 22 septembris.*

Urbanus papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Studiosis omnibus et praesertim Religiosis, ut debita laboribus eorum praemia consequantur, favere solemus ac eorum indemnitati libenter consulimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii moderni regentes et baccalaurei collegii sacrorum Stigmatum S. Francisci As-

sisien., Ordinis eiusdem S. Francisci fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, in ipso collegio, quod iuxta constitutiones nostras erectum et institutum fuit, in examinandis dicti collegii baccalaureis et ad magisterii gradum promovendis idem plane rigor eademque forma observetur quae in collegio S. Bonaventurae de Urbe Fratrum dicti Ordinis observari solent, ita ut qui ex dictis baccalaureis praestantiores per examinatores ad hoc deputatos praevio rigoroso examine in primo dicti collegii collegiales electi fuerint ii integro triennio antequam magisterii gradum huiusmodi consequantur in primo dicto collegio sacrarum litterarum studiis incumbere teneantur nec possint intra triennium huiusmodi ad doctoratus gradum quomodolibet aspirare; interim tamen alii eiusdem Ordinis baccalaurei, et ii forsan qui a numero electorum huiusmodi tamquam parum idonei exclusi fuerant, alibi magisterii gradum assequantur, qui postmodum supradictis baccalaureis collegialibus dicti collegii sacrorum Stigmatum S. Francisci, post ipsos ad magisterii gradum promotis, praecedere debere praetendunt, quod in maximum eorumdem collegialium detrimentum vergeret: cupiunt propterea exponentes praefati per Nos et Sedem apostolicam sibi desuper indulgeri.

Nos eorumdem exponentium indemnitati consulere ipsosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon eorum singulos a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutos fore censentes, porrectis Nobis pro eorumdem exponentium parte super hoc supplicationibus inclinati, omnibus et singulis eiusdem collegii sacrorum Stigmatum S. Francisci collegialibus baccalaureis praeteritis, praesentibus et futuris, ut eisdem privilegiis, praerogativis et indultis, quibus baccalaurei collegiales dicti collegii S. Bonaventurae de Urbe a fel. rec. Clemente papa VIII praedecessore nostro super praecedentia, ut infra, concessis utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant; ita ut dicti collegii sacrorum Stigmatum S. Francisci collegiales baccalaurei ex ipsa die qua quisque ipsorum in collegium praefatum sacrorum Stigmatum S. Francisci adscriptus fuerit omnibus et singulis eiusdem Ordinis Fratribus qui post eorum in dictum collegium sacrorum Stigmatum S. Francisci admissionem infra triennium, quo ipsi collegiales in collegio sacrorum Stigmatum S. Francisci huiusmodi permanserint, magisterii gradum consequuti fuerunt vel deinceps consequentur, in quibuscumque locis, cessionibus, processionibus et actibus tam publicis quam privatis praecedere ac praeferri in omnibus et per omnia possint et debeant, perinde ac si ex ipsa die suae in dictum collegium sacrorum Stigmatum S. Francisci admissionis quilibet ex ipsis collegialibus sacrorum Stigmatum S. Francisci ad magisterii gradum promotus fuisset, accedente ad id consensu dilecti filii Ministri generalis totius Ordinis praefati, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus; sicque per quoscumque iudices ac eiusdem Ordinis Superiores iudicari et diffiniri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Quocirca venerabilibus fratribus Assisieñ. et Perusin. episcopis sive eorum vicariis in spiritualibus generalibus et dilecto filio Curiae causarum Camerae nostrae apostolicae auditori generali nunc et pro tempore existentibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes has nostras litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte exponentium praefatorum vel alicuius ex eis fuerint requisiti, solemniter publicantes eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant indultum praefatum ab omnibus, quos illud concernit et concernet, inviolabiliter observari, ipsosque exponentes ac eorum successores illo ac praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus, servata forma Concilii Tridentini, declarandi, aggravandi et reaggravandi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus fel. rec. Pauli papae II praedecessoris nostri de una et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis ultra tres dietas earumdem vigore praesentium extra suam civitatem vel dioecesim ad iudicium non trahatur, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica aut quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eis eorumque Superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio in praesentibus facienda foret, illis alias in suo robore permansuris latissime, hac vice dumtaxat derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XXII septembris MDCXXIX, pontif. nostri anno septimo.

XII, 41. — *Originale.* = Nr. 481: XIV, 43. — *Exemplum typis editum.*

362. *1627, 28 iulii.*

Urbanus papa VIII, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam *etc.* omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui processionem de licentia Ordinarii in translatione reliquiarum b. Mariae virginis die festo Assumptionis b. Mariae virginis in ecclesia S. Francisci fratrum Minorum Conventualium Assisien. favendo comitati fuerint et eodem die praefatam ecclesiam devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia *etc.* preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praesentibus pro una vice tantum valituris.

Volumus autem quod pro praesentatione, admissione seu publicatione praesentium nihil omnino detur aut sponte oblatum accipiatur, alias praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCXXVII, pontif. nostri anno quarto.

XII, 42. — *Originale.*

363. *1634, 18 ianuarii.*

Urbanus papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in ecclesia domus fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum civitatis Assisiensis una pia et devota utriusque sexus Christi fidelium confraternitas sub invocatione S. Ursulae et Sociarum, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice instituta seu instituenda existat, cuius confratres et consorores quamplurima pietatis et charitatis opera exercere consueverunt; Nos ut confraternitas praedicta maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus qui dictam confraternitatem in posterum ingredientur, die primi eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac eisdem nunc et pro tempore existentibus confratribus et consororibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, etiam plenariam; necnon tam eisdem descriptis quam pro tempore describendis in dicta confraternitate confratribus et consororibus vere similiter poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui praefatae confraternitatis ecclesiam vel cappellam seu oratorium die festo S. Ursulae et Sociarum, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Insuper dictis confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus et confessis ac eadem sacra Communione refectis ecclesiam vel cappellam seu oratorium huiusmodi in Ascensionis Domini ac Praesentationis beatae Mariae virginis ac S. Iosephi necnon S. Francisci festis diebus, ut praefertur, visitantibus et orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; quoties vero Missis et aliis divinis officiis in dicta ecclesia vel capella seu oratorio pro tempore celebrandis et recitandis seu congregationibus publicis vel privatis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint; aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint seu componi fecerint vel procuraverint; necnon etiam qui corpora defunctorum tam confra-

trum et consororum huiusmodi quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas sanctissimumque Eucharistiae sacramentum tam in processionibus quam cum ad infirmos vel alias ubicumque et quomodocumque pro tempore deferetur comitati fuerint, aut si impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem dominicam et Salutationem angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem et Salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum huiusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et ea quae ad salutem sunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut si alias dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, praesentes nullae sint; utque etiam si dicta confraternitas alicui archiconfraternitati aggregata iam sit vel in posterum aggregetur seu quavis alia ratione uniatur aut etiam quomodolibet instituatur, praesentes et quaevis aliae litterae apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDCXXXIIII, pontif. nostri anno undecimo.

XII, 43. — *Originale.*

364. *1635, 30 aprilis.*

Urbanus papa VIII, universis Christi fidelibus praesentes nostras litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam *etc.* omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui septem altaria in ecclesia domus fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Assisiensium, per Ordinarium loci semel tantum designanda, devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia *etc.* preces effuderint, ut quoties id egerint omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur si septem altaria in Basilica Principis Apostolorum de Urbe sita ad id designata personaliter et devote visitarent, concedimus et indulgemus.

Non obstante regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod si pro praesentatione, admissione aut publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut etiam sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XXX aprilis MDCXXXV, pontif. nostri anno duodecimo.

XII, 44. — *Originale.*

365. *1643, 6 februarii.*

Urbanus episc. *etc.* dilectis filiis Superiori domus regularis S. Laurentii fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum S. Francisci Neapolitan. ac vicario ven. fratris nostri archiepiscopi Neapolitan. salutem *etc.*

Ex parte *Ioannis Baptistae* terrae S. Severini, Salernitan. dioec., fuit Nobis humiliter expositum quod ipse, qui in diaconatus vel subdiaconatus ordine constitutus existit et habitum per fratres Ordinis S. Francisci Min. Conv. nunc gestari solitum suscepit et professionem per dictos Fratres emitti solitam in eorum domo regulari S. Laurentii Neapolitan., per vim et metum qui cadere poterant in constantem virum, et anno probationis non facto aut interrupto, emisit regularem. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus *Ioannes Baptista,* qui infra quinquennium Regularibus ad declarandum et de nullitate suarum professionum dicendum praefixum adhuc existit, professionem praefatam per eum, ut praefertur, nulliter emissam, nullam et invalidam declarari facere desideret; quare pro parte eiusdem *Ioannis Baptistae* fuit Nobis humiliter supplicatum, quatenus vobis, ut vocatis ad id qui fuerint vacandi, vos coniunctim procedentes de praemissis diligenter informetis, et si per informationem eandem preces veritate niti repereritis, dictum *Ioannem Baptistam* dicto Ordini non adstrictum sed liberum existere et habitum praefatum dimittere et ad saeculum redire nec non in paternis aliisque undequaque sibi legitime obveniendis bonis succedere libere et licite posse et alias in praemissis omnibus et singulis faciatis et declaretis, prout de iure fuerit faciendum et declarandum, constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, committere et mandare aliasque in praemissis opportune providere paterna sollicitudine curaremus.

Nos igitur eundem *Ioannem Baptistam* a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos coniunctim procurantes, vocatis qui ad id fuerint vocandi, praefatum *Ioannem Baptistam,* dummodo quinquennium a die emissae professionis elapsum non sit ipseque professionem huiusmodi tacite vel expresse numquam ratificaverit, ipsum in habitu et tonsura regularibus et sub obedientia suorum Superiorum manentem in suis praefatis iuribus audiatis ac in praemissis faciatis et declaretis, prout de iure fuerit faciendum et declarandum.

Volumus autem quod dictus *Ioannes Baptista* ab executione suorum ordinum, in quo seu quibus constitutus existit, tandiu suspensus existat, donec sibi de sufficiente patrimonio vel beneficii ecclesiastici titulo provisum fuerit.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo sexentesimo quadragesimo tertio, octavo idus februarii, pontif. nostri anno vigesimo primo.

XII, 46. — *Originale.*

366. *1667, 21 octobris.*

Clemens papa IX, ad perpetuam rei memoriam.

Sincera nostra erga gloriosissimam virginem Dei genitricem Mariam, patronam et advocatam nostram, devotio plane exigit, ut piis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliorumque Antistitum, qui ecclesiis in temporali nostra et Sedis apostolicae ditione consistentibus praesunt, ac Christi fidelium tam almae Urbis nostrae, ex qua bonorum operum exempla in omnes christiani orbis partes assidue promanant, quam ceterarum civitatum, oppidorum et locorum Nobis et dictae Sedi in temporalibus subditorum, votis paterno affectu annuentes, eiusdem augustissimae caeli Reginae venerationem in terris, quantum Nobis ex alto conceditur, ampliare studeamus.

Itaque ut tam in Urbe praedicta quam in ceteris civitatibus et dioecesibus, oppidis, terris et locis, etiam nullius dioecesis, Nobis et Sedi praedictae in temporalibus mediate vel immediate subiectis, tum a saecularibus tum a regularibus utriusque sexus, qui Horas canonicas recitare tenentur, Officium et Missa Conceptionis beatae Mariae virginis Immaculatae cum octava in posterum de praecepto recitetur, cum lectionibus in Octavario romano a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum approbato contentis et a die octava ad decimam quintam decembris rite dispositis, auctoritate apostolica tenore praesentium mandamus et decernimus; idemque Officium ad usum cleri Urbis ac civitatum, dioecesum, oppidorum, terrarum et locorum praedictorum seorsim ab Octavario romano imprimi posse concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Dat. Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XXI octobris MDCLXVII, pontif. nostri anno primo.

XII, 45. — *Exemplum typis editum.*

367. *1659, 7 octobris.*

Venerabili fratri episcopo Assisiensi

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabilis frater, salutem *etc.*

Cum, sicut dilectus filius *Iacobus de R*[*avenna*] (1) Minister generalis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, eleemosynae pro pluribus Missis ad altare eiusdem

(1) Fabretti: rexit ann. 1659-65.

S. Francisci in ecclesia conventus Assisien. dicti Ordinis celebrandis, quam quae ibidem, attenta plurimorum peregrinorum et aliorum illuc devotionis causa confluere solitorum multitudine, celebrari valeant, datae reperiantur, ipseque *Iacobus* propterea Missas huiusmodi ad duo altaria in eadem ecclesia posita praefatoque altari S. Francisci proxima, unum nempe Reliquiarum et alterum Conceptionis beatae Mariae virginis Immaculatae respective nuncupata celebrari posse plurimum desideret; Nos ipsum *Iacobum* Ministrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes; supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constito tibi de narratis, ut Missae pro quibus ad praefatum altare S. Francisci celebrandis eleemosynae hactenus datae reperiuntur, quaeque ad idem altare celebrari nequeunt, ut praefertur, ad alia duo altaria memorata celebrari libere et licite possint et valeant, ita ut per hoc earundem Missarum celebrationis oneri perinde satisfiat et satisfactum esse intelligatur ac si Missae huiusmodi ad idem altare S. Francisci celebratae forent, auctoritate nostra apostolica concedas et indulgeas.

Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quibusvis etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanen. dioecesis, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCLIX, pontif. nostri anno quinto.

XII, 47. — *Originale.* = Nr. 485: XIV, 47. — *Exemplum authenticum.*

368. *1690, 10 ianuari.*

Alexander papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Alias felicis rec. Clemens papa X, praedecessor noster, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, tam tunc erectis quam in posterum quandocumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, die secunda mensis augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitassent et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit, et alias prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in simili forma Brevis die III octobris MDCLXX expeditis, [1] quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur.

---

[1] « Caelestium munerum »: *Bull. Roman.*, ed. cit., XVIII, 112.

Cum autem, sicut dilectus filius *Antonius Fabozzi* Procurator generalis dicti Ordinis [1] Nobis nuper exponi fecit, indulgentiam plenariam et peccatorum remissionem, ut praefertur, concessam, etiam animabus Christi fidelium defunctorum per modum suffragii applicari posse summopere desideret; Nos piis eiusdem *Antonii* Procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, indulgentiam plenariam et peccatorum remissionem Christi fidelibus praefatis supradictas ecclesias fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium die secunda mensis augusti, ut supra, visitantibus et praemissa peragentibus concessam, etiam Christi fidelium animabus, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die X ianuarii MDCXC, pontif. nostri anno primo.

XII, 48. — *Exemplum typis editum.*

370. *1696, 13 ianuarii.*

Innocentius episc. *etc.* venerabilibus fratribus Assisien. ac Perusin. et Fulginaten. episcopis sive dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus genaralibus salutem *etc.*

Significarunt nobis dilecti filii Custos et Fratres domus ecclesiae S. Francisci Assisien., Ordinis fratrum Minorum eiusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, census, terras, domos, possessiones, bona mobilia et immobilia, scripturas publicas et privatas fidem tamen facientes, libros rationum et computorum, ac iura nec non pecuniarum summas, auri, argenti, ferri, aeris, stamni, araminis, lini, canapis, vini, olei, hordei, frumenti et aliarum frugum quantitatem, decimas, primitias, cruces, calices, patenas, candelabra, vasa aurea et argentea, ornamenta et paramenta ecclesiastica, lampades, pannos laneos, lineos, sericeos, domusque supellectilia magni momenti ad dictam domum legitime spectantia subtraxerunt ac temere occuparunt eaque malitiose occultare et occulte ac indebite detinere praesumpserunt et praesumunt, ex quo dictae domui gravia damna valorem quinquaginta ducatorum excedentia nequiter intulerunt, in animarum suarum periculum dictaeque domus non modicum detrimentum; super quo ipsi significantes apostolicae Sedis remedium implorarunt.

---

[1] De Aversa, ann. 1689-95: Benoffi, *Dei Procuratori generali* cit., p. 42.

Quocirca fraternitati vestrae *etc., ut supra nr. 358, usque* solemniter publicari. Volumus autem *etc.*

Datum Romae ap. S. Mariam maiorem anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto, idibus ianuarii, pontif. nostri anno sexto.

XII, 50. — *Originale.*

371. *1699, 11 martii.*

Innocentius papa XII, ad futuram rei memoriam.

Ex incumbenti Nobis apostolicae servitutis officio, pia Christi fidelium quorumlibet vota, praesertim ad divini cultus incrementum ipsorumque Christi fidelium animarum salutem tendentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus illaque favoribus et gratiis prosequimur opportunis.

Cum itaque, sicut dilectus filius *Balthassar Milazzo a Naro,* Procurator generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum (1), Nobis nuper exponi fecit, ipse pro spirituali Christi fidelium ad ecclesiam conventus eiusdem S. Francisci civitatis Assisien. ex universis mundi partibus devotionis causa assidue confluentium nec a confessariis dicti conventus absolvi valentium consolatione, aliquos poenitentiarios ad sacramentales illorum confessiones audiendas deputari plurimum desideret; Nos pio ipsius *Balthassaris* Procuratoris generalis desiderio, quantum cum Domino possumus, annuere illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto pariter filio *Felici Rotondi* moderno et pro tempore existenti Ministro generali dicti Ordinis (2), ut tres Fratres expresse professos Ordinis praedicti, quos ad id idoneos vitaque et moribus conspicuos cognoverit, in dicta ecclesia poenitentiarios, dummodo tamen ab Ordinario loci prius examinati et approbati fuerint, constituere et deputare valeat, ita ut idem poenitentiarii sic constituti et deputati sacramentales omnium et singulorum Christi fidelium ad eos recurrentium confessiones audire, illisque auditis, eos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisve quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quavis occasione vel causa quomodolibet latis et per eos incursis, necnon ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus ac delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam in casibus Sedi apostolicae (non autem loci Ordinario) reservatis vel in posterum reservandis, exceptis tamen contentis in litteris die Coenae Domini legi consuetis, in foro conscientiae tantum absolvere, ac pro commissis poenitentiam salutarem aliaque iniungenda eis iniungere, necnon vota quaecumque (ultramarino, vi-

(1) Secunda vice Procurator generalis: 1686-89; 1698-1701: Benoffi, *Dei Procuratori generali* cit., p. 42.

(2) A Monte Leone in Umbria. Rexit ann. 1695-1701.

sitationis liminum beatorum Petri et Pauli apostolorum de Urbe ac S. Iacobi in Compostella, necnon castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia poenitentiae vel pietatis opera commutare libere et licite possint et valeant, licentiam et facultatem apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XI martii MDCXCIX, pontif. nostri anno octavo.

XII, 51. — *Exemplum authenticum.* = Nr. 395: XIII, 22. — *Originale.* = Nr. 491: XIV, 54. — *Exemplum typis editum.*

372. *1665, 19 iunii.*

Alexander papa VII, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam *etc.* omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui septem altaria, quatenus habeantur, in ecclesia fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium civitatis Assisien., per Ordinarium semel tantum designanda, duodecim vicibus pro quolibet anno, per eundem Ordinarium specificandis, devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia *etc.* preces effuderint, qua vice ipsarum id egerint, ut omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur si septem altaria in Basilica Principis apostolorum de Urbe sita ad id designata personaliter et devote visitarent, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Volumus autem ut si alias Christi fidelibus in quocumque alio anni die dictam ecclesiam sive capellam aut altare visitantibus aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, vel si pro praesentatione *etc.* praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XIX iunii MDCLXV, pontif. nostri anno undecimo.

XII, 52. — *Originale.*

377. *Post 1290.*

Karissimo in Cristo Custodi S. Francisci fr. Mattheus(1), *fratrum provintie S. Francisci Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.*

Noveris me nuper a sanctissimo domino nostro d. Nicolao summo Pontifice licteras recepisse in hac forma:

Nicolaus *etc.* Necessitates *etc.* anno secundo.

Volens igitur predicti domini nostri summi Pontificis mandatum exequi reverenter, sicut decet, habito consilio plurium discretorum, auctoritate summi Pontificis michi commissa in hac parte, predicande vive Crucis ministerium in Custodia tibi commissa concedendique venerabile Crucis signum cunctis devote petentibus, convocandi quoque populos ad certa loca et concedendi C dierum indulgentiam et absolvendi ab excommunicatione pro violenta iniectione manus in clericos vel religiosos, et alia faciendi sicut in premissis licteris continetur, excepta dispensatione irregularium, liberam tibi concedimus facultatem; volens et mandans ut sic diligenter, sic sollicite predicta exequaris, et quod tu meritum inde acquiras, et domini nostri summi Pontificis voluntas impleatur, et Terra sancta, que tot miseriis est subiecta, consequatur auxilium opportunum.

XIII, 5 — *Originale.*

---

(1) Matthaeus de S. Eustachio, qui fuit etiam Minister provinciae Romanae et obiit c. 1300: Bartolomasi, *Series... Ministrorum provincialium... qui seraphicam... provinciam* etc., Romae 1824, p. 15; secundum quem rexit ann. 1292-95. Certe annus 1290, quo data est Bulla, excludendus est, cum alia Bulla diei 27 nov. 1290 directa sit « fratri *Angelo* [*de Tuderto*] Ministro... provinciae S. Francisci »: *Bull. Franc.*, IV, 192. Propterea, « me nuper... recepisse » mera usualis formula habenda est, cum neque *nuper* neque *ipse* eas recepisset.

379. *1541, 21 ianuarii.*

Paulus episc. *etc.*, ad perpetuam rei memoriam.

Apostolice Sedis circunspecta benignitas piis devotorum desideriis consuevit favorabiliter annuere ac illos, in hiis potissime per que divini cultus cum animarum salute succedat incrementum, liberaliter exaudire.

Sane pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum castri Palatii filiorum Cagni, comitatus et diocesis Assisinat., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias quondam Francisco Pitte, pro certo tunc in nostris civitat. Perusin. et provincia Umbrie dicte Sedis legato de latere in eisdem civitate et provintia vicelegato, pro parte universitatis et hominum predictorum exposito, quod antea ipsi de propria salute cogitantes et transitoria in eterna et terrena in celestia felici commercio commutare cupientes, ob singularem quem ad gloriosam Deiparam virginem Mariam gerebant devotionis affectum unam cappellam sub invocatione S. Marie gratiarum ex pecuniis per eos ad id liberaliter erogatis a fundamentis rite construi et erigi fecerant ac capellanum ad eorum nutum amovibilem, qui Missas et alia divina officia in eadem capella celebraret deputaverant, et quod superinde ab aliquo imposterum molestari et ius in premissis quesitum impediri dubitabant; dictus Franciscus vicelegatus habens ad id, ut asserebat, specialem ab eodem legato sufficienti ad id, ut asserebat, per litteras eiusdem Sedis facultate suffulto potestatem, illius vigore eisdem universitati et hominibus ut capellam predictam tanquam suam et de eorum iure patronatus, prout eatenus obtinuerant, obtinere valerent apostolica auctoritate licentiam et facultatem concessit et elargitus est, ac presentandi et quodcunque aliud ius quod in ipsa capella habebant cum potestate aliquem capellanum idoneum ad eorum nutum amovibilem, qui Missas et alia divina officia in eadem capella celebraret, eligendi et deputandi, confirmavit et approbavit, prout in ipsius Francisci vicelegati desuper confectis litteris dicitur plenius contineri.

Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefati universitas et homines postmodum unum hospitale pauperum sub invocatione sancti Iacobi extra et prope muros dicti castri ex devotionis affectu et pecuniis similibus construi fecerint et in hospitali huiusmodi unam confraternitatem Christi fidelium sub eadem invocatione b. Marie gratiarum, quantum in eis fuit, instituerint et ordinaverint ac abinde citra confratres confraternitatis huiusmodi capellam et hospitalem ac confraternitatem predictam ac illis postmodum oblata, donata et legata bona pacifice et quiete rexerint et gubernaverint, illorum fructus, redditus et proventus ac capelle, hospitali et confraternitati pro tempore facta oblationes, elemosinas et legata recipiendo et in capelle ac hospitalis nec non confraternitatis predictorum et alios pios usus, absque alicuius impedimento, exponendo et dispensando, prout etiam regunt et gubernant de presenti; pro parte eorundem universitatis et hominum Nobis fuit humiliter supplicatum ut erectioni capelle et institutioni ac ordi-

nationi confraternitatis huiusmodi, nec non omnibus et singulis aliis per eos pro capelle et hospitalis ac confraternitatis predictorum votiva directione dispositis et ordinatis, apostolice confirmationis robur adiicere ac alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur cultum divinum ubique, nostris presertim temporibus, nedum manuteneri sed etiam augeri sinceris desiderantes affectibus, eosdem universitatem et homines ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati erectionem capelle et institutionem ac ordinationem confraternitatis huiusmodi, nec non omnia et singula alia per eosdem universitatem et homines pro capelle et hospitalis ac confraternitatis predictorum votiva directione disposita et ordinata, ac, prout illa concernunt, omnia et singula in instrumentis seu litteris desuper confectis contenta et inde secuta quecunque, dicta auctoritate tenore presentium approbamus et confirmamus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; nec non oblationes, elemosinas et legata capelle et hospitali ac confraternitati predictis per quoscunque Christi fideles hactenus facta et de cetero facienda eisdem confraternitati pro illorum manutentione ac capelle et hospitalis predictorum ornamento, nec non librorum et aliorum ad divinum cultum necessariorum emptione ac Missarum et aliorum divinorum officiorum celebratione, nec non iuxta eorum providam ordinationem pauperum et miserabilium personarum dicti castri et aliarum partium circumvicinarum sustentatione, eisdem auctoritate et tenore perpetuo applicamus, ac confratres confraternitatis huiusmodi pro tempore existentes a capella et hospitali predictis per loci Ordinarium aut quosvis alios, quacunque, etiam dicta apostolica auctoritate aut preeminentia fungentes, etiam cardinalatus honore et mundana dignitate fulgentes, amoveri aut super oblationibus, elemosinis et legatis predictis ac quibusvis aliis tam mobilibus quam immobilibus bonis eisdem capelle et hospitali ac confraternitati pro tempore relinquendis seu legandis ac illorum fructibus nec non cura et regimine capelle et hospitalis predictorum inquietari, seu capellam et hospitale aut confraternitatem huiusmodi in titulum perpetui beneficii ecclesiastici per Ordinarium aut alios predictos seu etiam Sedis predicte legatos de latere vel Nos aut romanum Pontificem pro tempore existentem vel Sedem eandem erigi seu in titulum vel commendam aut administrationem cuiquam concedi, ac capellam et hospitale nec non confraternitatem et oblationes, legata ac bona et eorum fructus huiusmodi alias quam per dictos confratres regi aut gubernari non posse, eisdem auctoritate apostolica et tenore statuimus et ordinamus; ac omnes et singulas erectiones, concessiones, provisiones, mandata et quasvis alias dispositiones per Ordinarium aut legatos seu Sedem huiusmodi cum qui-

busvis etiam derogatoriarum derogatoriis et aliis quantumcunque fortissimis et insolitis clausulis etiam irritantibus decretis contra presentium tenore in aliquo faciendas, nullas, irritas et inanes nulliusque roboris vel momenti fore et esse, auctoritate apostolica et tenore premissis, decernimus.

Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, statuti, ordinationis et decreti infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo quadragesimo, duodecimo kalendas februarii, pontif. nostri anno septimo.

XIII, 7. — *Originale.*

381. *1607, 5 iulii; 1608, 24 ianuarii.*

Alexander Perettus, miserat. divina diac. card. de Monte Alto nuncupatus, S. R. E. Vicecancellarius et venerabilis archiconfraternitatis Immaculatae Conceptionis gloriosissimae virginis Mariae in ecclesia sanctorum Laurentii et Damasi de Urbe protector, Ascanius Mazziottus prior, Marcus Ant. Vitellescus, Marius de Rubeis, Dominicus Iustinus custodes, dilectis nobis in Christo confratribus societatis « Conceptionis b. Mariae in ecclesia S. Francisci Ordinis Minorum Conventualium Assisiensis »(1) *auctoritate apostolica vel ordinaria canonice erectae, salutem in Domino sempiternam.*

Nos qui iuxta officii nostri debitum fidelium salutem pietatisque ac religionis progressum procurare debemus, libenter nostrae archiconfraternitati alias eiusdem instituti confraternitates adiungimus et aggregamus, illisque sic aggregatis indulgentias, facultates ac alias spirituales gratias et indulta, iuxta facultatem nobis a summis Pontificibus concessam, impartimur.

Qua de re, cum « R. P. mag. Cornelius Rosa Proc. gen. eiusdem Ordinis », *eiusdem confraternitatis Procurator, aggregationem huiusmodi et indulgentiarum communicationem enixe pustulaverit, nos Protector, Prior et Custodes praedicti totam ipsam archiconfraternitatem repraesentantes, fel. rec. Clementis papae octavi constitutioni super huiusmodi aggregationum et caelestis thesauri communicationum moderatione nuper editae inhaerentes, his nostris litteris, solo Dei amore ac pietatis religionisque christianae augendae zelo ducti, confraternitatem praedictam canonice, ut superius, erectam, attentis Episcopi seu Ordinarii loci consensu, ac litteris testimonialibus, quibus eius institutum, pietas ac religio commendatur, nostrae archiconfraternitati (dummodo per vos similis gratia prius alteri in dicta civitate, oppido vel terra concessa et tempore huius-*

(1) Verba inter « » posita manu scripta sunt.

modi concessionis alii archiconfraternitati aggregata non fuerit) iuxta facultatem apostolicam nobis concessam adiungimus et aggregamus; atque illi eiusque confratribus indulgentias et spirituales gratias infra sigillatim descriptas, nostrae archiconfraternitati litteris pontificiis nominatim expresse et praecise concessas, largimur et communicamus.

Quarum litterarum tenor sequitur:

Paulus papa v, ad perpetuam rei memoriam.

Cum certas archiconfraternitati Conceptionis b. Mariae, in ecclesia S. Laurentii in Damaso de Urbe canonice institutae, indulgentias et gratias spirituales, quibus in posterum fruatur, duxerimus praescribendas; idcirco de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes eidem archiconfraternitati et illius confratribus et consororibus per quoscunque romanos Pontifices praedecessores nostros hactenus concessas revocantes, et nullatenus ac nullius roboris et momenti posthac a data praesentium fore declarantes: omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam archiconfraternitatem de cetero ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam ipsis nunc et pro tempore describendis quam iam descriptis in dicta archiconfraternitate confratribus et consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si pariter vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu et beatissimae virginis Mariae, ore, si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, etiam plenariam; necnon eisdem confratribus et consororibus, qui poenitentes et confessi in Conceptionis beatae Mariae festivitate sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die festivitatis huiusmodi id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Insuper eisdem confratribus et consororibus similiter poenitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis eiusdem beatae Mariae festis diebus dictum sanctissimum Sacramentum sumpserint et oraverint, ut praefertur, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; iis vero, qui processioni per dictam archiconfraternitatem in die festo Conceptionis eiusdem beatae Mariae singulis annis fieri solitae, in quo puellas matrimonio collocari consuevit, interfuerint, tres annos et totidem quadragenas; necnon qui congregationibus tam publicis quam privatis eiusdem archiconfraternitatis, ubi ipsius negocia tractantur, pariter interfuerint, centum dies pro qualibet vice.

Praeterea tam eisdem confratribus et consororibus quam aliis utriusque sexus Christi fidelibus, qui singulis diebus festis, vigiliis et sabbatis eiusdem beatae Mariae totius anni in capella Conceptionis eiusdem

beatae Mariae sita in praedicta ecclesia interfuerint, et ibi litanias et antiphonam *Salve Regina* audiverint aut illas recitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies; necnon eisdem confratribus et consororibus tantum, qui corpora defunctorum confratrum et consororum dictae archiconfraternitatis ad sepulturam ecclesiasticam comitati fuerint, et pro ipsius defuncti anima preces Deo effuderint, ducentos dies pro qualibet vice; quoties vero conscientiae suae vespere examen egerint et protectioni eiusdem beatissimae virginis Mariae et Angeli custodis sese commendaverint, toties centum dies; iis vero qui in honorem eiusdem immaculatae virginis Mariae pauperibus puellis, ne in diaboli potestatem veniant, subvenerint et auxilium praestiterint, aut quovis modo earumdem pudicitiae conservandae occasionem praebuerint, quotiescunque haec egerint, annum unum; qui vero paci et unioni inter fideles constituendae operam dederint, aut peccatum reliquerint, aut hospitalia et carceratos visitaverint, et ignorantes doctrinam christianam docuerint, sexaginta dies pro qualibet vice; iis vero qui Officium b. Mariae virginis devote recitaverint, quinquaginta dies pro qualibet vice; et qui quotidie dictum Officium per mensem continuum similiter recitaverint, si confessi et sacra Communione refecti fuerint, septem annos et totidem quadragenas, semel pro quolibet mense de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praeterea eidem archiconfraternitati ac illius nunc et pro tempore existentibus officialibus, ut omnes et singulas supradictas indulgentias et gratias spirituales aliis confraternitatibus sub invocatione Conceptionis eiusdem beatae Mariae nunc erectis et in posterum canonice erigendis, ubique locorum existentibus, servata tamen forma praescripta in costitutione fel. rec. Clementis papae VIII, praedecessoris nostri, communicare libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium, facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die quinta iulii MDCVII, pontif. nostri anno tertio.

Quibus omnibus indulgentiis et gratiis spiritualibus supra sigillatim descriptis praedicta confraternitas eiusque confratres uti, potiri ac gaudere possint iuxta constitutionem fel. rec. Clementis papae octavi tenoris sequentis:

Clemens *etc.* Quaecumque *etc.* anno tertiodecimo (1).

Volentes et decernentes praesentibus his nostris literis eandem fidem adhibendam fore, quae praeinsertis literis originalibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

In quorum omnium et singulorum fidem ac testimonium has nostras literas fieri, et per eiusdem archiconfraternitatis secretarium subscribi et

(1) Idest Breve sub nr. 380 nostri elenchi recensitum.

publicari mandavimus, atque sigillorum ipsius Protectoris et archiconfraternitatis iussimus et fecimus appensione muniri.

Datum Romae in loco solitae nostrae congregationis, anno a nativitate D. N. Iesu Christi MDC «VIII», indictione «sexta», die vero «XIV» mensis «ianuarii», pontificatus ss. domini nostri d. «Pauli divina providentia papae quinti» anno «tertio»; praesentibus ibidem nobilibus viris Mattio Mauro de Cesis et d. Octavio Braccio Rom.

(A) *Al. Card. Montalt. etc. etc.*

(A) *Ascanius Richettus roman. not.*

XIII, 8. — *Exemplum typis editum.*

382. *1613, 31 ianuarii.*

Paulus papa v, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam *etc.* omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam S. Francisci fratrum Ordinis Minorum Conventualium eiusdem S. Francisci loci de *Rivotorto,* Assisiensis dioecesis, die festo Praesentationis b. Mariae virginis a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum *etc.* preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praesentibus ad septemnium tantum valituris.

Volumus autem ut si alias Christi fidelibus dictam ecclesiam visitantibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die ultima ianuarii MDCXIII, pontif. nostri anno octavo.

XIII, 9. — *Originale.*

383. *1628, 10 ianuarii.*

Urbanus papa VIII, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam *etc.* qui *ecclesiam S. Ioannis Baptistae* fratrum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci prope et extra civit. Assisien., die festo nativitatis eiusdem S. Ioannis Baptistae, a primis vesperis usque ad occasum solis huiusmodi singulis annis devote visitaverint *etc.,* plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praesentibus ad septemnium tantum valituris.

Volumus autem quod si alias Christi fidelibus dictam ecclesiam visitantibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, quodque si pro praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquod vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, ipsae praesentes nullae sint eo ipso.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die X iunii MDCXXVIII pontif. nostri anno quinto.

XIII, 10. — *Originale.*

384. *1631, 15 februarii.*

Urbanus papa VIII, dilectis in Christo filiabus Abbatissae et Monialibus monasterii monialium S. Clarae Assisiens. salutem *etc.*

Ad augendam veram devotionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, vobis omnibus et singulis ac aliis in vestro monasterio degentibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, quae capellam S. Georgii in claustro vestri monasterii sitam, in S. Georgii nec non sanctarum Clarae et Luciae festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaveritis et ibi pro christianorum principum concordia *etc.* preces fuderitis, quo die praefatorum id egeritis, plenariam omnium peccatorum vestrorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Volumus autem ut si alias vobis dictam capellam visitantibus *etc.* concesserimus, quodque si pro presentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, ipsae praesentes nullae sint eo ipso.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XV februarii, pontif. nostri anno octavo.

XIII, 11. — *Originale.*

385. *1631, 6 septembris.*

Urbanus papa VIII, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam *etc.* refectis, qui ecclesiam domus fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium Assisien. et in ea sitam capellam S. Ursulae, die festo eiusdem S. Ursulae, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum *etc.* preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Volumus autem *etc.* concesserimus; quodque si pro praesentatione *etc.*, ipsae praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDCXXXI, pontif. nostri anno nono.

XIII, 12. — *Originale.*

386. *1632, 28 iunii.*

Urbanus papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Conservationi et manutentioni supellectilis quorundam cubiculorum in domo regulari fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum civit. Assisien. pro recipiendis hospitibus illuc devotionis

causa confruentibus [1], ut asseritur, destinatorum, quantum cum Deo possumus benigne consulere ac dilectum filium *Bartholomaeum Assisien.* dicti Ordinis professorem, qui cubiculorum huiusmodi, ut asserit, curam gerit, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quisquam quavis auctoritate fungens cuiusvis generis supellectilem cubiculis huiusmodi hactenus donatam et assignatam seu in posterum quomodolibet donandam et assignandam aut aliquam eius partem ex dictis cubiculis extrahere vel ad alium usum quam dictorum cubiculorum convertere seu ut extrahantur vel convertantur permittere audeat seu praesumat, sub excommunicationis poena per contrafacientes incurrenda, apostolica auctoritate tenore praesentium interdicimus et prohibemus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac domus et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem quod praesentis prohibitionis copia in valvis dictorum cubiculorum aut aliquo alio perspicuo loco, unde ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVIII iunii MDCXXXII, pontif. nostri anno nono.

XIII, 13. — *Originale.*

387. *1636, 1 octobris.*

Urbanus episc. *etc.* dilecto filio vicario ven. fratris nostri episcopi Assisien. in spiritualibus generali salutem *etc.*

Salvatoris nostri vices, licet immerito, gerentes in terris, ad ea nostre solertie curas libenter dirigimus, per que statui ecclesiarum omnium, presertim cathedralium que canonicorum suorum inhabilitate et impotentia in spiritualibus et temporalibus detrimenta pati comperiuntur, quemadmodum suadent canonice sanctiones, per idoneorum deputationes coadiutorum, qui eorum loco in divino cultu sacrisque peragendis optime deservire possint, tempestive succurrat.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Horatii Aloisii canonici ecclesie Assisien. petitio continebat, quod ipse ob deliria mentis seu sani iudicii defectum, que persepe patitur (dilucida intervalla tamen habet), dicte ecclesie ratione illius canonicatus et prebende, quos a pluribus annis obtinet, ut convenit in divinis deservire oneraque sibi exinde incumbentia per se ipsum de cetero peramplius supportare non potest, et propterea, seu certis aliis ex causis animum suum moventibus, plurimum cupit dilectum filium Carolum Vannum clericum Assisien., de cuius fide, probitate, idoneitate et sufficientia plurimum in Domino confidit, sibi in coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et

(1) Sic.

administratione dictorum canonitatus et prebende per Nos, ut infra, constitui et deputari. Quare pro parte tam Horatii quam Caroli predictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eundem Carolum prefato Horatio in coadiutorem in regimine et administratione prefatis constituere et deputare ac alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui canonicatuum et prebendarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet felici sucessu libenter consulimus, de meritis tamen et idoneitate dicti Caroli, asserentis eundem Horatium in sane mentis intervallo ad presens constitutum existere, apud Nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendati, certam notitiam non habentes, ipsumque Carolum a quibuslibet excommunicationis *etc.* absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita de meritis et idoneitate dicti Caroli, auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem eandem ac diligentem examinationem dictum Carolum ad hoc idoneum esse repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, eundem Carolum prefato Horatio, quoad vixerit et canonicatum et prebendam prefatos obtinuerit, in coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione dictorum canonicatus et prebende in spiritualibus et temporalibus cum plena, libera et omnimoda potestate, facultate et auctoritate faciendi, dicendi, exercendi et exequendi omnia et singula que ad huiusmodi coadiutoris officium de iure, usu, consuetudine aut alias quomodolibet spectant et pertinent, ita quod, dicto coadiutoris officio durante, dictus Carolus vice et loco dicti Horatii eidem ecclesie in divinis deservire stallumque in choro et locum et, si vel postquam sacris initiatus fuerit, vocem in capitulo aut processionibus et aliis actibus capitularibus eiusdem ecclesie habere, ac omnia et singula eorundem canonicatus et prebende onera ac etiam per annum a data presentium computandum Missas illis incumbentia per se vel alium suis propriis sumptibus, distributionibus quotidianis illi dumtaxat concessis, supportare debeat; et interim etiam post cessationem ipsius officii coadiutoris per obitum dicti Caroli dictus Horatius omnia et singula dictorum canonicatus et prebende fructus, redditus et proventus percipere, respuere possit, ipsius Horatii expresso ad hoc accedente consensu, auctoritate nostra prefata constituas et deputes.

Et nihilominus canonicatum et prebendam prefatos, quorum et illis forsan annexorum fructus, redditus et proventus viginti quatuor, computatis vero distributionibus quotidianis, sexaginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, cum primum illos per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum seu privationem vel divisionem vel amissionem seu alias quomodolibet, etiam apud Sedem apostolicam etiam in aliquo ex mensibus Nobis et romano Pontifici pro tempore existenti Sedique prefate per quascunque constitutiones apostolicas aut cancellarie apostolice regulas nunc et pro tempore reservatis, seu ordinariis

collatoribus, etiam per constitutiones et regulas easdem seu litteras alternativarum aut alia privilegia et indulta hactenus concessa et in posterum concedenda, vacare contigerit, etiam si actu nunc quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona seu per liberam resignationem dicti Horatii vel cuiusvis alterius de illis in romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacent, etiam si tanto tempore vacaverint quod eorum collatio iuxta Lateranen. statuta Concilii ad Sedem prefatam legitime devoluta, ipsique canonicatus et prebenda dispositioni apostolice specialiter vel generaliter reservati existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum annexis huiusmodi et plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, eidem Carolo ex nunc prout ex tunc et e contra, etiam si tempore vacationis huiusmodi dictum coadiutoris officium exercere non inceperit aut per eum steterit quominus illud exercuerit, ita tamen ut per hoc non censeatur in foro conscientie liber ab onere residendi et deserviendi prefatis canonicatui et prebende, sed nihilominus ad illud subeundum se teneri sciat et omnino teneatur, seu presentes litteras prefato Horatio ac ven. fratri nostro episcopo et dilectis filiis capitulo Assisien. et aliis ad quos forsan quomodolibet pertinet non intimaverit, aut processus desuper necessarios decerni non fecerit, auctoritate nostra prefata conferas et assignes ac facias eundem Carolum officio coadiutoris huiusmodi illo durante illiusque libero exercitio pacifice frui et gaudere, nec permittas eum desuper per dictum Horatium seu quoscunque alios quomodolibet indebite molestari, inducens per te vel alium seu alios, dicto coadiutoris officio cessante, eundem Carolum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem canonicatus et prebende ac annexorum iuriumque et pertinentiarum prefatorum, et defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens Carolum vel pro eo procuratorem prefatum ad prebendam huiusmodi in dicta ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo dicte ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, sibique de canonicatus et prebende ac annexorum eorundem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores eadem auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Non obstantibus dicte Cancellarie regulis etiam in favorem Ordinariorum quomodolibet concessis, ac felicis rec. Bonifacii pape VIII predecessoris nostri ac quibusvis aliis apostolicis etiam in synodalibus et provincialibus universalibusque Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque; aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in dicta ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis dicte ecclesie speciales vel

aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte Sedis aut legatorum eius litteras impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus eundem Carolum in assecutionem dictorum canonicatus et prebende volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem canonicatuum et prebendarum vel beneficiorum aliorum preiudicium generari; seu si episcopo et capitulo prefatis vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de canonicatibus et prebendis dicte ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; seu si dictus Carolus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem idoneum et cum ad dictam ecclesiam accesserit corporaliter illud prestet.

Nos enim, si dictus Carolus ad hoc repertus fuerit idoneus ac eum dicto Horatio in coadiutorem in regimine et administratione prefatis constitui et deputari sibique canonicatum et prebendam prefatos per te vigore earundem presentium conferri et assignari contigerit, ut praefertur, eidem Carolo ex nunc canonicatum et prebendam prefatos collatos et de illis provisum esse ac ex nunc plenum ius sibi in illis vel ad illos vere et non ficte quesitum existere eumque beneficio regularum de non tollendo iure quesito ac de annali et triennali possessoribus gaudere, ac canonicatum et prebendam prefatos de cetero ex persona ipsius Horatii ad hoc ut de illis alteri quam prefato Carolo provideri possit minime vacare posse, ac ex nunc omnes et singulas collationes, provisiones seu quasvis alias dispositiones de dictis canonicatu et prebenda quovis modo vacaturis in alterius quam prefati Caroli favorem et per nos et Sedem prefatam ac cum quibusvis clausulis et decretis faciendas tanquam preter mentem et intentionem nostram, nullas et invalidas nulliusque roboris vel momenti fore nullumque per eas cuiquam ius acquiri aut coloratum titulum possidendi tribui, ac easdem presentes sub quibusvis revocationibus, suspensionibus aut derogationibus pro tempore factis et faciendis ac concessis et concedendis minime comprehendi sed semper ab illis excipi et quoties eas revocari vel limitari, suspendi seu eis derogari contigerit, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo etiam sub quacunque posteriori data per Horatium et Carolum prefatos et eorum quemlibet quandocunque eligenda concessas esse et

fore. Et si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Volumus autem quod dictus Carolus, etiam coadiutoris officio durante, ab alienatione qualibet bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dictorum canonicatus et prebende se penitus abstineat, et de iis que ratione coadiutoris officii huiusmodi administraverit non solum in districto examine sed etiam eidem Horatio iuxta alteram eiusdem Bonifacii predecessoris constitutionem, que incipit *Pastoralis*, plenariam rationem reddere teneatur.

Datum Rome apud S. Mariam maiorem anno incarnationis Dominice millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, kalendis octobris, pontif. nostri anno quartodecimo.

XIII, 14. — *Originale.*

388. *1639, 3 novembris.*

Urbanus papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in ecclesia sacrae domus fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum civitatis Assisien. una pia et devota utriusque sexus Christi fidelium confraternitas sub invocatione SS. Stellarii Immaculatae Conceptionis b. Mariae virginis, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice erecta sive erigenda existat, cuius confratres et consorores quamplurima pietatis et charitatis opera exercere consueverunt; Nos, ut confraternitas praefata maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam confraternitatem in posterum ingredientur, die prima eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac eisdem nunc et pro tempore existentibus confratribus et consororibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, etiam plenariam; nec non tam eisdem descriptis quam pro tempore describendis in dicta confraternitate confratribus et consororibus vere similiter poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui praefatae confraternitatis ecclesiam vel capellam seu oratorium die festo eiusdem Immaculatae Conceptionis b. Mariae virginis a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia *etc.* preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Insuper dictis confratribus et consororibus vere pariter poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis ecclesiam vel capellam seu oratorium huiusmodi in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis eiusdem b. Mariae virginis festis diebus, ut praefertur, visitantibus et orantibus, quo die praefatorum id egerint, septem annos

et totidem quadragenas; quoties vero Missis et aliis divinis officiis in dicta ecclesia vel capella seu oratorio pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint seu componi fecerint vel procuraverint; nec non etiam qui corpora defunctorum tam confratrum et consororum huiusmodi quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascunque processiones de licentia Ordinarii faciendas sanctissimumque Eucharistiae sacramentum tam in processionibus quam cum ad infirmos aut alias ubicunque et quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut si impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem dominicam et Salutationem angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem et Salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum huiusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes praecepta et ea quae ad salutem sunt docuerint, aut quodcunque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praefatorum operum sexaginta dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut si alias dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, praesentes nullae sint; utque etiam si dicta confraternitas alicui archiconfraternitati aggregata iam sit vel in posterum aggregetur seu quavis alia ratione uniatur aut etiam quomodolibet instituatur, praesentes et quaevis aliae litterae apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCXXXIX, pontif. nostro anno decimo septimo.

XIII, 15. — *Originale.*

389. *1640, 9 ianuarii.*

Urbanus papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in ecclesia S. Francisci terrae de *Gualdo*, Nucerin. dioecesis, domus fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, una pia et devota utriusque sexus Christi fidelium confraternitas sub invocatione S. Antonii de Padua, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice instituta seu instituenda existat, cuius confratres et consorores quamplurima pietatis et charitatis opera exercere consueverunt; Nos *etc.* [1] ingredientur postquam erit canonice instituta, die prima eorum *etc.* sumpserint, plenariam; nec non tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta confraternitate confra-

---

[1] Omissa supplenda sunt ut supra nr. 388.

tribus et consororibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, si minus corde devote invocaverint, etiam plenariam; ac eisdem nunc et pro tempore existentibus confratribus et consororibus vere quoque poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis qui praefate confraternitatis *etc.* die festo eiusdem S. Antonii de Padua a primis vesperis *etc.* plenariam similiter omnium *etc.* concedimus.

Insuper eisdem vere pariter poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam vel capellam seu oratorium huiusmodi in S. Bernardini, S. Ludovici, S. Clarae ac S. Mariae Magdalenae festis diebus, ut praefertur, visitaverint et oraverint, quo die *etc.* praecepta Dei et ea quae ad salutem *etc.* relaxamus.

Volumus *etc.* priores et quaevis aliae litterae *etc.* nullae sint.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die IX ianuarii MDCXL, pontif. nostri anno decimo septimo.

XIII, 16. — *Originale.*

390. *1646, 12 decembris.*

Innocentius papa X, ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut dilectus filius *Ioannes Baptista Larinensis* (1) Minister generalis Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, ipse ex variis diversarum piarum personarum eleemosynis extra dictum Ordinem, alias tamen legitime, acquisitis certa cubicula pro infirmaria seu valetudinario destinata in conventu eiusdem S. Francisci Assisien. dicti Ordinis extrui fecerit illaque pro servitio Fratrum infirmorum eiusdem Ordinis quavis necessaria supellectile instruxerit, propttereaque per Nos in praemissis opportunis, ut infra, provideri summopere desideret; idcirco Nos eundem *Ioannem Baptistam* specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis, *etc.* absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quisquam, quavis auctoritate fungens cubicula praefata aut quosvis annuos redditus et proventus tam hactenus forsan assignatos quam de cetero quomodolibet pro manutentione dictae infirmariae seu valetudinarii assignandos in alium quam praefatum usum et servitium Fratrum infirmorum dicti Ordinis applicare seu destinare ullatenus possit aut debeat, neve ex dicta infirmaria seu valetudinario huiusmodi quaevis illius utensilia tolli, amoveri seu alienari aut cuiquam commodari, sed inibi conservari et pro servitio Fratrum infirmorum huiusmodi remanere debeant, sub excommunicationis poena per contrafacientes eo ipso et absque ulla alia declaratione incurrenda et a qua illi nonnisi a Nobis vel romano Pontifice pro tem-

(1) Berardicelli: ann. 1632, Vicarius generalis; an. 1635-44 Min. generalis: Benoffi, *Compendio* cit., p. 289ss.

pore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium valeant obtinere, apostolica auctoritate tenore praesentium interdicimus et prohibemus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac Ordinis et conventus huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod praesentis prohibitionis copia in aliquo infirmariae seu valetudinarii huiusmodi seu alio dicti conventus loco perspicuo, unde ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCXLVI, pontif. nostri anno tertio.

XIII, 17. — *Originale.* = Nr. 484: XIV, 46. — *Exemplum non authenticum saec. XVIII.*

391. *1667, 7 octobris.*

Clemens papa IX, ad futuram rei memoriam.

Conservationi et manutentioni ornamentorum et paramentorum ecclesiae conventus seu domus fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum civitatis Assisien., quantum cum Domino possumus, benigne consulere ac dilectos filios modernum Custodem et Fratres dictae domus specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutas fore censentes, supplicationibus dictorum Custodis et Fratrum Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quisquam, quavis auctoritate fungens, vasa, calices, candelabra et alia paramenta ecclesiastica, auro, argento aut quavis alia materia confecta necnon quaecunque supellex sacra tam hactenus in dicta ecclesia seu illius sacristia collocata et illi etiam per quoscumque Christi fideles donata et assignata quam in posterum forsan collocanda, donanda et assignanda, aliis ecclesiis, monasteriis, oratoriis, congregationibus, locis piis seu quibusvis personis cuiusvis gradus, ordinis, conditionis, qualitatis et dignitatis et quacumque auctoritate, superioritate et officio fungentibus commodare aut sub quovis quaesito colore, ingenio, causa, ratione aut occasione e dicta ecclesia seu illius sacristia extrahere et asportare seu ut commodentur aut extrahantur et asportentur permittere aut consentire audeat seu praesumat, sub excommunicationis latae sententiae ac privationis vocis activae et passivae per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis poenis, apostolica auctoritate tenore praesentium interdicimus et prohibemus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac, quatenus opus sit, domus et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore per-

mansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod praesentis prohibitionis copia in valvis dictae ecclesiae seu illius sacristiae aut alio conspicuo loco, ubi ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCLXVII, pontif. nostri anno primo.

XIII, 18. — *Originale.*

392. *1669, 6 augusti.*

Clemens papa IX, ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Custos et Fratres conventus S. Francisci Assisien. Ordinis Minorum eiusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod cum Fratres dicti Ordinis, occasione solemnitatis indulgentiarum mense augusto ac festivitatis S. Francisci praefati ad dictum conventum tanto numero confluere soleant ut illis hospitio excipiendis mansiones ipsius conventus non sufficiant, ipsi exponentes illos in mansionibus valetudinarii seu infirmariae eiusdem conventus hospitio excipere posse plurimum desiderant. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, a fel. rec. Innocentio papa X praedecessore nostro sub poena excommunicationis prohibitum reperiatur (1), ne praeter Fratres infirmos quisquam in mansionibus valetudinarii seu infirmariae huiusmodi pernoctet, Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis *etc.* harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem exponentibus ut ipsi Fratres dicti Ordinis occasione celebritatis indulgentiarum mense augusto et festivitatis S. Francisci huiusmodi dumtaxat ad conventum supradictum pro tempore advenientes in mansionibus dicti valetudinarii seu infirmariae hospitio excipere, ipsi vero Fratres, licet infirmi non sint, nihilominus ibidem occasione iam dicta hospitari et pernoctare libere et licite ac absque excommunicationis alteriusve censurae vel poenae ecclesiasticae incursu possint et valeant recipere, dummodo tamen nullum inde Fratribus infirmis in eodem valetudinario seu infirmaria pro tempore existentibus incommodum adferatur, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictorum conventus et Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores

(1) Cf. supra nr. 390.

praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die VI augusti MDCLXIX, pontif. nostri anno tertio.

XIII, 19. — *Originale.*

393. *1672, 16 martii.*

Dilecto filio *Ioanni Antonio Oddi a Tudertio,* laico seu converso Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum,

CLEMENS PAPA X.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Religionis zelus, vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur.

Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu qui, ut asseris, alias habitum per Fratres laicos seu conversos Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum gestari solitum suscepisti et professionem per eosdem emitti consuetam expresse emisisti regulares, perfectioris vitae studio ductus a laicali statu huiusmodi ad statum et conditionem Fratrum clericorum dicti Ordinis transire posse tibique propterea opportune in praemissis a Nobis provideri et, ut infra, indulgeri summopere desideres; Nos te, praemissorum meritorum tuorum intuitu, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi, ut de Superiorum tuorum licentia a laicali statu praefato ad statum clericalem in dicto Ordine transire ac clericali charactere, quatenus illo nondum sis insignitus, insigniri necnon ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si tamen praevio examine ad id reperiaris idoneus, servatisque alias servandis, promoveri et promotus in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possis et valeas, dummodo novitiatus annum more Fratrum clericorum Ordinis praefati repetas et cum effectu compleas, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XVI martii MDCLXXII, pontif. nostri anno secundo.

XIII, 20. — *Originale.*

394. *1684, 28 septembris.*

Innocentius papa XI, ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius *Antheus Sassi* Frater expresse professus Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, in sacra Theologia magister, quod cum ipse multa opera musicalia sive cantus figurati ad usum ecclesiasticum, non sine magno suo labore, composuerit sive collegerit et transcripserit, illaque ecclesiae conventus Assisien. dicti Ordinis eiusque cappellae ad omnipotentis Dei gloriam et eiusdem S. Francisci honorem obtulerit seu donaverit sive offerre seu donare intendat, tam ipse *Antheus* quam dilecti pariter filii Guardianus et Fratres dicti conventus praefatorum aliorumque operum musicalium eidem ecclesiae seu cappellae donandorum conservationi et manutentioni oportune a Nobis provideri et, ut infra, indulgeri plurimum desiderant.

Nos igitur *Antheum* ac Guardianum et Fratres praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis personis tam saecularibus quam regularibus, quacumque auctoritate, superioritate, praeeminentia et potestate fungentibus et functuris ac cuiusvis status, gradus, conditionis et dignitatis nunc et pro tempore existentibus, ne ullo unquam tempore praedicta opera musicalia sive cantus figurati ad usum ecclesiasticum dictae ecclesiae seu cappellae tam a memorato *Antheo* quam ab aliis quibusvis hactenus oblata seu donata ac in posterum quandocumque offerenda seu donanda vel eorum aliquod sub quovis quaesito colore, ingenio, causa vel praetextu extra ecclesiam et conventum praedictos extrahere et asportare aut quibusvis personis, ecclesiis vel locis piis commodare, aut illa seu eorum aliquod nisi de Guardiani et Fratrum dicti conventus pro tempore existentium consensu capitulariter et per secreta suffragia praestando, transcribendo seu exemplando sive ut extrahantur et asportentur aut commodentur vel transcribantur seu exemplentur permittere seu consentire audeant quovis modo seu praesumant, sub excommunicationis a qua nemo a quoquam, praeterquam a Nobis seu romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, ac quoad Regulares etiam privationis vocis activae et passivae poenis per contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrendis, apostolica auctoritate tenore praesentium interdicimus et prohibemus.

Volentes et eadem auctoritate statuentes ut opera musicalia praedicta, quibus pro tempore existens magister cappellae sive praefectus musicae dictae ecclesiae ad usum ipsius ecclesiae sive solemnitatum in ea peragendarum indiguerit, eidem ab illorum custode pro tempore deputato consignentur et, finito usu huiusmodi, illico eidem custodi restituantur et ab illo in loco ad id deputato seu deputando reponantur; alioquin qui contrafecerint poenas praedictas ipso facto pariter incurrant.

Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, conventus et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut praesentis prohibitionis exemplum in aliquo ecclesiae seu conventus praedicti loco conspicuo, ubi ab omnibus cerni et legi possit, affixum assidue remaneat.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCLXXXIV, pontif. nostri anno octavo.

XIII, 21. — *Originale.* = Nr. 489: XIV, 53. — *Exemplum typis editum.*

396. *1704, 13 februarii.*

Clemens episc. *etc.* venerabilibus fratribus Assisien., Fulginaten. et Perusin. episcopis sive dilectis filiis eorum Vicariis in spiritualibus generalibus salutem *etc.*

Significavit nobis dilecta in Christo Francisca Nuti mulier Assisien. seu alterius civitatis vel dioecesis, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorat, census, terras, domos, possessiones, bona mobilia et immobilia, scripturas publicas et privatas fidem tamen facientes, libros rationum et computorum ac iura, nec non pecuniarum summas, auri, argenti, ferri, aeris, lignorum, stamni, araminis, lini, canapis, vini, olei, hordei, frumenti et aliarum frugum quantitates, iocalia, gemmas, anulos et torques aureas, pannos laneos, lineos, sericeos, domusque suppellectilia magni momenti ad dictam significantem nomine successionis haereditariae parentum et aliorum consanguineorum suorum defunctorum ac alias legitime spectantia subtraxerunt ac temere occuparunt eaque malitiose occultare et occulte ac indebite detinere praesumpserunt et praesumunt, ex quo dictae significanti gravia damna valorem quinquaginta ducatorum excedentia nequiter intulerunt, in animarum suarum periculum dictaeque significantis non modicum detrimentum; super quo ipsa significans apostolicae Sedis remedium imploravit.

Quo circa fraternitati vestrae, fratres episcopi, sive discretioni vestrae, filii vicarii, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, quilibet vestrum videlicet in suis civitate et dioecesi, si, causa diligenter et magna maturitate per vos examinata, pro rei, loci, temporis et personarum qualitatibus, vobis pro vestra conscientia videbitur expedire, omnes huiusmodi bonorum detentores et illorum celatores aut alias scientiam habentes ac damnorum illatores occultos ex parte vestra publice in ecclesiis coram populo per vos vel alium seu alios moneatis ut infra competentem terminum, quem eis praefixeritis, ea dictae significanti a se de-

bita detentores quidem et occupatores restituant, occultatores vero et illa scientes revelent. Et si id non adimpleverint in alium competentem terminum, quem eis ad hoc duxeritis peremptorie praefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferatis eamque faciatis ubi, quando et quoties videritis expedire usque ad satisfactionem condignam et revelationem debitam solemniter publicari.

Volumus autem quod ex revelatione huiusmodi, si eam fieri contingat, non possit nisi pro civili interesse et civiliter tantum agi, alias revelatio ipsa neque in iudicio neque extra illud fidem faciat.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo tertio, idibus februarii, pontif. nostri anno quarto.

XIII, 23. — *Originale.*

397. *1706, 6 novembris.*

Dilecto filio *Francisco Mariae Benedetti* fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum expresse professo,

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Religionis zelus, vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur.

Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu qui, ut asseris, in sacro diaconatus ordine constitutus existis, fervore devotionis accensus ad reliquum sacrum presbyteratus ordinem quantocitius promoveri summopere desideres; Nos, te praemissorum meritorum tuorum intuitu specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tecum ut, si et quando tredecim menses tantum tibi de aetate ad hoc a sacro Concilio Tridentino requisita defecerint, defectu huiusmodi non obstante, si nullum aliud canonicum tibi obstet impedimentum, et dummodo tu ad id idoneus reperiaris servatisque alias servandis, ad dictum sacrum presbyteratus ordinem de Superiorum tuorum licentia promoveri et promotus in illo etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possis et valeas, apostolica auctoritate dispensamus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die VI novembris MDCCVI, pontif. nostri anno sexto.

XIII, 24. — *Originale.* = Eodem modo, Nr. 408: XIII, 35. — *Originale.*

398. *1709, 28 novembris.*

Clemens papa XI, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam fidelium *etc.* utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam conventus fratrum Minorum

Ordinis S. Francisci Conventualium nuncupatorum civitatis Assisien., in qua Communio generalis de licentia Ordinarii die festo Conceptionis b. Mariae virginis Immaculatae agetur, eodem die devote visitaverint ibique sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint ac pro christianorum *etc.* preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Praesentibus pro unica vice valituris.

Volumus autem *etc.* concesserimus; utque si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVIII novembris MDCCIX, pontif. nostri anno nono.

XIII, 25. — *Originale.*

399. *1716, 8 iulii.*

Clemens papa XI, omnibus Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam *etc.* refectis, qui ecclesiam parochialem *S. Margharitae* a fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum dependentem, civitatis Assisien., cui ecclesiae eiusque capellis et altaribus sive omnibus sive singulis, eamque seu eas vel ea aut illarum seu illorum singulas vel singula *etc.* visitantibus nulla alia indulgentia reperitur concessa, die festo eiusdem S. Margharitae a primis vesperis *etc.*, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam *etc.* concedimus.

Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Volumus autem ut si alias Christi fidelibus in quocunque alio anni die dictam ecclesiam seu cappellam aut altare in ea sita visitantibus aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit; vel si pro impetratione *etc.* nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDCCXVI, pontif. nostri anno decimo sexto.

XIII. 24. — *Originale.*

400. *1616, 14 augusti.*

Dilecto filio *Caietano Michaeli Mammoletti,* novitio Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum,

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Religionis zelus, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur.

Exponi siquidem Nobis nuper fecisti quod tu qui, ut asseris, in quadragesimo sexto tuae aetatis anno constitutus existis, et habitum per fratres Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum gestari solitum suscepisti, professionem per eosdem emitti consuetam quantocitius emittere posse plurimum desideras.

Nos igitur, te praemissorum meritorum tuorum intuitu specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi ut de Superiorum tuorum consensu, peractis sex mensibus novitiatus dumtaxat, professionem praefatam expresse ac valide, servatis alias servandis, emittere libere et licite possis et valeas, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, ea tamen lege ut in actu professionis praefatae concesso tibi indulto te uti velle expresse declares.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCCXVI, pontif. nostri anno decimosexto.

XIII, 27. — *Originale.*

404. *1725, 21 iunii.*

Benedictus papa XIII, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam *etc.* refectis, qui ecclesiam conventus S. Francisci Assisien. Ordinis fratrum Minorum eiusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum, die secunda mensis augusti a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi devote visitaverint ibique pro christianorum *etc.*, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Non obstante suspensione indulgentiarum a Nobis occasione praesentis anni Iubilaei emanata.

Praesentibus pro unica vice valituris.

Volumus autem ut si pro impetratione *etc.* nullae sint.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXI iunii MDCCXXV, pontif. nostri anno secundo.

XIII, 31. — *Originale.*

405. *1725, 15 septembris.*

Benedictus papa XIII, universis Christi fidelibus *etc.*

Ad augendam *etc.*, qui ecclesiam conventus S. Francisci Assisien., Ordinis fratrum Minorum eiusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum, die festi ipsius S. Francisci a primis vesperis *etc.* plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus.

Praesentibus pro unica vice valituris.

Non obstante prohibitione a Nobis emanata de non publicandis quibusvis indulgentiis anno Iubilaei durante, caeterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem *etc.* nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XV septembris MDCCXXV, pontif. nostri anno secundo.

XIII, 32. — *Originale.*

412. *1752, 20 novembris.*

Benedictus papa XIV, ad futuram rei memoriam.

Alias pro parte tunc in humanis agentis *Ioannis Baptistae Larinensis* tunc existentis Ministri generalis Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum fel. rec. Innocentio papa X, praedecessori nostro, exposito quod ipse ex variis diversarum piarum personarum eleemosynis extra dictum Ordinem alias tamen legitime acquisitis certa cubicula pro infirmaria seu valetudinario destinata in conventu eiusdem S. Francisci Assisien. dicti Ordinis extrui fecerat, illaque pro servitio Fratrum infirmorum Ordinis praefati quavis necessaria suppellectili instruxerat, ac propterea sibi in praemissis opportune provideri plurimum desiderabat; idem Innocentius praedecessor per quasdam suas in simili forma Brevis die XII decembris MDCXLVI expeditas litteras [1] sub excommunicationis poena per contrafacientes eo ipso et absque ulla alia declaratione incurrenda et a qua illi nonnisi a romano Pontifice pro tempore existenti, praeterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium obtinere valerent, auctoritate apostolica interdixit et prohibuit ne de cetero quisquam quavis auctoritate fungens cubicula praefata aut quosvis annuos redditus et proventus tunc forsan assignatos quam de cetero quomodolibet pro manutentione dictae infirmariae seu valetudinarii assignandos in alium quam praedictum usum et servitium Fratrum infirmorum dicti Ordinis applicare seu destinare ullatenus posset aut deberet, neve ex dicta infirmaria seu valetudinario huiusmodi quaevis illius utensilia tolli amoveri seu alienari aut cuiquam commodari, sed inibi conservari et pro servitio Fratrum infirmorum huiusmodi remanere deberent.

---

[1] Cf. supra n. 390

Subinde vero pro parte tunc existentium Custodis et Fratrum conventus huiusmodi fel. rec. Clementi papae IX itidem praedecessori nostro pariter exposito quod Fratres dicti Ordinis occasione solemnitatis indulgentiarum mense augusto ac festivitatis sancti Francisci praedicti ad dictum conventum tanto numero confluere solebant, ut illis hospitio suscipiendis mansiones ipsius conventus non sufficerent, ac propterea dicti exponentes illos in mansionibus valetudinarii seu infirmariae huiusmodi hospitio excipere posse summopere cupiebant; verum quia per memoratas dicti Innocentii praedecessoris litteras id prohibitum reperiebatur, dictus Clemens praedecessor huiusmodi supplicationibus inclinatus per quasdam suas in pari forma Brevis die VI augusti MDCLXIX expeditas litteras (1) eisdem exponentibus concessit et indulsit, ut ipsi Fratres dicti Ordinis occasione celebritatis indulgentiarum mense augusto et festivitatis eiusdem sancti Francisci dumtaxat ad conventum supradictum pro tempore adventantes in mansionibus dicti valetudinarii seu infirmariae hospitio excipere, ipsi vero Fratres licet infirmi non sint, nihilominus ibidem occasione iam dicta hospitari et pernoctari libere ac licite et absque excommunicationis alteriusque censurae vel poenae ecclesiasticae incursu possent et valerent respective, dummodo tamen nullum inde Fratribus infirmis in eodem valetudinario seu infirmaria pro tempore existentibus incommodum afferetur et alias, prout in dictis Innocentii et Clementis praedecessorum praedictorum litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Cum autem, sicut dilecti filii moderni Custos et Fratres conventus praefati Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi experientia compertum habeant in pluribus extraordinariis casibus tum solemnitatis indulgentiarum mense augusto, festivitatis sancti Francisci praefati, Pentecostes et tum dicti Ordinis aut Provinciae, attenta inopia mansionum pro receptione tam Fratrum dicti et alterius Ordinis quam exterarum personarum saecularium et musicorum praescriptarum, magis commodum fore ac necessarium dicti valetudinarii seu infirmariae cubicula, quorum multa saepe infirmis carent, dictis advenis hospitio exhibere, ac propterea extensionem facultatis ab ipso Clemente concessae pro Fratribus dicti Ordinis ad omnes virilis sexus personas ea occasione ad huiusmodi conventum adventantes per Nos concedi, sibique in praemissis opportune provideri et, ut infra, indulgeri summopere desiderent; Nos ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis *etc.* harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem exponentibus, ut ipsi in casibus per dilectum filium modernum seu pro tempore existentem Ministrum generalem dicti Ordinis specificandis, nempe solemnitatum et festivitatum aut celebritatis Capitulorum seu Congregationum generalium aut provincialium vel concursus dumtaxat, per-

(1) Cf. supra nr. 392.

sonas virilis sexus tantum ad huiusmodi conventum adventantes in mansionibus dicti valetudinarii seu infirmariae, infirmis tamen vacuis, hospitio excipere; ipsae vero personae, licet infirmae non sint, nihilominus occasionibus, sicut praefertur, specificandis ibidem hospitari et pernoctare libere et licite ac absque excommunicationis alteriusque censurae vel poenae ecclesiasticae incursu possint et valeant respective; servata in reliquis praedictarum Clementis praedecessoris praedicti litterarum forma et dispositione, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus; ea tamen adiecta lege, ut Custos et duo antiquiores de consilio dicti conventus Fratres toties quoties valetudinario seu infirmariae huiusmodi uti contigerit, hospitibus abeuntibus, confestim valetudinarium seu infirmariam adire teneantur, cubicula et utensilia singillatim et diligenter inspicere et quidquid mundandum aut reparandum fuerit, nulla prorsus interposita mora, sub poenis arbitrio dicti Ministri generalis, etiam privationis officiorum vocisque activae et passivae, si vel semel defecerint, mundari ac omni meliori modo reparari praecipiant.

Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non conventus et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XX novembris MDCCLII, pontif. nostri anno decimotertio.

Fr. Carolus Antonius Calvi de Bononia, Artium et sacrae Theologiae doctor, totius Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium post seraphicum Patriarcham Minister generalis LXXXV.

Apostolica ss. d. n. Benedicti XIV feliciter regnantis, prout in eius litteris in forma Brevis datis sub die 20 novembris delabentis anni 1752 nobis et pro tempore existenti Ministro generali Ordinis clementissime concessa facultate suffulti, nominamus ac praesentium tenore specificamus festivitates seu solemnitates et casus, queis moderno et pro tempore futuro sacri nostri Assisien. conventus Custodi et Fratribus liceat cubiculis valetudinarii in Fratrum advenarum aliarumque saecularium virilis sexus dumtaxat personarum commoditatem atque hospitium uti, videlicet:

Festum sacratissimi Veli beatissimae virginis Mariae in die Annuntiationis eiusdem celebrari solitum, seu alio quovis die translatum celebrari contingat.

Festum Translationis Seraphici Patris in solemnitate Pentecosten.

Festum Dedicationis S. Mariae Angelorum.

Festum Seraphici Patriarchae ad diem 4 octobris.

Festa pariter seu solemnitates extraordinarias, quae occasione alicuius beatificationis sive canonizationis cuiuspiam ex Ordine nostro Minoritico Beati vel Sancti peragendae forent.

Tempora item Capitulorum et Congregationum tum generalium tum provincialium, nec non concursus baccalaureorum ad collegia.

Salva quoque successorum nostrorum ex integro eadem facultate eiusmodi alias festivitates, si necessitas tulerit, specificandi; nec non conditione in apostolicis litteris apposita de cubiculis atque utensilibus toties quoties, nulla interposita mora, a moderno ac pro tempore existenti p. Custode et duobus de consilio antiquioribus Patribus revidendis ac reparandis, sub poenis in eodem Brevi contentis, arbitrio nostro vel successorum nostrorum incurrendis. In quorum etc.

Dat. Romae apud SS. XII Apostolos die 16 decembr. 1752.

Fr. Carolus Ant. Calvi Minister generalis Ordinis.

Fr. Ioseph Antonius Martinelli Secr. et Assistens Ordinis.

XIII, 39. — *Originale.* = Nr. 537: XV, 30. — *Exemplum typ. editum.*

413. *1753, 14 decembris.*

Benedictus episc. *etc.* dilecto filio *Francisco Cennini* (1), clerico florentino seu alterius civitatis vel dioecesis salutem *etc.*

Vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur.

Hinc est quod Nos tibi, qui, ut asseris, pensionem annuam undecim ducatorum auri de Camera et iuliorum septem monetae romanae cum dimidio alterius iulii similis super canonicatus et poenitentiariae nuncupatae praebendae ecclesiae Exin. fructibus, redditibus et proventibus certis et incertis ac etiam distributionibus quotannis apostolica tibi auctoritate reservatam seu in te canonice translatam annuatim percipis, quique religionis zelo ductus et ob melioris vitae frugem habitum per Fratres Ordinis fratrum S. Francisci Minorum Conventualium nuncupatorum gestari solitum suscipere et statim, anno probationis elapso, professionem per eosdem Fratres emitti consuetam, quam nondum emisisti, expresse emittere intendis regulares; praemissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, tibi, ut etiam si contingat te habitum praefatum suscipere et professionem huiusmodi exinde emittere, nihilominus pensionem praefatam, ut prius, quoad vixeris, percipere, exigere, levare ac in tuos usus et utilitatem convertere libere et licite valeas dicta apostolica auctoritate tenore praesentium de speciali gratia concedimus et indulgemus, ac propterea pensionem praefatam non cessare neque extinctam esse vel fore, sed canonicatum et praebendam

(1) De Camerino, s. Theologiae magister. Minister prov. Marchiae fuit ann. 1788-91; obiit 1821: Galanti-Rinaldi, *Series... Ministrorum provincialium qui... Picenam provinciam... administrarunt,* Fani 1845, p. 34s.

praefatos pro tempore quomodolibet obventuros ad illius solutionem, suis debitis temporibus, iuxta illius reservationis, concessionis et assignationis formam, continentiam et tenorem tibi, ut prius, faciendam omnino teneri et obligatos existere, teque desuper a quoquam, quovis colore vel praetextu, impediri, molestari, perturbari vel inquietari nullatenus unquam possit, sicque et non alias ab omnibus censeri et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et Sedis apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere; et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Non obstante professione per te, ut praefertur, emittenda huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in synodalibus, provincialibus universalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, et inserti forent praesentibus, pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse, hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti et derogationis infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam maiorem anno incarnationis Dominicae millesimo septigentesimo quinquagesimo tertio, decimonono kal. ianuarii, pontif. nostri anno decimotertio.

XIII, 40. — *Originale.*

414. *1757, 7 februarii.*

Dilecto filio *Ioanni Victorio de Sonnaz* [1], Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum professori, in sacra Theologia magistro,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Religionis zelus, literarum scientia, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales.

---

(1) Iam Minister prov. Taurini. Anno sequenti officio renunciavit: Bartolomasi, *Series* cit., p. 42.

Cum itaque, sicut accepimus, Capitulum provinciale provinciae S. Francisci Umbriae Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum propediem, benedicente Domino, celebrari debeat, expensae vero quae pro illius celebratione faciendae essent tam Provinciam ipsam in communi quam omnes illius conventus in particulari gravarent; Nos eidem Provinciae, cuius tu, ut pariter accepimus, Frater expresse professus in sacra Theologia magister existis, de idoneo Ministro provinciali qui illam, adiuvante Domino, salubriter dirigat ex commissi Nobis divinitus pastoralis officii debito providere teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, ac de tua fide, prudentia, doctrina, integritate, charitate, vigilantia et religionis zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te memoratae provinciae S. Francisci Umbriae Ministrum provincialem, ad tempus quo eiusmodi provincialatus officium iuxta regularia eiusdem Provinciae instituta per Sedem apostolicam approbata durari consuevit, statim atque dilectus filius modernus Minister provincialis Provinciae praefatae tempus suum absolverit, inchoandum, cum omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis et indultis ac honoribus solitis et consuetis tenore praesentium constituimus et deputamus; mandantes propterea, in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, omnibus et singulis Provinciae praefatae Superioribus, Fratribus et personis, ceterisque ad quos spectat et spectabit in futurum, ut te ad demandatum tibi per praesentes Provincialatus officium illiusque liberum exercitium, iuxta earumdem tenorem praesentium, recipiant et admittant teque recognoscant et tibi in omnibus idem officium concernentibus pareant et obediant faveantque et assistant; ac decernentes ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac tibi in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac, quatenus opus sit, Provinciae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die VII februarii MDCCLVII, pontif. nostri anno decimo septimo.

XIII, 41. — *Originale.*

415. *1764, 19 ianuarii.*

Clemens papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Suprema apostolicae charitatis providentiaeque nostrae erga omnes Christi fideles, atque eos potissimum qui e fluctibus saeculi erepti ad tranquillum religionis portum confugerunt, adhibenda Nobis cura magnopere postulat atque exigit, ut omnem pontificiae benignitatis auctoritatisque operam consiliumque in hoc studiosissime collocemus, ut dissidiis dissensionibusque procul amotis atque eliminatis, ubi opus esse constiterit, omnia inter viros praesertim religiosos in pace fiant, et omnia ad divinum cultum adaugendum, regularem disciplinam confirmandam, procurandamque aeternam animarum salutem componantur constabilianturque.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit venerabilis frater *Ioannes Baptista Colombini* (1) archiepiscopus Beneventanus, Minister generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod sacer conventus sub invocatione eiusdem S. Francisci civitatis nostrae Assisien. dicti Ordinis, licet ab antiquo et immemorabili tempore usque ad praesentem diem peculiari devotione ab universo Ordine praefato et ab illius Superioribus et Alumnis semper habitus retentusque sit, maxime quod novissime illi annexam ecclesiam fel. record. Benedictus papa XIV praedecessor noster litteris suis XXV martii anno MDCCLIV sub plumbo expeditis in honorem beati Francisci in basilicam Patriarchalem et cappellam papalem erexit (2); nihilominus perturbationes pluries pertulerit atque in dies perferat, contendentibus Fratribus seu filiis memorati conventus ex una, et provincialibus Ministris provinciae Umbriae dicti Ordinis, intra cuius limites dictus conventus reperitur, ex altera partibus, absque eo quod huiusmodi partium studiis componendis satis fuerint sive praerogativae, gratiae, privilegia et indulta eidem conventui et ecclesiae praefatae ab apostolica hac sancta Sede concessa et impertita, sive decretum per modum ultimi iudicii aut definitivae sententiae a generali memorati Ordinis Definitorio in alma Urbe nostra anno MDCXLI in unum congregato latum et publicatum, quo omnimoda auctoritas, iurisdictio et superioritas super conventum huiusmodi in omnibus Ministro ipsius Ordinis generali pro tempore existenti, privative ad quoscumque Superiores provinciales, commissa, demandata et adiudicata remansit. Ipse vero *Ioannes Baptista* archiepiscopus et Minister generalis veretur, ne repetitae controversiae et dissensiones huiusmodi, quae charitati aliquando obesse, religiosam vero quietem et regularem observantiam conturbare solent, atque non minimam confusionem praesertim in professoribus servitio dictae ecclesiae addictis afferre dignoscuntur, tractu temporis magna dissidia et damna excitare valeant.

Cum autem, sicut ipse *Ioannes Baptista* archiepiscopus et Minister generalis existimat esse et existere causas quae eiusdem conventus

(1) Papiensis. Electus Minister gen. an. 1759; inter Archiepiscopos Beneventanos non recensetur a Gams, *Series Episcoporum* etc , p. 673.

(2) Cf. supra in elencho nr. 539.

pacem turbare pergunt: prima est incorporatio huiusmodi conventus regulari Provinciae Umbriae, cuius propterea filii habentur Fratres dicti conventus, qui in eadem vocis activae et passivae iure in quibusvis Capitulis sive Congregationibus intermediis fruuntur: eaque de causa accidit, ut Ministri provinciales Provinciae praefatae pro tempore existentes ius auctoritatemque contendant in eo exercere, saltem in aliqua parte, visitationem scilicet explendi tam in novitios quam in novitiatus locum, eo quod satis rationi consentaneum ipsis videatur, in conventu, qui eidem Provinciae aggregatus est et intra illius limites existit, provinciales Ministros saltem aliqua iurisdictione gaudere: id vero illius Fratres seu filii concedendum esse minime sentiunt, neque opinantur et arbitrantur aliquem in eorum conventusque praefati Superiorem agnoscere debere quam Ministrum generalem pro tempore existentem, postquam dictum Definitorium generalem idipsum sanxit decrevitque. Altera vero causa magis immediata, unde prima originem ducit seu cum priori connexa reipsa est, est ius filiationis huiusmodi conventui, quo gaudent illius Fratres, aut nomine dicti conventus ad habitum per Fratres ipsius Ordinis gestari solitum admissi, aut conventui praefato post professionem regularem aggregati. Vigore autem dictae filiationis Fratres saepedicti conventus etiam filii eiusmodi Provinciae existunt et pro illis habentur et omnibus privilegiis et praerogativis, quibus ceteri Provinciae praefatae filii fruuntur et reliquis aliorum illius conventuum filiis communes sunt, praesertim voce activa et passiva gaudentibus, potiuntur itidem et gaudent. Ex huiusmodi filiationis consuetudine aliud inconveniens ortum habet, illudque est nempe cum filii conventui praefato aggregati aliquando minus apti ad servitium exhibendum sive conventui sive illius patriarchali ecclesiae huiumodi succedant, tamen magno cum aliorum onere tolerari debent ex una; ex altera vero partibus Ministro pro tempore existenti generali ipsius Ordinis via non raro praecluditur aliorum pietati, qui huiusmodi conventus servitio destinari postulant, satisfaciendi, aut idoneos et probatae vitae viros aliunde arcessendi, quibus summopere opus esset pro debita assistentia eiusmodi Basilicae, tanta piorum hominum et advenarum multitudine frequentatae.

Censet vero ipse *Ioannes Baptista* archiepiscopus et Minister generalis, quod huiusmodi causae et rationes facile auferri possent, quoties ad eumdem conventum Assisiensem ipsa regiminis forma extendatur, quae ad decorem pacemque confovendam et servandam pro conventu SS. XII Apostolorum almae Urbis nostrae saepedicti Ordinis, iuxta illius constitutiones auctoritate apostolica confirmatas, invecta ac perpetuo custodita est: quam quidem formam non solum peculiaris quinque ex venerabilibus fratribus S. R. E. Cardinalibus congregatio a Nobis deputata per sententiam confirmavit in causa vertente inter tunc existentem Ministrum provincialem provinciae Romanae ex una et Fratres secundo dicti conventus SS. XII Apostolorum ex altera partibus, sub dubio inter cetera, nempe: «An conventus SS. XII Apostolorum de Urbe sit immediate subiectus Ministro generali et omnino exemptus a iurisdic-

tione Ministri provincialis provinciae Romanae et praesertim a visitatione, absente Ministro generali in casu, etc.»; verum etiam Nos conventum huiusmodi, intuitu Rescripti dictae particularis Cardinalium congregationis, per quasdam nostras in simili forma Brevis die XV sept. MDCCLIX expeditas litteras a quacumque pro tempore existentis Ministri provincialis dictae provinciae Romanae iurisdictione et auctoritate exemimus et liberavimus ac exemptum et liberum declaravimus, prout in dictis nostris litteris uberius dicitur contineri. Per constitutiones vero praefatas cautum praescriptumque reperitur, ut in secundo dicto conventu SS. XII Apostolorum (praetermisso filiationis usu, cuius vigore professores dicti Ordinis conventibus addicti reperiuntur et eorum existunt filii, in quorum conventuum filios cooptantur) non ex Romana solum, sed ex omnibus indiscriminatim saepedicti Ordinis provinciis conveniens professorum in sacro presbyteratus ordine constitutorum et in sacra Theologia magistrorum, doctrina et pietate praeditorum numerus a Ministro pro tempore existente generali vocetur: (Patres capitulum conventuale dicti conventus SS. XII Apostolorum de Urbe constituentes, Patres de domo, seu vulgo *di casa* nuncupati, ad denarium numerum redacti sint, vigore potissimum binarum litterarum in pari forma Brevis a rec. mem. Clemente papa X praedecessore nostro X iunii MDCLXX et VII martii MDCLXXIV respective diebus et annis expeditarum). Qui quidem Patres, si contingat aliquem ex illis ab hac luce migrare aut locum sibi assignatum per liberam dimissionem cedere seu renunciare seu quocumque alio modo vacare, per secreta suffragia per eos praestanda alterum ex quacumque ipsius Ordinis Provincia, praescriptis qualitatibus praeditum eligunt, qui in locum, ut praefertur, per obitum aut renunciationem aut ex quacumque causa vacantem succedat: qui deinde a tunc existente Ministro generali vocatus et in illo collocatus remanet, (nisi alia legitima sibi suadente ratione id exequi sibi minime visum fuerit). Ipsorum autem sit statui conventus praefati oeconomico invigilare, atque ecclesiae una cum aliis dicti Ordinis professoribus, qui ab eodem generali Ministro ibidem de familia assignati ac collocati sacris ecclesiasticis functionibus persolvendis, ceterisque regularis observantiae officiis adimplendis incumbant, inservire: quodque nullo modo sive dictus conventus vel Fratres in eo pro tempore existentes, sive Patres de domo nuncupati sive de familia assignati, Ministro provinciali dictae provinciae Romanae subiecti sint, neque Fratres eiusdem conventus negotiis memoratae Provinciae illiusque Capitulis et Congregationibus sese ingerant, nisi forte aliquis ex illis aggregatus existat alicui conventui ipsius Provinciae in filium, sed omnes praefati Ministrum generalem pro eorum immediato atque unico Superiore habeant et recognoscant.

Si similis forma gubernii pro dicto conventu Assisiensi statueretur et conventus huiusmodi ab omnimoda subiectione et iurisdictione dicti Ministri provincialis Umbriae eximeretur et Ministro generali, privative ad quoscumque Provinciales, subiiceretur, dictus *Ioannes Baptista* archiepiscopus et Minister generalis sibi suadet, quod imposterum omnes perturbationes et dissensiones dirimerentur et componerentur, idque in

commodum utilitatemque memorati conventus cederet, in quo semper congruens professorum probitate, prudentia, idoneitate et morum honestate ac religionis zelo praeditorum numerus, magno cum illius decore et ecclesiae servitio, assignaretur. Quoniam vero complures sunt Fratres in saepedicto conventu qui nullum alium habent filiationis titulum (sine quo nemo ad habitum et professionem admitti potest) nisi in dicto conventu; ipse *Ioannes Baptista* archiepiscopus et Minister generalis, ne novae perturbationes in dicto conventu Assisiensi excitentur et diu vigeant, ad illas praecidendas et omnino eliminandas proprium et consentaneum esse ducit, satisque conventus huiusmodi indigentiae consultum fore, si idem conventus a memorata provincia Umbriae disiungatur (prout alius conventus SS. XII Apostolorum de Urbe praefata a provincia Romana separatus existit) atque, servata interim filiatione nec non paternitate domus, ut aiunt, ad favorem eorum professorum qui illa seu illis de praesenti gaudent, statuatur ne deinceps aliqua filiatio in eo fieri possit; sed deficientibus tractu temporis filiis ipsiusmet conventus de praesenti existentibus, vocentur ex omnibus, non solum ex Italia, verum etiam ex ceteris Provinciis Ordinis praefati decem et quatuor numero professores, quorum ad minus octo sint suarum Provinciarum Definitores perpetui: qui omnes et soli capitulum conventuale constituant; eisque vel aliis religiosis professis ibidem de familia degentibus, per secreta suffragia de more deputandis, oeconomicae eiusdem sacri conventus administrationis onus incumbat. Omnes vero imposterum ex omnibus supradictis Provinciis, ut praefertur, vocandi et in praefato conventu collocandi, suam in unaquaque Provincia et unoquoque illorum conventu filiationem servent, absque eo quod habeantur seu censeantur filii memoratae provinciae Umbriae; omnesque praefati voce activa et passiva in ea minime gaudeant, nisi forte filius ipsius Provinciae, aut ex Generalis dicti Ordinis, qui absoluto munere Ministri generalis in ipso sacro conventu pro sua devotione remanere intendat, extiterit.

Insuper cum pro debito servitio illius patriarchalis basilicae sacrisque functionibus rite obeundis iugis ac congruus inibi requiratur clericorum numerus; propterea dictus *Ioannes Baptista* archiepiscopus et Minister generalis Provinciarum italicarum optimum atque opportunum esse censeret, si Ministris provincialibus, maxime vicinioribus, indicatur, ut singulis annis in dicto conventu Assisiensi pro novitiatu destinato aliquot adolescentes in statu clericali, ad habitum dicti Ordinis iam admissos seu illarum Provinciarum nomine admittendos, iuxta exigentiam eiusdem sacri conventus mittant, ut ibidem novitiatus annum expleant: idque proinde in omnium Provinciarum magnam cederet utilitatem, eidemque conventui, attentis assiduis ecclesiasticis functionibus, quae, ut dictum est, in sacra basilica peraguntur, perutile erit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsum *Ioannem Baptistam* archiepiscopum et Ministrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesia-

sticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati saepedictum conventum S. Francisci Ordinis fratrum Minorum eiusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum civitatis Assisii, nec non illius Fratres nunc et pro tempore existentes, tam professos quam novitios sive clericos sive laicos, etiamsi eorum aliquis ad provinciam Umbriae causa suae filiationis spectaret, bonaque omnia praefati conventus mobilia et immobilia, res et iura quaecumque annexa et connexa, a quacumque iurisdictione, subiectione, auctoritate, visitatione et correctione tam moderni quam pro tempore existentis Ministri provincialis provinciae Umbriae praefatae dicti Ordinis, sive per dictas constitutiones Ordinis, sive per peculiares eiusdem Provinciae, sive per quodcumque aliud privilegium aut ius commune vel speciale, pacto, consuetudine aut alio quovis modo tradita, commissa, acquisita vel praetensa, praemissis et aliis quibusvis non obstantibus, quibus per praesentes derogamus, auctoritate apostolica tenore praesentium eximimus et liberamus, pronunciamus et declaramus; dictumque conventum Assisiensem illiusque Fratres professos, ut praefertur, ac novitios, bona quaecumque ac iura annexa et connexa, per Nos tenore praesentium ab omnimoda iurisdictione, subiectione, auctoritate, visitatione et correctione, sicut praemittitur, exempta et liberata, omnimodae et immediatae iurisdictioni, subiectioni, auctoritati, visitationi et correctioni sive moderni sive pro tempore existentis Ministri generalis ipsius Ordinis auctoritate et tenore praesentium semper et perpetuo itidem subiicimus, supponimus, submittimus, dictisque Ministris generalibus in omnibus et per omnia in praemissis subiectum et suppositum semper et perpetuo fuisse, esse et fore decernimus, constituimus et declaramus.

Praeterea, attenta omnimoda et immediata dicti conv. Assisien. iurisdictione, subiectione, auctoritate, visitatione et correctione Ministro gen. pro tempore existenti per praesentes privative penitus demandata, illius etiam oeconomicum regimen, curam et administrationem bonorum, iurium, fructuum, redituum et proventuum ad formam per constitutiones dicti Ordinis et iuxta dispositionem dictarum litterarum dicti Clementis praedecessoris pro eodem conventu SS. XII Apostolorum de Urbe praescriptam, illius Religiosis seu Patribus nunc et pro tempore existentibus auctoritate et tenore praesentium itidem perpetuo committimus et mandamus. Patres autem numero decem et quatuor, et non plures, ex variis Provinciis dicti Ordinis, tam intra quam extra Italiam deinceps eligi, qui praeclaris meritis et praerogativis conspicui sint, optimae praesertim famae vitaeque sanctioris agendae studio ornati, et ad minus octo sint suarum Provinciarum Definitores perpetui, qui omnes capitulum conventuale praefati conventus Assisiensis ad quaecumque ipsius temporalia negotia iuxta praedictas constitutiones Ordinis peragenda plene constituant, valeantque Ministros seu Officiales alios, sive ex seipsis sive ex aliis in eodem conventu commorantibus vel collocandis Fratribus, servata ta-

men praefatarum constitutionum forma, eligere ac deputare, statuimus et praesentium tenore decernimus. Si qui autem ex Generalibus dicti Ordinis, absoluto munere, remanere in dicto conventu desiderent, quoniam totius Ordinis Patres Definitoresque generales perpetui sunt, id eis permittimus et concedimus: ipsosque Ex-Generales ibidem, ut praefertur, commoraturos, ad praefatum conventuale capitulum, sed supra recensitum numerum decem et quatuor Patrum, recipi posse ac debere, annuente Ministro generali pro tempore, pariter concedimus et indulgemus. Praefati vero Patres tali, ut praefertur, numero comprehensi, Patres de domo conventus Assisiensis nuncupandi, ibidem commorantes, suae nihilominus Provinciae nativique conventus filiationem retineant et servent, ac voce propterea activa et passiva in sua respective Provincia occasione Congregationum vel Capitulorum provincialium, perinde ac si eam incolerent, gaudeant plenissimeque fruantur. In saepedicta vero Umbriae provincia nullam filiationem acquirant, nulloque suffragio activo vel passivo polleant vel utantur, nisi forte electus quisquam in Patrem praefati conventus Assisiensis nativa praedictae provinciae Umbriae filiatione gauderet. Quemadmodum vero existentes nunc Patres et filios conventus Assisiensis ab ea, in qua nunc sunt possessione, tam clericos quam laicos aut oblatos deiicere ac deturbare, quod non sine confusione fieret, haud nostrae voluntatis est, quos propterea in suo quosque statu ac iure quoquomodo acquisito tum erga conventum cum erga Provinciam, quoad vixerint, relinquimus. Ita his paulatim deficientibus et viam universae carnis sensim ingredientibus, quoties ad praefatum numerum decem et quatuor memorati Patres ad capitulum conventuale spectantes redigantur, ibi consistendum; eo vero numero decrescente, statim supplendum et in decedentis locum accersendum esse alium ex Provinciis Ordinis, nonnulla ipsarum Provinciarum ratione habita, decernimus et mandamus; huiusmodi substitutione seu electione per Patres capituli conventualis superstites per secreta suffragia de more peragenda, approbanda vero a Ministro generali, qui eorumdem Patrum deliberationem suis datis litteris, nisi aliter sibi rationabiliter videatur, executioni demandabit. Ceterum deficientibus qui nunc sunt filiis praefati conventus Assisiensis, ullos alios imposterum eligi prohibemus sub poena nullitatis, omnemque filiorum electionem, si qua forte a praesentium publicatione inibi fieret, cassam prorsus, irritam ac nullam praesentium tenore decernimus et declaramus. Verumtamen loco filiorum, quos alere conventus Assisiensis consuevit, alios eiusdem Ordinis professores ex diversis Provinciis, vel magistros vel simplices sacerdotes aut laicos, honestis prorsus probisque moribus praeditos accersiri praecipimus, qui, suorum respective conventuum ac Provinciarum filiatione retenta, in praefato conventu Ministri generalis arbitrio collocati remaneant, atque eo congruo numero, quo tum saepedicti conventus cum potissimum Basilicae nostrae patriarchalis servitio sufficiant.

Demum provinciarum Italiae Ministris praefati Ordinis, nunc et pro tempore existentibus, praesertim Assisiensi conventui vicinioribus, nempe Umbriae, Marchiae, Tusciae, Romae et Bononiae, ut singulis

annis aliquot adolescentes ad religionis habitum admissos seu suarum Provinciarum et conventuum nomine admittendos, duos nempe in statu clericali et unum in laicali (praemonito per epistolam Assisiensi Custode), qui probationis annum in eodem Conventu peragant, eoque expleto ad regularem Professionem, servatis servandis, admittantur, destinare curent, auctoritate et tenore praesentium iniungimus, praecipimus et mandamus.

Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici Auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis ac provinciae Umbriae huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCCLXIV, pontif. nostri anno sexto.

XIII, 42. — *Originale.* = Nr. 550; XV, 43. — *Exemplum typ. editum.*

416. *1769, 16 decembris.*

Clemens episc. *etc.* dilecto filio Pio Iohanni Laurenti rectori sine cura ecclesiae seu capellae S. Ioannis Baptistae loci communis de Battedizzo, Bononien. dioec., aut in ea seu alia loci huiusmodi ecclesia presbytero perpetuo beneficiato, salutem *etc.*

Vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales.

Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica apud Sedem apostolicam tunc vacantia et in antea vacatura collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari.

Cum itaque postmodum sine cura ac personalem residentiam non requirens ecclesia seu capella S. Ioannis Baptistae dicti communis [de Battedizzo], Bonon. dioec., aut in ea seu alia loci huiusmodi ecclesia simplex dictamque residentiam non requirens beneficium ecclesiasticum sub invocatione seu ad altare eiusdem S. Ioannis Baptistae per liberam

resignationem dilecti filii Hieronymi Laurenti, nuper dictae sine cura ecclesiae seu capellae rectoris aut in ea presbyteri perpetui beneficiati, de illa seu illo quam seu quod tunc obtinebat in manibus nostris sponte factam et per Nos admissam apud Sedem eandem vacaverit et vacet ad praesens nullusque de illa seu illo praeter Nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione illius ac decreto obsistentibus supradictis; Nos tibi presbytero Bonon. asserenti te dicti Hieronymi ex fratre germano nepotem existere ac nonnulla perpetua simplicia et personalem residentiam non requirentia beneficia ecclesiastica in aliis quam praefata ecclesia sita, quorum insimul fructus, redditus et proventus ducentorum quinquaginta ducatorum auri de Camera valorem annuum non excedunt, obtinere ac nonnullas pensiones annuas summam insimul quadringentorum octoginta scutorum monetae romanae non excedentes super ea seu aliis quam praefatis et antedictis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis apostolica tibi auctoritate reservatas annuatim percipere; praefatum vero Hieronymum canonicum presbyterum de insigni collegiata Basilicae nuncupatae ecclesiae S. Mariae in Via Lata et nuncupatae de Urbe existere ac alias bon. mem. Ioannis Iacobi dum viveret S. R. E. cardinalis de illo nuncupati simili iure continuasse ac in eiusdem possessione extitisse et in aliorum commodum perinde valere (?) dictamque sine cura ecclesiam seu capellam aut beneficium primo dictum a quinquaginta circiter annis obtinuisse et sub illius titulo ad sacros Ordines forsan promotus fuisse; praemissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, dictam sine cura ecclesiam seu capellam aut beneficium primo dictum, cuius et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus sexdecim ducatorum auri de Camera huiusmodi, secundum communem extimationem, valorem annuum, prout etiam asseris, non excedunt, sive praemisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona seu per similem vel aliam liberam resignationem dicti Hieronymi vel cuiusvis alterius de illa seu illo in romana Curia vel extra eam etiam coram notario publico ac testibus sponte factam aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati non tamen per obitum vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem praefatam legitime devoluta, dictaque sine cura ecclesia seu capella aut beneficium primo dictum dispositioni apostolicae ac aliter vel alias quomodolibet reservata seu reservatum existat et super ea seu eo inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad Nos hac vice pertineat, ac cum annexibus huiusmodi ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, apostolica tibi auctoritate conferimus ac de illa seu illo etiam providemus; decernentes, prout est, irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum et etiam hactenus vel imposterum contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bonifatii papae VIII praedecessoris nostri ceterisque aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque,

aut si aliqui super dictis provisionibus tibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in aliis partibus speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum; quibus omnibus te in assecutione dictae primo díctae ecclesiae seu capellae seu beneficii primo dicti volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum praeiudicium generari; seu si archiepiscopo Bononien. vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel provisionem seu quamvis aliam dispositionem vel quoquo modo spectet nulli valeat provideri, nisi per litteras apostolicas facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Volumus autem quod si apparuerit super resignatione dictae sine cura ecclesiae seu capellae aut beneficii primo dicti aut aliis per dictum Hieronymum alicui renunciatum et extensum fuisse, praesens gratia nulla sit eo ipso.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, collationis, provisionis, decreti et voluntatis infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam maiorem anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo nono, decimo septimo kalendas ianuarii, pontif. nostri anno primo.

XIII, 43. — *Exemplum authenticum.*

417. *1769, 16 decembris.*

Clemens episc. *etc.* dilectis filiis mag. Francisco Mariae Morelli in utraque Signatura nostra referendario et antiquiori canonico ecclesiae Bononien. ac vicario ven. fratris nostri archiepiscopi Bononien. in spiritualibus generali, salutem *etc.*

Hodie dilecto filio Pio Ioanni Laurenti rectori sine cura ecclesiae seu capellae S. Ioannis Baptistae loci communis de Battedizzo, Bononien. dioecesis, aut in ea seu alia loci huiusmodi ecclesia presbytero perpetuo beneficiato praefato sine cura vel personalem residentiam non requirente, ecclesiam seu capellam aut in ea seu alia loci huiusmodi ecclesia beneficium simplex dictamque residentiam non requirentem beneficium ecclesiasticum sub invocatione seu ad altare eiusdem S. Ioannis Baptistae certo tunc expresso modo apud Sedem apostolicam vacantem seu vacans et antea dispositioni apostolicae reservatam seu reservatum cum illius fructibus annuis ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica auctoritate contulimus, ac de illa seu illo etiam providemus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur [1].

---

[1] Cf. nr. praecedentem.

Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam dictae litterae vobis praesentatae fuerint, per vos vel alium per alios eundem Pium Ioannem vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem dictae sine cura ecclesiae seu capellae aut beneficii huiusmodi ac adnexis iuriumque et pertinentiarum praefatorum inducatis auctoritate nostra ac defendatis inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes eundem Pium Ioannem vel pro eo procuratorem praefatum ad dictum beneficium, ut est moris, admitti, sibique de illius seu dictae sine cura ecclesiae seu capellae ac adnexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus et obventionibus quibuscumque responderi. Contradictores autem auctoritate nostra praefata, appellatione postposita, compescendo.

Non obstantibus omnibus quae in dictis litteris volumus non obstare, seu si ven. fratri nostro archiepiscopo Bononien. vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi aut excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam aut expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo nono, decimo septimo kal. ianuarii, pontif. nostri anno primo.

XIII, 43. — *Exemplum authenticum.*

418. *1771, 11 septembris.*

Clemens papa XIV, ad perpetuam rei memoriam.

Assisiensem fratrum Minorum Conventualium ecclesiam beato patriarchae Francisco confessori dicatam, ac tot tantisque privilegiis et gratiis summa romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum liberalitate merito insignitam, quam maxime decet ut Nos, qui Ordinem ipsum professi fuimus, eumque singulari sane charitate complectimur, novis etiam pontificiae benignitatis argumentis decoremus, illiusque dedicationis memoriam ea, qua par est, annua celebritate recolendam praecipiamus.

Id sane exigit non solum peculiaris noster obsequii et devotionis affectus in eumdem beatum patriarcham Franciscum, cuius corpus in ecclesia praedicta requiescit, sed etiam eiusdem ecclesiae qualitas ac dignitas pene singularis. Ipsa enim mater et caput omnibus aliis ecclesiis Ordinis Minorum praecellit, et pontificia manu incepta simul atque absoluta fuit. Primum siquidem eius lapidem imposuit s. mem. Gregorius papa IX praedecessor noster; eam vero sollemni ritu dedicavit Innocentius papa IV itidem noster praedecessor: et postquam nonnulli alii romani Pontifices omnis generis pontificalia sacra in ea celebrare assueverunt, ecclesiam huiusmodi Basilicam patriarchalem et cappellam papalem esse rec. mem. Benedictus papa XIV praedecessor quoque noster constituit et declaravit.

Quocirca dignum omnino est simulque ac debitum, ut omnes ipsius sancti Patriarchae filii sub suis vexillis militantes Dedicationis huius ecclesiae diem annuae celebritatis veneratione prosequantur.

Motu itaque proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine Missam et officium Dedicationis eiusdem Assisiensis ecclesiae Dominica quinta post Pascha sub ritu duplicis maioris cum lectionibus secundi nocturni propriis, pro praefato Ordine Minorum Conventualium aliis a Sede apostolica approbatis, ab omnibus et singulis utriusque sexus tam Minorum Ordinum quam S. Clarae, Tertii Ordinis et quibusvis aliis regularibus personis quomodolibet sub eiusdem seraphici Patris instituto militantibus et ad Officii divini recitationem obstrictis, in quibuscumque Provinciis, conventibus, monasteriis et locis tam citra quam ultra montes et maria in universo orbe et sub quorumlibet cura degentibus, sub poenis de non satisfaciendo ea die praecepto recitandi Officium, aliisque in constitutione s. mem. Pii papae v praedecessoris nostri contentis, sub eodem ritu duplicis maioris et eisdem lectionibus secundi nocturni propriis in perpetuum celebrari et recitari districte praecipimus.

Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac omnibus ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac sanctae romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praedictae nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XI septembris MDCCLXXI, pontif. nostri anno tertio.

XIII, 44. — *Originale.*

419. *1786, 4 augusti.*

Pius papa VI, ad perpetuam rei memoriam.

Omnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini nostri Iesu Christi eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi et illis adiutae ex Purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant.

Volentes igitur ecclesiam ruralem fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, sub titulo sanctae Mariae de *Rocchicciola,* Assisien. dioecesis, in qua aliud altare privilegiatum non reperitur concessum, et in ea sit altare per Ordinarium designandum hoc speciali dono illustrandum, auctoritate Nobis a Domino tradita ac de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis vel regularis Missam defunctorum pro anima cuiuscumque Christi

fidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praefatum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut eiusdem Domini nostri Iesu Christi ac beatae Virginis immaculatae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die IV augusti MDCCLXXXVI, pontif. nostri anno duodecimo.

XIII, 45. — *Originale.*

420. *1796, 26 februarii.*

Dilecto filio *Bonaventurae Leoni* presbytero, Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum professoris,

PIUS PAPA VI.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Exponi Nobis nuper fecisti domicilium tibi coenobii Assisien. tui Ordinis, in quo florente adhuc aetate vixeris Theologiae studiis dans operam, ubi Poenitentiarii postea pro Italis munus duos annos magna diligentia gesseris, quoque ex Lauretana commoratione et administratione eius ipsius muneris Poenitentiarii te receperis quarto circiter ante anno, domicilium sane eiusmodi adeo tibi placere ut in eo penitus conquiescas neque opportuniorem locum reperire te speres posse, ut susceptum consilium et institutum cum Deo vacandi perficias; quam ob rem te orare Nos et obsecrare ut benignitate nostra apostolica tibi consulere velimus, quo ne ab ista tranquillitatis et beatitatis tutissima sede avelli usquam possis.

Nos igitur tuam istam sapienter admodum initam rationem libenter adiuvare, quantum est situm in Nobis, volentes, teque a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, te Patrem commemorati coenobii Assisien. cum omnibus et singulis iuribus, privilegiis et gratiis quae Patribus eius coenobii quomodolibet competunt auctoritate apostolica tenore praesentium facimus et deputamus, mandamusque in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat et spectabit in futurum, te ut beneficii huius nostri fructu quiete frui sinant et faciant, neque ullam in eo molestiam audeat quisquam tibi adferre; decernentes praeterea has litteras validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. Ecclesiae cardinales de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac tui Ordinis ipsiusque coenobii, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDCCXCVI, pontif. nostri anno vigesimo secundo.

XIII, 46. — *Originale.*

421. *1818, 16 ianuarii.*

Pius papa VII, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam *etc.* refectis, qui ecclesiam parochialem S. Ioannis Baptistae *castri Podii Superioris,* Assisien. dioecesis, ab ecclesia Assisien. S. Francisci fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, basilica patriarchali et capella papali, dependentem, in Nativitatis S. Ioannis Baptistae ac Purificationis b. Mariae virginis Immaculatae festis diebus, a primis vesperis, necnon feria sexta post primam Dominicam quadragesimae ab ortu usque ad occasum solis dierum et feriae huiusmodi, singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum *etc.* effuderint, quo die ac feria praefatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In qualibet vero ex reliquis feriis sextis quadragesimae, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Volumus autem ut si alias Christi fidelibus in quocunque alio anni die dictam ecclesiam visitantibus aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit; vel in praesentatione *etc.* praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XVI ianuarii MDCCCXVIII, pontif. nostri anno decimo octavo.

XIII, 47. — *Originale.*

422. *1818, 16 ianuarii.*

Pius papa VII, universis Christi fidelibus *etc.*

Ad augendam *etc.*, qui ecclesiam *etc. (ut supra nr. 421)* dependentem, die Commemorationis omnium fidelium defunctorum singulis annis devote visitaverint *etc.* plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praesentibus ad septennium valituris.

In quolibet vero ex septem diebus immediate sequentibus praefatam diem Commemorationis defunctorum, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis seu alias *etc.* relaxamus.

Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam in Domino indulgemus.

Volumus autem ut si pro praesentatione *etc.* praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XVI ianuarii MDCCCXVIII, pontif. nostri anno decimo octavo.

XIII, 48. — *Originale.*

423. *1818, 16 ianuarii.*

Pius papa VII, ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in parochiali ecclesia S. Ioannis Baptistae *castri Podii Superioris* Assisien. dioecesis, ab ecclesia Assisien. S. Francisci fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, Basilica Patriarcali et cappella papali, dependenti, per novem continuos dies immediate antecedentes festum Nativitatis Domini nostri Iesu Christi multa christianae pietatis opera magno Christi fidelium concursu quotidie celebrari et exerceri consueverint seu intendant; Nos ad augendam *etc.* qui praefatam ecclesiam in primo et ultimo praefatorum novem dierum singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum *etc.* effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In qualibet vero ex reliquis septem diebus praefatis, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Volumus autem ut si pro praesentatione *etc.* praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XVI ianuarii MDCCCXVIII, pontif. nostri anno decimo octavo.

XIII, 49. — *Originale.*

435. *1262, 14 novembris.*

Urbanus episc. *etc.* dilectis filiis fratribus Ordinis Minorum inquisitoribus heretice pravitatis, in administratione Marchie Tervisine deputatis auctoritate apostolica et in posterum deputandis, salutem *etc.*

Cupientes ut negotium catholice fidei, vobis Sedis apostolice auctoritate commissum et in posterum committendum, feliciter in vestris manibus prosperetur, volumus et presentium vobis auctoritate districte precipiendo mandamus, quatenus in eodem negotio, de divino et apostolico favore confisi, diligenter, iuxta formas super eo vobis traditas, procedatis, periculosia et gravia (*sic*) impedimenta, que in predicto negotio vobis emerserint, dilecto filio nostro Ioanni S. Nicolai in Carcere Tulliano dia-

cono cardinali, quem eidem prefecimus negotio, significare curetis; super aliis vero impedimentis quibuslibet et que sive ex defectu sotiorum sive alias ex quacumque causa vobis in ipso negotio emergere forte contigeri[n]t, et personaliter si opus fuerit ad Cardinalem recurratis eundem, et per litteras vestras seu nuncios secure ipsi Cardinali omnia intimare curetis; ut Nos, per eum super his sufficienter instructi, contra impedimenta huiusmodi provideamus de remediis opportunis.

Nostre namque firme et stabilis intentionis existit ut, quibuslibet obstaculis et impedimentis omnino amotis, dictum negotium, quod plurimum insidet cordi nostro, felicem habeat, Domino auctore, progressum, ad laudem et gloriam divini nominis et christiane religionis augmentum.

Datum apud Urbem veterem decimo octavo kalendas decembris, pontif. nostri anno secundo.

XIV, 3. — *Exemplum authenticum saec. XVI.*

440. *1425, 25 martii.*

Antonius miseratione divina episcopus Portuensis, S. R. C. cardinalis Bononiensis vulgariter nuncupatus, Perusii, Tuderti et ducatus Spoletani apostolice Sedis legatus et vicarius generalis, commissarius et executor ad omnia et singula infrascripta per ss. dominum n. d. Martinum papam V specialiter deputatus, dilectis nobis in Christo religiosis Sororibus monialibus monasteriorum S. Nicolai de Horto extra muros Assisinat., et S. Angeli de Panso Assisinat., Ordinis S. Clare, sub regula et secundum instituta fratrum Ordinis Minorum viventibus, salutem in Domino sempiternam.

Bullas seu apostolicas litteras prefati ss. in Christo patris et domini nostri Martini divina providentia pape quinti nobis pro parte vestra presentatas, eius vera bulla plumbea cum chordula canapis pendente munitas, non vitiatas, non abolitas nec aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, cum ea qua decuit reverentia suscepimus; quarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

Martinus *etc.* Humilibus *etc.* anno octavo.

Nos itaque Antonius episcopus, cardinalis, legatus et in hac parte commissarius et executor prefatus, tanquam obedientie filius, volentes mandata apostolica exequi, ut tenemur, super premissis omnibus et singulis in dictis Bullis seu litteris apostolicis, narratis, expressis et contentis, auctoritate apostolica, iuxta dicte commissionis nobis facte formam et tenorem, informationem recepimus diligentem; et quia per huiusmodi informationem comperimus omnia et singula suprascripta, narrata et contenta in ipsis Bullis seu litteris apostolicis fore vera, predictum monasterium S. Nicolai cum omnibus iuribus et pertinentiis suis supradicto monasterio S. Angeli auctoritate prefata, tenore presentium in perpetuum de novo unimus, annectimus et incorporamus; ita quod amodo monasteria praedicta S. Nicolai et S. Angeli unum corpus sint, habeantur et perpetuo reputentur: quodque liceat et licitum sit vobis Monialibus predicti monasterii S. Nicolai in dicto monasterio S. Angeli perpetuo remanere, nec non

liceat vobis utrisque Monialibus huiusmodi corporalem possessionem ipsius monasterii S. Nicolai iuriumque et pertinentiarum predictorum per vos vel alium nomine vestro libere apprehendere et perpetuo retinere, nec non in vestros et dicti monasterii S. Angeli usus et utilitatem tenere, cuiuscunque licentia minime requisita.

Non obstantibus constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus monasteriorum et Ordinum predictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque; decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

In quorum omnium fidem et testimonium presentes fieri iussimus et registrari nostrique pontificalis sigilli appensione communiri.

Datum Perusii in palatio nostre solite residentie anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo quinto, indictione tertia, die 25 mensis martii, pontificatus ss. in Christo patris et domini nostri d. Martini divina providentia pape quinti anno octavo.

Ioannes de Cayrate.

XIV, 6. — *Exemplum authenticum saec. XVIII.*

442. *1452, ... decembris.*

Nicolaus episc. *etc.* ad perpetuam rei memoriam.

Exposcit dilectorum filiorum Custodis et Fratrum domus S. Francisci de Assisio, Ordinis fratrum Minorum, devotionis sinceritas et religionis promeretur honestas, ut illa eis favorabiliter concedamus, que vetustis temporibus eorum domui concessa fuere et sine quibus Misse et alia divina offitia inibi commode celebrari non possunt.

Hinc est quod Nos, Custodis et Fratrum eorundem, asserentium se pro Missis et aliis in ecclesia dicte domus divinis celebrandis offitiis maxima quantitate cere annis singulis indigere, supplicationibus inclinati, hac irrefragabili constitutione statuimus pariter et ordinamus antiquam consuetudinem, retroactis temporibus diutius nisi a paucis annis citra observatam, de obventionibus et oblationibus cere capelle S. Marie de Portiuncula, alias de Angelis, dicti Ordinis, Assisinat. dioc.: videlicet quod omnis cere quantitas die prima augusti a primis vesperis [usque ad secun]das (1) vesperas sequentis diei, ac duobus aliis Annuntiationis et Assumptionis [....] sive tertia pars cere per totum annum eidem et aliis ipsi[us...] pro usu eiusdem ecclesie S. Francisci cedat et integre debeatur, in posterum perpetuis futuris temporibus observari; premissis adiicientes quod omnis pecuniarum summa eisdem Custodi et Fratribus ex Christi fidelium oblationibus et elemosinis eiusdem capelle proveniens, pro una in reparationem ecclesie et domus predictarum, et pro alia medietatibus in eorumdem Custodis et Fratrum illic pro tempore degentium usu penitus convertatur.

---

(1) Charta hic et infra lacerata.

Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indultis et litteris apostolicis specialibus vel generalibus tam per fel. rec. Eugenium papam IV quam alios predecessores nostros Fratribus domus capelle b. Marie predicte per Nos vel Sedem apostolicam sub quibusvis formis aut verborum expressionibus et cum quibusvis clausulis derogatoriis et decretis irritantibus, in genere vel in specie, hactenus concessis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum presentibus habenda esset mentio specialis; quibus quoad premissa dumtaxat hac vice derogari volumus et ex certa scientia expresse derogamus, ipsis alias in suo robore plenarie duraturis; nec non constitutionibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis, derogationis, ordinationis et voluntatis infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quin[quagesimo secundo...] kal. ianuarii, pontif. nostri anno sexto.

Marcellus.

S. de Monte. Gratis de mandato domini nostri Pape.

XIV, 7. — *Exemplum non authenticum saec. XVI.*

444. *1463, 13 iunii.*

In Dei nomine, amen. Haec est copia publica, sumptum seu transumptum publicum cuiusdam particulae Brevis s. mem. Pii papae secundi super celebratione nundinarum die prima augusti et sequentibus ad favorem illustrissimae civ. Assisii: « Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae 1463, idibus iunii, pontificatus anno quinto », in hac secretaria priorali existentis etc., cuius tenor est qui sequitur, videlicet. Omissis aliis ad rem etc.

[Pius episc. *etc.* ...]

Quodque aliqui prima die mensis augusti cuiuscumque anni, qua Christi fideles ecclesiam S. Marie de Portiuncula extra muros dicte civitatis pro Indulgentia ibi consequenda soliti sunt, nec non duobus diebus precedentibus, duobus sequentibus illam, in dicta civitate et eius comitatu, preter quam pro crimine lese maiestatis et homicidio aut debitis tunc inibi contractis, per quoscumque Gubernatores, Potestates, Barigellos et alios Officiales quoslibet, ad petitionem tam Camere predicte et pro illius debitis, quam alia occasione quacumque, sub pena excommunicationis ipso facto, si contrafecerint, incurrenda, personaliter capi aut modo quolibet in persona vel bonis inquietari seu molestari, illorumque bona arrestari seu sequestrari non possint, eadem auctoritate volumus, statuimus et ordinamus; alienationes, translationes, captiones, molestias et inquietationes, quas contra premissa fieri contigerit, cum omnibus illas concernentibus nullas et invalidas fore eadem auctoritate decernentes. Postremo omnia et singula privilegia, concessiones, gratias et indulta eidem universitati et hominibus usque in

hanc diem a Nobis vel aliis Pontificibus romanis predecessoribus nostris aut eorum legatis et ab eis potestatem habentibus concessa, nec non ipsius civitatis reformationes, ordinationes et statuta, prout hactenus servata sunt, et predictis ac libertati ecclesiastice non contradicant etc., supradicta auctoritate confirmamus, approbamus et presenti scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo etc.

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice 1463, idibus iunii, pontif. nostri anno quinto.

XIV, 32. — *Exemplum typis editum.*

455. *1509, 26 martii.*

Dilectis filiis prioribus et universitati terre nostre Offide

IULIUS PAPA II.

Dilecti filii, salutem *etc.*

Exponi nuper Nobis fecistis quod, licet vos de quibuscunque iniuriis et offensionibus quatuor et viginti annis superioribus tempore civilium factionum invicem illatis ac criminibus et exactionibus quibuscunque dicta occasione per vos et particulares personas vestras dicto tempore incursis pacem et concordiam, Spiritus sancti gratia preeunte, firmaveritis et a penis temporalibus generalem remissionem auctoritate nostra obtinueritis, nihilominus dubitatis aliquas excommunicationis seu interdicti premissorum occasione sententias incurrisse. Quare, ut pacis beneficio plene gaudere possitis, Nobis humiliter supplicari fecistis ut vos ab omnibus censuris ecclesiasticis tempore factionum et civilium bellorum et eorum occasione a iure vel ab homine illatis absolvere et alias vobis in premissis opportune consulere dignaremur.

Nos, animarum vestrarum saluti consulentes et vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vos et particulares personas istius oppidi a quibusvis excommunicationis, interdicti et aliarum censurarum apostolicarum penis, quas quomodolibet incurristis seu innodati existitis, etiam si talia forent propter que Sedes apostolica esset merito consulenda, absolvimus et liberamus et pro absolutis haberi volumus et mandamus. Et insuper, compatientes calamitatibus quas tanto tempore sustinuistis, tam vobis quam privatis personis istius oppidi dilationem ad annum a die presentium litterarum [... concedimus (1)] et impartimur, intra quod tempus tam ratione publicorum quam privatorum debitorum nec a Camera apostolica nec a quovis alio vos vel oppidani vestri, etiam pro privatis debitis, molestari a quoquam possitis; mandantes dilectis filiis provintie

(1) Lacuna, ut videtur, in exemplo.

nostre Marchie Anconitane rectoribus, thesaurario et aliis publicis et privatis personis ut durante dicto tempore vos et homines vestri oppidi in rebus vel personis non molestent nec ab aliis molestari faciant vel permittant. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI martii MDVIIII, pontif. nostri anno sexto.

Sigismundus.

XIV, 19. — *Exemplum non authenticum saec. XVI.*

457. *1525, 12 iulii.*

Clemens papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Officii nostri debitum exigit ut religioni deditis, in his que illorum et ministrorum suorum profectus et commoda respiciunt, apostolice firmitatis presidium impendamus et, ut a detrimentis releventur, eiusdem officii partes impartiamur.

Dudum siquidem fel. rec. Eugenius papa IV predecessor noster, ex certis tunc expressis causis, in parochiali ecclesia *S. Salvatoris de Unda* de Urbe, sita prope pontem Sixtum nuncupatum, quam nonnulli religiosi viri sub regula S. Pauli primi heremite degentes aliquandiu tenuerant et ex certis causis dimiserant, Ordinem dicti Sancti inibi supprimens et extinguens ac quascunque concessiones de illa eisdem religiosis viris per Sedem apostolicam factas revocans et annullans, ecclesiam ipsam cum illius domibus, turribus, hortis, hortaliciis illi contiguis ad ipsam ecclesiam legitime pertinentibus ac omnibus iuribus et pertinentiis suis quondam *Angelo de Perusio* (1), Ordinis fratrum Minorum et Theologie professori ac eiusdem Ordinis in romana Curia Procuratori, pro se et successoribus suis Procuratoribus dicti Ordinis Minorum in eadem Curia pro tempore existentibus per eos perpetuo tenendam, regendam et gubernandam, ita quod *Angelus* et successores prefati per se vel alium sacerdotem idoneum curam animarum parochianorum illius exercere ac sacramenta ecclesiastica inibi ministrare ac omnibus privilegiis et indultis dicto Ordini in genere concessis gaudere valerent, concessit et libere donavit. Et deinde pie memorie Sixtus etiam papa IV etiam predecessor noster, ex certis causis tunc expressis in alia voluit Procuratori dicti Ordinis Minorum, qui in eadem Curia pro tempore esset, duas cameras per eum eligendas in eisdem domibus pro receptione ipsius Procuratoris et socii ac familiarium suorum conservari ipsumque Procuratorem dicti Ordinis Minorum qui pro tempore esset, quotiens eum ad Urbem declinare contingeret, in eisdem cameris residere; quodque domus et eorum proventus huiusmodi usibus Procuratoris prefati et pro tempore existentis, quamdiu in romana Curia residentiam faceret, deservirent; alias, iuxta eiusdem Eugenii predecessoris concessionem et donationem predictas, ipso vero Procuratore in eadem Curia non residente, ad prefatum Ordinem Minorum libere pertinerent, prout in lit-

(1) De eo cf. AFH XI, 132ss.

teris recolende memorie Nicolai pape v similiter predecessoris nostri, dicti Eugenii immediate successoris, inde cum, ipsius Eugenii predecessoris eius superveniente obitu, littere super hoc confecte non fuissent, et dicti Sixti predecessoris inde confectis litteris plenius continetur [1].

Nos, dictorum predecessorum vestigiis inherentes ac concessionem Eugenii et voluntatem Sixti predecessorum huiusmodi stabiliri, ne infringi possint, dictique Procuratoris dispendiis obviare cupientes ac propterea concessionem et voluntatem predictas approbantes et innovantes, auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo statuimus et ordinamus ac districtius inhibemus, ne bona dicte ecclesie, cuiuscunque qualitatis existant, cuicunque persone, quacunque auctoritate, preeminentia, dignitate, honore seu excellentia fulgenti, quovis pretextu seu quesito colore, vendi, permutari aut alias quomodolibet alienari non possint absque consensu expresso [Procuratoris] dicti Ordinis pro tempore existentis, sed pro usu et habitatione decenti ipsius Procuratoris (qui venditioni, permutationi et alienationi de illis faciendis firmiter resistere nec ratione resistentie huiusmodi aliquibus censuris vel penis innodari possit) perpetuo existeret.

Ac quod idem Procurator, sicut in Capitulo generali eiusdem Ordinis Minorum, iuxta regularia illius instituta, instituitur seu institui debet, ita in eodem Capitulo, si prelatis et aliis ad quos pertinet in eodem Capitulo intervenientibus expediens visum fuerit, et non alias, deinceps destitui ac deponi debeat, per magistrum Generalem etiam si ad eius beneplacitum per suas litteras patentes alibi quam in Capitulo institutus fuerit.

Et sic per quoscunque tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentes iudices et personas ubique iudicari, cognosci atque decidi debeat, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, cognoscendi ac decidendi facultate et auctoritate; nec non irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. Mandantes nihilominus dilecto filio nostro Andree, tituli S. Prisce presbitero cardinali moderno et pro tempore existenti dicti Ordinis Protectori, quatenus statutum nostrum huiusmodi inviolabiliter observari faciat et bona ecclesie huiusmodi, directe vel indirecte, quovis titulo vendi, permutari aut alienari nullatenus permittat; ac decernentes quascunque venditiones permutationes et alienationes, quas de eisdem bonis contra statutum nostrum huiusmodi fieri, nec non si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, nullius fore roboris vel momenti.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti Ordinis sepe et sepius per Sedem apostolicam roboratis et confirmatis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis apostolicis eidem Ordini sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum

(1) Cf. AFH XI, 168s.; Alva, *Indiculus,* II, 74, n. 44.

quibusvis clausulis et decretis concessis et approbatis; quibus omnibus, etiam si de illis specialis et expressa mentio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum exprimerentur presentibus, pro sufficienter expressis habentes, quoad premissa specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XII iulii MDXXV, pontif. nostri anno secundo.

Evangelista.

XIV, 21. — *Exemplum non authenticum saec. XVII.*

459. *1526, 6 augusti.*

Clemens episc. *etc.* dilectis filiis Fratribus et in Christo filiabus Sororibus tertii Ordinis b. Francisci de Penitentia nuncupati, per Perusinam et Fulginatensem ac alias civitates, loca et castra Perusie et Umbrie provinciarum commorantibus, salutem *etc.*

Nuper pro parte vestra petitio continebat quod alias fel. rec. Sixtus papa quartus predecessor noster Communitatibus, Potestatibus et Officialibus secularibus locorum Italie, in qua vos esse dignoscimini, sub excommunicationis late sententie pena, ne Fratribus et Sororibus tertii Ordinis b. Francisci de Penitentia per Italiam constitutis gravamina aliqua libertati ecclesiastice contraria inferre, aut ipsos Fratres et Sorores quominus gauderent privilegiis et immunitatibus tam fori quam persone et rerum suarum, sicut aliis ecclesiasticis, quomodolibet impedire presumerent, apostolica auctoritate inhibuit; certis executoribus desuper deputatis (1). Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut per Sixtum aliosque predecessores nostros in premissis gesta vobisque concessa approbare et confirmare [dignaremur].

Nos itaque inhibitionem predictam ac alia per dictum Sixtum aliosque romanos Pontifices privilegia, indulta et immunitates, secularium exemptiones vobis concessa, cum omnibus et singulis in eis contentis auctoritate apostolica confirmamus.

Nulli ergo omnino *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Rome apud S. Petrum anno 1526, octavo idus augusti, pontif. nostri anno quinto.

XIV, 23. — *Summarium ms. saec. XVII.*

460. *1534, 25 iunii.*

Clemens episc. *etc.* dilectis filiis Ministro, Discretis, Diffinitoribus, Guardianis et universis aliis fratribus Ordinis Minorum provintie S. Antonii, secundum morem eiusdem Ordinis, salutem *etc.*

Cum a Nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur eff[ect]um (2).

---

(1) Alva, *Indiculus,* II, p. 63, n. 19; 71, n. 2.

(2) Exemplum XIV, 24a (A), ter per altitudinem plicatum, in media plica corrosum est cum textus iactura, quae iam exstabat cum secundum exem-

Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Iulio pape II predecessori nostro pro parte vestra exposito quod, licet alias in constitutionibus generalibus vestri Ordinis Minorum et privilegiis *domui S. Antonii de Padua* eorumdem Ordinis et Provintie per pie memorie [Pi]um II (1) et Sixtum IV (2) romanos Pontifices etiam predecessores nostros concessis et per eundem Iulium predecessorem approbatis et confirmatis, inter alia cautum (3) existeret quod Fratres Commissarii ipsius Ordinis non deputarentur nec fierent perpetui, sed ad causas et negotia pro tempore occurrentia dumtaxat, et illis similes commissiones eis facte expirasse censerentur (4), quodque Discreti dicte domus S. Antonii ex eorum cetu vel gremio duos in illius Guardianos Ministro provinciali dicte Provintie presentandos eligere, ipseque Minister quem vellet ex eisdem presentatis in illius Guardianum instituere, ac deputatio aliarum domorum et aliorum officialium dicte Provintie ad Ministrum et Diffinitores ipsius Ordinis capitulariter facienda pertinere deberet; nihilominus nonnulli Fratres eiusdem Ordinis a Sede apostolica aut Magistro generali ipsius Ordinis commissiones perpetuas impetrarunt ac se in Guardianum et officiales predictos, aliter quam in huiusmodi constitutionibus et privilegiis contineretur, constitui et deputari ambitiose procurarunt (5); et quod, si huiusmodi abusus non tollerentur, scandala propediem et quamplures discensiones et religionis perturbatio procul dubio succedere possent; prefatus Iulius predecessor, vestris in ea parte supplicationibus inclinatus, quascumque commissiones perpetuas et deputationes seu institutiones Guardianorum aut aliorum officialium, aliter quam in constitutionibus et privilegiis predictis continetur (6), eatenus et pro tempore factas per suas in forma Brevis litteras cassavit, revocavit et annullavit ac nullius roboris vel momenti existere, vosque ad illis parendum et obediendum minime teneri, nec propterea aliquas censuras ecclesiasticas aut penas incurrere debere decrevit; nec non (7) universis et singulis dicti Ordinis Fratribus aliter quam iuxta constitutionem et privilegia huiusmodi Commissariis et Guardianis vel aliis officialibus pro tempore constitutis seu deputatis, sub excommunicationis late sententie et offitiorum suorum privationis seu suspensionis penis, neque constitutionibus et deputationibus de eis factis huiusmodi in dicta Provintia uti presumerent districtius inhibuit, prout in eisdem litteris dicitur plenius contineri. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum ut revocationi, cassationi, annullationi, decreto et inhibi-

---

plum XIV 24b (B) inde exscriptum est. Sed in parte superiori spatium duarum vel trium litterarum in unaquaque linea tantum inhiat. Inter uncos [ ] inseruntur litterae quae in A desunt neque B supplevit. Transcriptio A, quam fideliter B sequitur, pluribus erroribus manifeste scatet, quos corrigere fas non semper fuit. (1) A *XI;* B haec duo ultima verba omisit, spatio vacuo relicto; quod saepius infra fecit.

(2) Alva, *Indiculus*, II, 44, n. 1; Gonzati, *La Basilica di S. Antonio di Padova*, I, Padova 1852, p. xxv ss. (3) A et B *cautius*. (4) Sic.

(5) A et B *procurarent*. (6) A et B *caveretur*. (7) A et B om. *non*.

tioni huiusmodi pro illorum subsistentia firmiori robur nostre approbationis adiicere aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, vestris in hac parte votis favorabiliter annuere volentes, revocationem, cassationem, annullationem, decretum et inhibitionem predictas, prout illas concernunt, omnia et singula in eisdem litteris contenta et inde secuta quecumque, auctoritate apostolica, tenore presentium approbamus et innovamus et perpetue firmitatis robur obtinere decernimus, supplentes omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus pro potiori cautela, auctoritate et tenore predictis perpetuo statuimus et ordinamus quod de cetero in Provintia et domo predictis Minister, Diffinitores, Guardiani et alii offitiales, iuxta constitutiones et deputationes de personis quorumcumque aliter pro tempore factas, nulle et irrite existant; mandantes venerabilibus fratribus nostris Vigorien. et Pisaurien. episcopis ac dilecto filio vicario ven. fratris nostri episcopi Paduani in spiritualibus generali, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, vobis in pr[emiss]is efficacis defensionis presidio assistentes, faciant predictas et presentes litteras et in eis contenta quecumque firmiter observari, vosque illis pacifice gaudere, non permittentes vos desuper per Fratres Ordinis huiusmodi aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari, impediri et perturbari, contradictores per censuras ecclesiasticas, [appel]latione postposita, compescendo, ac censuras ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstantibus [premissis] ac recolende mem. Bonifatii VIII etiam precessoris nostri de u[na] et Concilii generalis de duabus dietis, ac aliis apostolicis constitutionibus [et ordinationi]bus, nec non dicti Ordinis, iuramento, confirmatione apostolica, clausulis et decretis etiam iteratis vicibus concessis et approbatis; quibus omnibus et singulis (1), etiam si de illis illorumque totis tenoribus specialis, expressa et individua mentio habenda foret, tenores huiusmodi pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si Fratribus predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis, innovationis, decreti, suppletionis, statuti, ordinationis, mandati et derogationis infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice MDXXXIIII, VII kalendas iulii, pontif. nosti anno decimo.

XIV, 24a. — *Exemplum non authenticum saec. XVI.* = XIV, 24b. — *Exemplum non authenticum saec. XVII, e priore iam lacerato et cum eisdem lacunis et mendis exscriptum.*

---

(1) A et B om. *et singulis.*

461. *1550-1555.*

IULIUS PAPA III.

Motu proprio etc.

Cum, sicut accepimus, Franciscus quondam Galeatii de Ubaldis de civitate nostra Perusie, sicut Domino placuit, mortuus fuerit, superstitibus sibi filiabus feminis nonnullis, et altera earum Portia nomine fere nubilis etatis existat, certis de causis animum nostrum moventibus et ob grata Nobis ab eodem Galeacio impensa servitia, eamdem Portiam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eidem Portie et eius heredibus et successoribus loco dotis seu dotis augumenti eiusdem Portie scuta mille auri de residuo compositionis facte per Galeottum de Nepis de civitate nostra Assisii cum Camera apostolica ex (1) quibusdam per eum commissis delictis, donamus et elargimur eidem Portie in dotem seu eius augumentum constituimus et assignamus; mandantes ad effectum presentium Guidoni Ascanio Sfortie S. Marie in Via Lata diacono cardinali de S.ᵗ Flora nuncupato, S. R. E. camerario et thesaurario nostro generali, presidentique et clericis Camere apostolice omnibusque aliis et singulis ad quos spectat et spectabit in futurum, ut dicta scuta mille auri eidem Portie et pro ea Baldo de Ubaldis patruo eiusdem et alteri cuicumque pro dicta Portia legitime recipienti dent, solvant, satisfaciant et actualiter numerent; decernentes irritum alias et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Legibus communibus et municipalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis (quorum omnium obstantium tenores, ac si de verbo ad verbum essent inserti (2), haberi volumus pro expressis) non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem quod presentis nostri Motus proprii, etiam non datati neque registrati, sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat in iuditio et extra illud et tam in romana Curia quam extra eam, et quod eiusdem transumptis manu publici notarii factis eadem prorsus fides in iudicio et extra et in romana Curia et extra et ubique adhibeatur, que presenti originali adhiberetur si foret exhibitum vel ostensum.

Regulis nostris in contrarium editis omnibusque aliis in contrarium facientibus, que pro expressis haberi volumus, non obstantibus quibuscumque.

PLACET MOTU PROPRIO I(OANNES).

XIV, 25. — *Exemplum non authenticum saec. XVI.*

---

(1) Exemplum *et*.
(2) Exemplum *inserta*.

462. *1559, 20 maii.*

Paulus papa IV, dilectis filiis nostro etc. et apost. Sedis in provincia nostra Umbrie legato, et eius vicelegato seu eiusdem provincie et civitatis nostre Assisinaten. gubernatori et pretori ac quibusvis aliis tam sancte romane Ecclesie quam dicte civitatis officialibus et ministris quocumque nomine nuncupatis et quacumque auctoritate fungentibus salutem *etc.*

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii priores et communitas civitatis nostre Assisinaten., quod licet iam tanto tempore, quod eius initii memoria hominum non habetur, Capitanei custodie nundinarum in ipsa civitate et extra eam ex prima die mensis augusti in antea singulis annis fieri solitarum, qui per eos ex concivibus suis deputari solent, consueverint, tempore nundinarum huiusmodi durante, delinquentes inibi castigare et etiam usque ad mortem inclusive punire, ac penas pecunias ex premissis provenientes exigere et in custodiam earundem nundinarum et alios, de quibus eis videbitur, usus exponere seu alias de eis disponere et in pacifica possessione vel quasi, premissa omnia faciendi existant, nec pro tempore existens gubernator aut pretor eiusdem civitatis se in premissis intromittere soliti sint; nihilominus ipsi pro abundantiori cautela cupiunt per Nos precipi et mandari ne capitanei predicti super premissis ab aliquibus molestentur, et propterea Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eorum votis annuere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui subditorum nostrorum, presertim fide et devotione erga Nos et Sedem apostolicam conspicuorum, iurium conservationi libenter intendimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis et cuilibet vestrum in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus priores et communitatem et capitaneos predictos super premissis, contra immemorabilem consuetudinem hactenus inviolabiliter observatam, nullatenus molestetis aut impediatis seu quomodolibet perturbetis, nec molestari, impediri vel perturbari faciatis.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XX maii MDLIX, pontif. nostri anno quarto.

Io. Barengus.

XIV, 32, f. 7. — *Exemplum typis editum.*

464. *1577, 5 iulii.*

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecti filii, salutem *etc.*

Desiderantes cunctorum Christi fidelium animarum salutem, ea libenter concedimus per que ipsi Christi fideles eorum conscientie pacem per sacramentum Confessionis, Deo propitio, consequi valeant.

Cum itaque, sicut accepimus, magnus populi concursus in die festo quod in *ecclesia b. Marie Angelorum* prope et extra muros Assisienses singulo quoque anno kalendis augusti celebratur, devotionis causa confluant, ad hoc ut ibidem convenientes indulgentiarum et peccatorum remissionum, que dictam ecclesiam visitantibus concesse sunt, participes fiant, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis quotannis dicto die festo ac quinque aut sex diebus eumdem diem immediate precedentibus, quatuor dicte domus Fratres eiusdem Ordinis professores ad audiendas eorundem fidelium confessiones a loci Ordinario prius approbatos et idoneos, qui Christi fideles ad dictam ecclesiam eodem die kalendis augusti vel aliis diebus eumdem diem immediate precedentibus accedentes et peccata eorum contrito corde confitentes, eorumdem confessionibus diligenter auditis, ab omnibus et singulis per eos commissis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi apostolice et locorum Ordinariis reservatis, non tamen in litteris in die Cene Domini legi solitis contentis, absolvere ac vota quecumque, religionis et castitatis dumtaxat exceptis, in alia opera commutare valeant, deputandi licentiam et facultatem apostolica auctoritate, tenore presentium, concedimus.

Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die V iulii MCLXXVII, pontif. nostri anno sexto.

XIV, 51, f. 1r. — *Exemplum non authenticum saec. XVII.*

466. *1583, 31 ianuarii.*

Gregorius episc. *etc.* universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Catholice religionis conservationem salutifere Crucis sacramento fundate, pacisque unde christiana pietas sumit incrementum, inter Principes et populos Iesu Christi Domini nostri sanguine redemptos conciliationem, vigilantibus undique studiis curare inviolatasque assidua (quantum in Nobis est) protectione custodire contendimus: sed ipsius pacis et religionis inimicus fidei puritatem fedare dissensionesque alias apertas, alias occultiores in commissum Nobis gregem dispergere quotidie magis conatur: cuius Nos pro officii nostri munere fraudulentis artibus excitatisque alicubi in populo christiano turbulentiis mederi ac damnande perversitatis et controversiarum mala, que animarum perditio atque innumere populorum calamitates consequuntur, summovere, necnon religionis ubique cultum et tranquillitatis studium augere cupientes, ad pacificum Regem et omnis pietatis Auctorem in primis confugimus, ad quem etiam Christi fideles invitandos duximus, ut et ipsi Nobiscum sese ad eum toto corde convertant eumque humili devotione precentur, ut Nobis ecclesiastici status et religionis orthodoxe incolumitatem in tranquillitatis solatio benigne largiatur, sperantes fore, ut quod paucorum servorum votis hucusque non indulsit, universe familie sue orationibus, ieiuniis atque eleemosynis concedat.

Quare ex parte omnipotentis Dei omnes utriusque sexus Christi fideles tam in alma Urbe nostra, quam in ceteris christiani orbis partibus, quo maiore possumus charitatis affectis requirimus, ut in Urbe, videlicet, prima vel secunda hebdomada post proximam Dominicam Septuagesime; extra Urbem vero ea hebdomada que post presentium notitiam protinus consequetur vel altera statim subsequente, ad Dominum humili et contrito corde sese convertant et in utravis predictarum hebdomadarum conscientias sui diligenti examine discutientes peccata sua sacerdoti idoneo ab Ordinario approbato confiteantur, ac quarta et sexta feriis, necnon die sabbati ieiunent, orationes devote habeant et eleemosynas, qui illas dare potuerint, Christi pauperibus [iuxta] (1) cuiusque devotionem erogent. Demum proximo die Dominico vere penitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum omni reverentia suscipiant et pro christiane reipublice tranquillitate et fidei catholice tutela, proque pace et concordia inter principes et populos christianos conservanda humiles et devotas preces effundant. Nos enim eius misericordia, beatorumque Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate Ecclesie thesauros, quorum dispensatores sumus, copiose et benigne aperientes, omnibus qui predicta adimpleverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem ac eandem, que Christi fidelibus anno Iubilei predicte Urbis et extra eam ecclesias ad id deputatas statutis diebus devote visitantibus concedi solet, misericorditer in Domino elargimur. Quin etiam eos qui morbo vel alio impedimento detenti premissa adimplere nequiverint, si alia pia opera fecerint, in que arbitrio suorum confessariorum, quibus super hoc facultatem tribuimus, fuerint commutata, ac etiam eos qui in itinere erunt, si cum primum iter perfecerint, eadem premissa exequi studuerint, indulgentie et doni ac aliorum predictorum participes fieri volumus.

Sed ut ipsi Christi fideles tam seculares quam regulares ad hec omnia magis idonei efficiantur, concedimus ut possint hac vice tantum idoneos presbyteros seculares vel etiam cuiusvis Ordinis regulares, ut prefertur, approbatos eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis licite valeant ipsos a quibusvis peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumcunque gravibus et enormibus, etiam in casibus Sedi apostolice reservatis, ac etiam contentis in litteris die Cene Domini quotannis legi solitis, nec non a sententiis, censuris et penis ecclesiasticis per eos quomodolibet incursis, iniuncta inde eis pro culpe modo penitentia salutari, in foro conscientie tantum, quacumque prohibitione sublata, sine tamen alicuius preiudicio, absolvere ac vota quecumque ab eis emissa, castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare.

Quia vero assidua plurimorum oratio Domino gratissima est, volumus ut in omnibus ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, collegiatis et conventualibus secularibus et regularibus earum

(1) Charta in margine corrosa.

presbyteri, beneficiati et clerici litanias cum adiunctis, aliisve pro regionum more precibus ad altare maius ante vel post Missarum solemnia hisce durantibus periculis et motibus devote et attente psallant. Et preterea diebus Dominicis et aliis Ecclesie precepto feriatis, ultra ipsas litanias, etiam processiones circum easdem ecclesias vel earum ambitum et claustra faciant; alie vero persone ecclesiastice tam seculares quam regulares in suis si quas habent et in eis resident ecclesiis aut, si nullas habent vel in eis quas habent non resident, in aliis ecclesiis vel certe in suis domibus easdem litanias et preces debeant recitare.

Ut autem predicta omnia ad omnium notitiam possint facilius pervenire, precipimus universis et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et locorom Ordinariis ubilibet constitutis, ut statim cum presentes seu earum transumptum authenticum et impressum ad eos deferri contigerit, per suas quisque provincias, civitates et dioceses sine ulla fraude et lucro, etiam in ecclesiis dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, per se vel alium seu alios solemniter publicent et per ecclesiarum rectores publicari faciant, ut ad Christi fidelium notitiam quantocius deducantur.

Ceterum, cum presentes ad omnia loca, quibus illis opus esset, perferri non possint, decernimus ut illarum huiusmodi transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis eadem prorsus fides adhibeatur, que eisdem originalibus adhiberetur si essent exhibite vel ostense.

Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, pridie kalendas februarii, pontif. nostri anno undecimo.

M. Datarius Cae. Glorierius. — A. de Alexiis.

XIV, 27. — *Exemplum typis editum.*

468. *1585, 19 novembris.*

SIXTUS PAPA V.

Assisien. (1).

Motu proprio etc....

Cum... beatus Franciscus, a quo Ordo fratrum Minorum institutus fuit, quique inter ceteros in numerum Sanctorum cooptatos signis et miraculis maxime claruit, ita vixerit ut pene omnes ad sui devotionem et imitationem pertraxerit multique ex fidelibus Christi cordam « similem ei » qua ipse dum in hoc seculo versaretur cinctus erat hodie deferant, quin etiam plures eius laudabile Institutum amplexi et sub suavi iugo religionis ab eo institute, diversisque sancte romane catholice

(1) Verba *cursivo charactere* expressa vel desunt vel diversa sunt in Bulla definitiva, de qua vide sub nostri elenchi nr. 341. Verba inter uncos « » posita ad calcem postea addita fuerunt cum notis ad reclamandum in textu; inter quae largiore intermisso spatio disposita diversa manu sunt scripta. Puncta... indicant aliquid postea additum in Bulla definitiva.

Ecclesie prelatis etiam cardinalatus honore fulgentibus *ac* postea *etiam* ad summi Apostolatus apicem evectis illustrate, militantes tantumque virum imitati in numerum eorundem Sanctorum relati fuerint; Nos qui etiam a teneris annis singularem devotionis affectum erga ipsum sanctum Franciscum, cuius corpus sub altari maiori ecclesie domus fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum Assisien., que inibi insignis maximeque celebris et diversis privilegiis decorata existit, requiescit, sub habitu dicti Ordinis sui incedentes gessimus, cupientes domum *ipsam* et ecclesiam amplius decorari pietatisque et christiane charitatis opera ubique cum divini cultus *incremento* ac ad eiusdem sancti Francisci honorem et venerationem animarumque salutem exerceri, fidelesque ipsos ad faciendum ea per que ad eternam beatitudinem valeant facilius pervenire mediis opportunis excitare (1)... motu *simili etc.*... in ecclesia *dicte* domus et ad *prefatum* altare *maius ipsius* unam archiconfraternitatem Christi fidelium utriusque sexus « qui cordam per eiusdem Ordinis Fratres geri solitam ex illorum devotione (2) deferant ac illa cingantur » sub invocatione eiusdem sancti Francisci, tenore presentium, auctoritate apostolica perpetuo erigimus et instituimus.

Ut autem ipsa archiconfraternitas confratrum Cordigerorum prefate corde numero in dies magis ampliata decoretur ipsique confratres ad piorum operum exercitium propensiores reddantur ac ad ecclesiam et altare *maius predictum* devotionis causa confluant quo per hoc se maiora celestis gratie dona cognoverint adipisci... omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus qui vere penitentes et confessi ac prefatam cordam, que prius a Superioribus dicti Ordinis benedici debeat, *ad* reverentiam et memoriam eiusdem sancti Francisci gerentes sacraque Communione refecti prefatam archiconfraternitatem « ingredientur, die prima illorum » ingressus ac (3) in mortis ipsorum articulo nomen Iesu ore vel corde invocantibus, « si etiam vere penitentes et confessi fuerint », indulgentiam plenariam et omnium peccatorum remissionem; ... insuper eidem archiconfraternitati illiusque confratribus omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones et relaxationes archiconfraternitati Confalonis beate virginis Marie in ecclesia S. Lucie de Urbe (4) institute *dictoque* Ordini ac illius Fratribus (5) et personis quandocunque et per quoscumque romanos Pontifices predecessores nostros ac etiam Nos concessas, « quoad illas tantum que hactenus revocate non fuerunt »... perpetuo *per presentes* concedimus et elargimur ac communicamus.

Postremo dilecto filio fratri Clementi Bontadosio nunc et pro tempore existenti dicti Ordinis generali Magistro (6) « Ordinis fra-

(1) Sequebatur, postea oblitteratum, *volentes.* (2) Sequitur verbum item oblitteratum, quod legi non potest. (3) Sic correctum ex *ingressi* (*in*).

(4) Sic correctum ex *archiconfraternitati Conceptionis b. virginis Marie in ecclesia S. Laurentii in Damaso de Urbe.* (5) Antea *confratribus.*

(6) Sequebatur *seu* [...?] *dilecto filio Hieronymo Urbani nunc et etiam pro empore existenti Procuratori generali istius* (?) *prefati Ordinis.*

trum Minorum Conventualium nuncupatorum», quascunque confraternitates Christi fidelium *eorundem* utriusque sexus Cordigerorum huiusmodi in quibuscumque ecclesiis domorum tam Minorum Conventualium quam Capucinorum et de Observantia nuncupatorum Fratrum *prefatorum* in quibuscumque mundi partibus et locis pro tempore erigendis et instituendis «erig*ere* et institu*ere* illasque» postquam erecte et institute fuerint prefate archiconfraternitati per presentes erecte... cum omnibus et singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus et relaxationibus, aggregandi *et* ipsas indulgentias illis et earum confratribus communicandi pariterque concedendi plenam, liberam et omnimodam facultatem et auctoritatem damus et concedimus, prout Nos easdem omnes confraternitates, *et* nunc prout... postquam erecte... fuerint, ipsi archiconfraternitati per presentes... aggregamus, prefatasque indulgentias illis et earum confratribus communicamus et concedimus, decer[nentes] (1) presentes *et desuper conficiendas* litteras nullo unquam tempore de surreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis *nostre* seu qu[opiam] alio defectu notari, impugnari vel retractari aut revocari ullatenus posse neque debere, sed semper et in perpetuum validas et efficaces ex[istere] suosque plenarios effectus sortiri (2) «debere».

Non obstantibus prem[issis ac] regula nostra de indulgentiis ad instar non concedendis *et* aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque *[et cum] clausulis opportunis...*

(3) *Fiat motu proprio F(elix).*

Et cum absolutione a censuris ad effectum etc. et de erectione, institutione, indulgentia plenaria singulis concessionibus, communicationibus, decreto, licentia etc. aliisque premissis, que hic pro sufficienter repetitis ad partem habeantur, in forma gratiosa perpetuo et ad perpetuam rei memoriam latissime in litteris extendendis, et quod premissorum omnium et singulorum etiam deno[m]i[n]at. (?) *...ariorum qualit. nuncupat. innovat. indulgentiarum ad instar concessarum et communicatarum prefatarum aliorumque maior et verior spe(cul)o* (?) *et ex(empl)o* (?) *s[c]ribi possit in litteris* (4) *expediendis.*

Fiat F(elix).

Datum (5) Rome apud S. Petrum, tertiodecimo kal. decembris, anno primo.

XIV, 29. — *Minuta originalis.*

---

(1) Charta in margine corrosa.

(2) Sequebatur *ac ab omnibus ubivis gentium et locorum inviolabiliter observari et irritum etc.* (3) Hic et infra authographum summi Pontificis.

(4) Sequuntur tria verba, ut alia supra oblitterata, quae legi certe nequeunt.

(5) Tertia manus, illius, ut videtur, qui immediate subscripsit *R^al^ I. Riccius pro R^mo^ d. Vic.*

469. *1586, 30 octobris.*

Fr. Evangelista Pelleus de Fortio, artium et s. Theologiae doctor, totius Ordinis Minorum Conventualium Vicarius generalis apostolicus (1), *dilectis nobis in Christo universis et singulis confratribus societatis Cordigerorum in ecclesia domus fratrum S. Francisci de Castro Bononiensi, iurisdictionis Bononiae, legitime institutae pacem in Domino sempiternam.*

Sincerae devotionis affectus quo seraphicum patrem nostrum b. Franciscum sacris stigmatibus et fune Passionis Redemptoris D. n. Iesu Christi, Dei consilio ac privilegio insignitum quasi praecipuum apud Altissimum pro nobis intercessorem et conciliatorem prosequimini ac singularia charitatis officia quae plene Spiritu sancto ad merita altiora vos evehunt, nec non mira pietatis indicia quae congratulantibus nobis (2) *ex vestris piis precibus porriguntur, merito nos inducunt ut gratias spirituales archiconfraternitati Cordam ad imitationem e[iusdem]* (3) *b. Francisci gerentium Cordigerorum nuncupatorum, in ecclesia domus [fratrum] S. Francisci civ. Assisii et ad altare eiusdem Sancti, sub quo illius corpus requiescit, rite institutae, ex maxima ss. d. n. Xixti papae quinti benignitate ac eius praecipua in eundem Sanctum devotione, prout in infrascriptis litteris ipsemet testatur, concessas, vobis et vestrae societati cingulo ipsius b. Francisci in memoriam Passionis D. n. Iesu Christi ad ipsius Sancti imitationem alligari summopere peroptantibus, gratiose et liberaliter impertiamur et communicemus, quo libentius huiusmodi funiculo cingi et in bonis aliisque piis operibus perseverare et progredi valeatis.*

Nuper siquidem ab eodem ss. d. n. Papa emanarunt litterae tenoris subsequentis:

Xystus episc. *etc.* Divinae charitatis *etc.* anno secundo.

Hinc est quod Nos huiusmodi vestro pio desiderio annuere volentes ac cupientes quod vestra erga Sanctum devotio magis magisque augeatur, auctoritate nobis tamquam Vicario generali apostolico per praeinsertas litteras demandata, ad omnipotentis Dei eiusque gloriosissimae genitricis virginis Mariae ac ipsius b. Francisci totiusque Curiae caelestis laudem, gloriam et honorem, societatem vestram omnesque et singulos illius nunc et pro tempore existentes confratres tenore praesentium eidem archiconfraternitati perpetuo aggregamus et associamus, illamque et eius confratres sub protectione dictae archiconfraternitatis et in eius gremium recipimus et admittimus, vobisque et vestrae societatis nunc et pro tempore existentibus confratribus omnes et singulas indulgentias et gratias ac spiritualia dona quae ei solent copiosius redundare, quo largius in proximorum subsidia diffunduntur, in praeinsertis litteris dictae archicon-

(1) Vicarius gen. creatus 5 iulii 1586; Minister gen. electus 17 maii 1587: Benoffi, *Compendio* cit., p. 273 ss.

(2) Exemplum *vobis*. (3) Corrosiones in margine laterali.

fraternitatis Chordigerorum, ut praefertur, concessas gratiose et libenter per praesentes communicamus; ita quod omnes et singuli vestrae confraternitatis confratres, in praefatis litteris contenta devote peragentes, easdem indulgentias, remissiones et peccatorum relaxationes consequantur, quas consequerentur et consequi possent si de gremio archiconfraternitatis huiusmodi essent.

Quocirca vos et vestrum singulos ac pro tempore existentes dictae vestrae confraternitatis confratres maiori quo possumus animi nostri studio monemus et paterne hortamur ac sincere in Domino requirimus, quatenus ad ipsius Sancti [honorem et devotionem] chordam nostro exemplo deferentes, confessionis et [...] sacramenta frequenter suscipere, processiones p[ublicas...] pro tempore faciendas et sanctissimum Eucharistiae s[acramentum dum infirmis] defertur ac corpora defunctorum ecclesiasticae s[epulturae associare...] officium b. Mariae virginis recitare, illiusque [...] officiorum celebrationi interesse, ac miserabilibus personis s[ubvenire], pacem inter inimicos componere, aliaque charitatis et pietatis [opera] facere sedulo curetis et in illis vos exerceatis, ut per hui[usmodi] operum exercitium Unigenitus Dei Filius, intercedente eodem b. Francisco, vobis et vestrae societatis singulis confratribus donet t[...] bene vivendi, constantiam perseverandi et in hora transitus vestri et cuiuslibet confratrum praedictorum sic tueatur et protegat, ut, capite serpentis obtrito, ad aeternae vitae haereditatem valeatis feliciter pervenire.

In quorum omnia et singulorum fidem praesentes litteras manu nostra signatas per infrascriptum notarium per nos ad hoc specialiter deputatum subscriptas ac sigilli nostri Vicariatus officii appensione muniri fecimus.

Datum Romae in conventu nostro SS. Apostolorum, anno a nativitate D. [158]6, die vero 30 octobris, pontif. praefati ss. d. nostri Papae anno secundo.

Fr. Evangelista Vicarius generalis apostolicus.

Franciscus Bonetus Iullurien. (1), *in archivio romanae Curiae descriptus subscripsit deputatus.*

XIV, 30. — *Exemplum authenticum saec. XVII.*

272. *1605, 3 iunii.*

Dilecto filio magistro *Iosepho Piscullio* Melphiensi, totius Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Ministro generali,

PAULUS PAPA V.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Cum in Capitulo generali Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, quod in civ. Assisien. in domo eiusdem Ordinis novissime celebratum fuit (2), tu in Ministrum generalem eiusdem Ordinis de novo electus fueris (3); Nos sperantes electionem de persona tua, ob tuam

---

(1) Sic. (2) Die 29 maii. (3) Primo electus fuerat anno 1602.

fidem, prudentiam, integritatem, doctrinam et religionis zelum, eidem Ordini plurimum profuturam, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac deliberatione nostra, te eiusdem Ordinis Ministrum generalem cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritate, iurisdictione, privilegiis, indultis, quibus alii Ministri generales eiusdem Ordinis uti, frui et gaudere solent et possunt, auctoritate apostolica tenore praesentium ad triennium confirmamus et approbamus, ac omnes et quoscumque defectus, etiam substantiales, tum iuris tum facti, si qui in tua huiusmodi nova electione intervenerint, de apostolicae potestatis plenitudine supplemus et, quatenus opus sit, te eiusdem Ordinis Ministrum generalem ad triennium praefatum constituimus et deputamus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini illiusque Superioribus et personis sub quibuscunque tenoribus et formis, etiam motu simili et consistorialiter concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die III iunii MDCV, pontif. nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

XIV, 34. — *Exemplum non authenticum saec. XVII.*

474. *1616, 13 iunii.*

Dilecto filio *Bartholomeo de Assisio,* Ordinis fratrum Minorum Conventualium S. Francisci professori,

PAULUS PAPA V.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Religionis zelus, vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt ut ea tibi libenter concedamus quae tuis commendationibus fore conspicimus opportuna.

Tuo siquidem nomine nuper Nobis expositum fuit quod tu, qui, ut asseris, munere Provincialis S. Francisci et Traciae provinciarum tui Ordinis functus fuisti et officium Secretarii totius Ordinis abhinc duodecim annis exercuisti et ad praesens exerces [1], fructus patrimonii

---

[1] « 1607(-1609). Mag. fr. Bartholomaeus Tartalia de Assisio [Min. prov. Umbriae]. Fuit Assistens generalis et a Secretis Ordinis, inde Custos sacri Conventus [Assisii] anno 1626 ». Bartolomasi, *Series* cit., p. 34.

olim tui et eleemosynarum tibi a Christi fidelibus erogatarum, qui in totam summam quinquaginta scutorum monetae circiter annuatim, etiam ut asseris, non excedunt, percipere in tuosque religiosos usus et necessitates tuta conscientia convertere posse summopere desideras.

Nos te, praemissorum meritorum tuorum intuitu specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi ut, vita tua durante, fructus praedictos, ita tamen ut eorum proprietas domui fratrum dicti Ordinis Assisien. incorporetur tuque fructus huiusmodi de manibus administratorum bonorum et reddituum eiusdem domus recipias, percipere, exigere et levare ac in tuos religiosos usus et necessitates convertere libere et licite, absque ullo conscientiae tuae scrupulo, dummodo tamen pecunias huiusmodi nonnisi pro tuis religiosis necessitatibus et, quantum et quatenus opus erit, in easdem necessitates convertas, et quandocumque a tuis Superioribus requisitus fueris, rationem administrationis pecuniarum huiusmodi reddere tenearis, si quid vero supererit id omne in beneficium supradictae domus Assisien. cedat et impendi debeat, apostolica auctoritate, tenore praesentium licentiam concedimus et impartimur.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Ordinis praedicti, etiam iuramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XIII iunii MDCXVI, pontif. nostri anno duodecimo.

XIV, 36. — *Exemplum non authenticum saec. XVII.*

475. *1622, 22 decembris.*

Gregorius papa XV, ad futuram rei memoriam.

Christi fidelium quorumlibet, praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium et sacrae Theologiae studio operam navantium, vota, per quae laborum suorum praemia facilius consequi valeant, ad exauditionis gratiam libenter admittimus.

Hinc est quod Nos, volentes dilectos filios baccalaureos Collegii studii domus regularis S. Francisci Assisien. Ordinis fratrum Minorum eiusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum, favore prosequi gratiae specialis et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem baccalaureis ut pro hac vice dumtaxat privilegiis Collegio S. Bonaventurae per fel. rec. Sixtum papam V praedecessorem nostrum in domo regulari SS. XII Apostolorum de Urbe eiusdem Ordinis erecto et instituto, illiusque baccalaureis seu collegialibus concessis, ad hoc nimirum ut post emensum praesens triennale in s. Theologiae studio curriculum ad magisterii in eadem sacra Theologia gradum, servatis alias servandis, promoveri pos-

sint, uti, frui et gaudere libere et licite valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et, quatenus opus sit, dicti Ordinis ac utriusque Collegii huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et invocatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCXXII, pontif. nostri anno secundo.

S. card. S. Susannae.

XIV, 37. — *Exemplum non authenticum saec. XVII.*

477. *1625, 5 iulii.*

Dilecto filio nobili viro Vincentio Conzagae principi Mantuae

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Eximia tua pietas et devotio promerentur ut votis tuis, eis praesertim quae ex devotionis fervore prodire noscuntur, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuamus.

Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu ecclesiam b. Mariae Angelorum nuncupatam Assisien. in proximo futuro illius festo, iuxta votum per te emissum, benedicente Domino, visitare intendas, ob maximos autem calores et ob adversam valetudinem qua perculsus fuisti, id in ipso festi die exequi posse non speres; Nos ad ea quae ad tuae devotionis augumentum corporisque salutem faciunt favorabiliter intendentes, tibi ac aliis utriusque sexus Christi fidelibus te associantibus, quod praefatam ecclesiam intra tres dies ante vel post eius festum proxime futurum huiusmodi immediate antecedentes vel subsequentes visitando, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequamini, tuque voto per te emisso huiusmodi satisfacias, quas consequeremini ac prout voto huiusmodi satisfecisses si eandem ecclesiam ipso eius festo visitaretis ut res postulat [1] visitasses, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die V iulii MDCXXV, pontif. nostri anno secundo.

V. Theatinus.

XIV, 39. — *Exemplum non authenticum saec. XVII.*

---

[1] Sic legendum videtur, sed tria ultima verba probabiliter corrupta sunt: *ac reapse?*

478. *1625, 1 octobris.*

Dilecto filio nobili viro Vincentio Gonzagae

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Piis ac devotis supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, specialem tibi gratiam facere volentes teque a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, tibi ut, de ven. fratris episcopi Assisien. licentia, nonnullas S. Francisci, quae in ecclesia seu domo regulari fratrum Ordinis Minorum de Observantia nuncupatorum ac loco *Carceris* eiusdem *S. Francisci* nuncupato, nec non aliorum Sanctorum et Sanctarum sacrarum reliquiarum particulas dumtaxat, ac etiam modicam particulam, longe minorem eius quae remanebit, sanguinis S. Francisci, quae in ecclesia monasterii Monialium S. Clarae seu alterius Ordinis respective, ut asseritur, asservantur, tibi sponte et libere concedendi ex ecclesiis vel domo regulari seu monasterio huiusmodi, dummodo tamen de insignioribus aut muro clausae non sint, de inibi Praesidentis et Superioris consensu recipiendi et extrahendi illasque apud te reverenter retinendi, seu aliis ecclesiis, monasteriis et locis piis tibi benevisis, in iis debito honore et reverentia collocandas et observandas, donare et elargiri libere et licite possis et valeas, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis prohibitionibus desuper per quoscumque romanos Pontifices praedecessores nostros factis, ac monasterii et domus regularis huiusmodi illorumque Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die prima octobris MDCXXV, pontif. nostri anno tertio.

V. Theatin.

XIV, 40. — *Exemplum non authenticum saec. XVII.*

479. *1627, 8 septembris.*

Urbanus papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, dilecti filii Guardianus et Fratres domus S. Francisci Assisien. Ordinis Minorum eiusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum capitulariter congregati unanimi consensu dilectum filium nostrum Franciscum S. Agathae diaconum cardinalem Barberinum nuncupatum, nostrum secundum carnem ex fratre germano nepotem, in eiusdem domus Protectorem elegerint, eidemque Francisco cardinali ac universae familiae nostrae de Barberinis dominium altaris eiusdem S. Francisci perpetuo concesserint et donaverint, prout in publicis desuper confectis scripturis plenius dicitur contineri;

Nos electionem ac concessionem et donationem praefatas ratas et gratas habentes utque firmae perpetuo (?) remaneant, quantum cum Domino possumus, provideri volentes, motu proprio et ex certa scientia ac mera deliberatione nostris electionem de persona dicti Francisci cardinalis in praefatae domus Protectorem, nec non concessionem et donationem dicti altaris huiusmodi per Guardianum et Fratres praefatos, ut praefertur, factas ac desuper confectas scripturas huiusmodi, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicientes, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et quosvis alios et quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; decernentes electionem ac concessionem et donationem praefatas nec non praesentes litteras validas, firmas et efficaces perpetuo existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtineri, ac omnibus, quos illa concernunt et concernent quomodolibet in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos et causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac, quantum opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die VIII septembris MDCXXVII, pontif. nostri anno quinto.

M. A. Maraldus.

XIV, 41. — *Exemplum non authenticum saec. XVIII.*

480. *1628, 16 et 21 septembris.*

Urbanus papa VIII dilecto filio *Felici Franceschino a Cassia*, Ordinis fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum Ministro generali (1), salutem *etc.*

Nuper a Nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: « Urbanus papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. Militantis Ecclesiae *etc.* Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XV maii MDCXXVIII, pontif. nostri anno quinto » (2).

(1) Vicarius generalis an. 1624; Minister gen. an. 1625-1632: Benoffi, *Compendio* cit., p. 287 ss.

(2) Breve approbationis Constitutionum Urbanarum, quod in principio earum editionum semper habetur.

Cum autem, sicut accepimus, Constitutiones huiusmodi de mandato nostro examinatae, emendatae, correctae et revisae ac per Nos approbatae et confirmatae, ut praefertur, in generali eorundem Fratrum Congregatione in domo regulari SS. XII Apostolorum de Urbe, de mense maii proxime praeterito celebrata, publicatae et acceptatae fuerint; Nos ut Constitutiones praedictae eo facilius in omnibus ipsius Ordinis domibus et locis regularibus introducantur, exactiusque ab illorum Fratribus et personis observentur, quo amplioribus fueris a Nobis et hac sancta Sede facultatibus suffultus, providere volentes, ac de tua fide, prudentia, pietate, doctrina et religionis zelo plurimum in Domino confisi, tuam in praemissis auctoritatem in primis, apostolica auctoritate praefata, tenore praesentium excitamus, tibique per praesentes committimus et mandamus, ut per teipsum, si commode potueris, sin minus per idoneos ipsius Ordinis religiosos viros, vitae ac morum probitate doctrinaque praestantes, a te subdelegandos, Constitutiones huiusmodi, de mandato nostro examinatas et revisas ac per Nos approbatas et confirmatas, ut praefertur, in omnibus tui Ordinis domibus et locis regularibus auctoritate nostra introducas, easque ab omnibus illorum Fratribus et personis, quantum fieri posse et expedire iudicaveris, observari eadem auctoritate cures et facias; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo. Nos enim tibi praemissa et quaecunque alia circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem, dicta auctoritate, tenore praesentium concedimus et impartimur.

Non obstantibus omnibus illis quae in praeinsertis litteris concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XVI septembris MDCXXVIII, pontif. nostri anno sexto.

M. A. Maraldus.

Fr. Felix Franceschinus a Cassia, artium et s. Theologiae doctor, universi Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Minister generalis, admodum reverendis Patribus ac Fratribus universis Ordinis fratrum Minorum Conventualium S. Francisci verae pacis incrementum.

Seraphicae Religionis Conventualium cura, cui nos licet immeritos praeesse voluit Altissimus et qui eius vices gerit in terris sanctissimus d. n. d. Urbanus papa VIII, ita semper sollicitos nos tenuit, ut ab ipsis officii nostri primordiis praecipuas nostri muneris partes esse duxerimus regularem disciplinam variis, qui in ipsam irrepserant, abusibus labefactatam, novis Constitutionibus suffultam pristino candori et seraphici Patris nostri Regulae communisque vitae observantiae, quantum praesentia tempora sinunt, conformem reddere. Neque improbavit consilium hoc nostrum, cui illud aperuimus, idem ss. dominus, sed votis nostris benignissime annuens ad prosequendum opus Dei nostra sponte currentes sua etiam auctoritate excitavit, iussitque ut, adhibitis ad laboris participa-

tionem aliquot nostri Ordinis insignioribus Patribus, rem conficeremus ut in Comitiis generalibus anno 1625 celebrandis absolvi omnia et stabiliri possent. Quod cum factum esset, variaeque Constitutiones tum a Nobis tum a praedecessoribus nostris factae in unum veluti corpus redactae essent, ne publicarentur atque exequutioni demandarentur plura (quae dignis ex causis opere pretium est reticere) obstitere. Cum vero capita quae de paupertate agunt ss. dominus n. sacrae Reformationis Congregationi examinanda commisisset, iisdem Constitutionibus ubi ab illis probata essent inserenda, praedictas etiam Constitutiones a viris pietate, scientia ac prudentia pollentibus examinandas et disquirendas censuit, ut quae deinceps erant apostolica auctoritate firmandae, eadem auctoritate prius revisae, examinatae, correctae et accomodatae prodirent in lucem. Atqui egregiam hac in re navavit operam illustriss. d. Abbas Crescentius; qui cum multis laboribus maturaque adhibita diligentia omnia et singula perlustrasset solertique concinnatione compaginasset ac Sanctitati suae de earum revisione atque emendatione retulisset, placuit ss. domino n. easdem Constitutiones confirmare, deque suo nomine Urbanas nuncupari permisit, ut inclitissimi nominis auspicio in Urbe stabilitae, urbanitate etiam, quam praeseferunt, ad observantiam illarum religiosos alliceret.

Sed quoniam (quod non sine maximo animi dolore percepimus) aliqui dissentionis filii sub specioso zeli praetextu contra easdem Constitutiones obrepere, ipsarumque observantiam legitimamque publicationem vocare in dubium, nosque etiam lacerare sermonibus, ac Religiosos ad abiiciendum obedientiae ac infringendum observantiae iugum ausi sunt incitare; id aegre ferens idem ss. dominus n. novo iterum diplomate easdem confirmavit, nosque, ut in iisdem literis videre est, ipsarum pro tempore executores deputavit.

Nos igitur, qui salutem animarum vestrarum quaerimus, illudque prae caeteris omnibus summopere cupimus, ut omnes sub uno capite viventes, memores vocationis nostrae, eadem via iisdemque legibus per haec terrena transeuntes ad aeterna curramus; vos RR. PP. precibus omnibus in Domino oramus, obsecramus atque obtestamur ad illarum observantiam paratos esse, correctionis ac censurarum virga errantes ad viam qui Christus est reducere, in rebelles vero ac refractarios gravioribus etiam poenis (quod ipse avertat Deus) animadvertere.

Superiores vero nostri Ordinis cuiuscunque gradus monemus, eisque in virtute s. obedientiae stricte mandamus, ut postquam apud illos praesentes Constitutiones publicatae fuerint, in id sedulo incumbant ut ab omnibus observentur; sciantque semetipsos de subditorum inobservantia ac contumacia et Deum et nos rigidam ab ipsis exacturos rationem.

Valete in Domino.

Dat. Romae, 21 septembris 1628.

XIV, 42. — *Exemplum typis editum.*

483. *1643, 16 aprilis.*

Urbanus VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper [fecit] dilectus filius *Gulielmus Tomisonus* (*sic*) Scotus, Minister prov. provinciae Angliae fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod ipse qui, ut asserit, alias spatio 30 annorum Missionarius apostolicus in Scotiae et Angliae regnis fuit et ex illis per alios septemdecim annos Capellani munus carissimae in Christo filiae nostrae Hensiettae (*sic*) Mariae Magnae Brittanniae reginae obivit, ut alios nationales suos desiderio sui Ordinis accenderet et iis qui inter eosdem Fratres nomen dedissent adesset, quo capaciores promptioresque ad vineam Domini excolendam evaderent, certas suis laboribus procuravit eleemosynas, ex quibus idem *Gulielmus* 38 loca Montis novennalis secundae erectionis alias a dilectis filiis Alexandro et Ioanne Baptista de Siris mercatoribus romanam Curiam sequentibus resignata, XV sacri conventus SS. XII Apostolorum de Urbe, alia XIII collegii S. Bonaventurae eiusdem conventus et reliqua X loca Montis huiusmodi conventus S. Francisci Assisiensis dicti Ordinis nominibus emi fecit, ea lege ut quoties fructus eorumdem locorum Montis huiusmodi a procuratoribus aut exactoribus conventuum et collegii praefatorum exacti fuerint, eidem *Gulielmo* ad usus suos necessarios et licitos, servata forma aerarii et iuxta eiusdem Ordinis Constitutiones Urbanas nuncupatas, apostolica auctoritate confirmatas, quoad vixerit, statim consignentur; post ipsius autem *Gulielmi* obitum, ex eisdem fructibus tres eiusdem Ordinis Religiosi, Scoti aut Angli, in eisdem conventibus et collegio manuteneantur, ipsorumque conventuum et collegii Fratres unam Missam singulis hebdomadis pro conversione personarum eorumdem regnorum ad fidem catholicam celebrari facere, nec non pias ad Deum preces pro anima eiusdem *Gulielmi* et iuxta eius intentionem fundere teneantur, cum certis aliis particularibus rebus, et eorumdem Religiosorum Scotorum aut Anglorum necessitatibus subveniretur: nullis autem extantibus in eodem Ordine Scotis aut Anglis Religiosis huiusmodi, fructus praedicti partim [in] infirmariae et forestariae seu hospitii eiusdem conventus SS. XII Apostolorum substentationem, partim infirmariae conventus S. Francisci Assisiensis praefati ac etiam partim in manutentionem unius alterius dicti Ordinis Religiosi ultramontani in eodem S. Bonaventurae collegio applicentur, et alias, prout plenius in tribus patentibus litteris super resignatione praedictorum 38 locorum Montis huiusmodi, de consensu dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium dictarum nationum, Ordinisque et collegii huiusmodi apud Nos et Sedem apostolicam Protectoris, et cum approbatione dilecti filii Ministri generalis dicti Ordinis expeditis, dicitur contineri.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse *Gulielmus* plurimum cupiat pium huiusmodi opus eiusque intentionem perpetuis futuris temporibus debite et exacte executioni demandari et nullatenus a quoquam, cuiuscumque gradus aut dignitatis existat, impediri; Nobis

propterea humiliter supplicari fecit ut [in] praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur eundem *Gulielmum* specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, emptionem et resignationem praedictorum 38 locorum Montis huiusmodi nominibus conventuum et collegii praedictorum et post respective factas et desuper expeditas trinas patentes litteras huiusmodi cum omnibus et singulis contentis, nec non omnia et singula quae per modernum et pro tempore existentem dicti Ordinis Ministrum generalem circa dispositionem et applicationem aliarum eleemosynarum quas ipse *Gulielmus* poterit et sperat procurare, ad effectum praemissum ac tam pro spirituali eorum regnorum quam temporali bono fient, apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint aut intervenisse dici vel praetendi possint, supplemus; mandantes propterea et expresse prohibentes, in virtute sanctae obedientiae et sub arbitrii nostri poenis et censuris ipso facto incurrendis, omnibus et singulis Superioribus localibus aut aliis dicti Ordinis Religiosis et personis ne de praedictis eorumdem locorum Montis huiusmodi fructibus alias quam modo et forma praemissis disponere ullatenus audeant seu praesumant, ac decernentes praesentes validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et ab omnibus et singulis ad quos spectat inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ipsius Ordinis et conventuum collegiique praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ipsi Ordini, conventibus et collegio, illorumque quibusvis personis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVI aprilis, pontif. nostri anno vigesimo.

Ioannes Baptista Lomellinus prothonotarius apostolicus, utriusque Signaturae d. n. Papae referendarius eiusdemque Sanctissimi ac reverendae Camerae apostolicae thesaurarius generalis, universis et singulis

praesentes inspecturis notum facimus et attestamur quod infrascriptis diebus illustres dd. Ioannes Baptista et Alexander de Siris Saonon. (?), *creditores Montis novennalis, prout* (?) *in locis centum ex parte maioris quantitatis registrata in lib. 4 f. 58 apparet, ex dicto credito locisque praefatis cum fructibus a calendis novembris proximi cesserunt et resignarunt loca decem ad favorem s. conventus S. Francisci de Asisio Minorum Conventualium, cum conditione quod fructus, quoties soluti fuerint procuratori dicti s. conventus, consignentur admodum rev. p. mag. Gulielmo Tonsono* (sic) *Scoto eius vita durante, et illa cessante quod dicti fructus implicentur pro beneficio infirmariae dicti s. conventus cum obligatione manutenendi Religiosum dicti Ordinis qui sit natione Scotus, et illo deficiente, sit Anglus, si a Superioribus in dicto conventu mittentur, et tradendi dicto Religioso Scoto seu Anglo scuta duodecim annua pro eius vestiario, et celebrari faciendi unam Missam qualibet hebdomada pro conversione dictorum regnorum, et orare Deum iuxta intentionem et pro anima dicti mag. Gulielmi.*

Quare nos cessionem et resignationem huiusmodi admittentes, praefatum s. conventum verum et legitimum * *

XIV, 44. — *Exemplum mutilum et in marginibus superioribus profunde corrosum cum textus iactura. Pars Brevis continetur etiam XIV, 17a et XIV, 45, ex quibus textus Brevis integre restitutus est.*

487. *1674, 24 septembris.*

Clemens papa x, ad futuram rei memoriam.

Cum ob sacri Iubilaei celebrationem a vigilia Nativitatis Domini nostri Iesu Christi proxime venturi anni inchoandam et usque ad finem eiusdem anni duraturam omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et aliis locis piis saecularibus et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium Regularibus, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis quomodolibet concessas de apostolicae potestatis plenitudine suspenderimus ac suspensas esse declaraverimus, easque eodem anno durante nulli prodesse aut suffragari debere decreverimus, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et verbatim inserto haberi volumus, plenius continetur; Nos cupientes ut ecclesia *S. Mariae Angelorum* domus Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia prope et extra muros civitatis Assisiensis congruis frequentetur honoribus, ad eamque Christi fideles eo libentius accedant quo exinde spiritualibus gratiis se uberius refectos conspexerint, tenore praesentium declaramus mentis et intentionis nostrae minime fuisse nec esse sub praedicta indulgentiarum suspensione, indulgentiam utriusque sexus Christi fidelibus praedictam ecclesiam die secunda mensis augusti a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi visitantibus et requisita pro eadem indulgentia consequenda peragentibus concessam comprehendere, prout minime comprehendimus, nec comprehensam esse in verbo romani Pontificis attestamur.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Dat. Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCLXXIV, pontif. nostri anno quinto.

I. G. Slusius.

XIV, 50. — *Exemplum typis editum.*

488. *1677, 12 aprilis.*

Innocentius papa XI, ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius *Leo a Civitate Castelli,* Commissarius generalis Curiae Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod magnus concursus in die festo, qui in ecclesia b. Mariae Angelorum prope et extra muros Assisienses singulo quoque anno kalendis augusti celebratur, devotionis causa confluebat, et ad hoc ut ibidem convenientes indulgentiarum et peccatorum remissionum, quae dictam ecclesiam visitantibus concessae erant, participes fierent idem Gregorius praedecessor Guardiano pro tempore existenti conventus Fratrum dicti Ordinis apud ecclesiam predictam existentis, quotannis dicto die festo aut quinque aut sex diebus eumdem diem immediate praecedentibus, quatuor dicti conventus Fratres eiusdem Ordinis professores, ad audiendas fidelium confessiones a loci Ordinario prius approbatos et idoneos, qui Christi fideles ad dictam ecclesiam eodem die kalendarum augusti vel aliis diebus eumdem diem immediate praecedentibus accedentes et peccata sua contrito corde confitentes, eorundem confessionibus diligenter auditis, ab omnibus et singulis per eos commissis peccatis, criminibus, delictis et excessibus quantuncumque gravibus et enormibus, etiam Sedi apostolicae et locorum Ordinariis reservatis (non tamen in litteris apostolicis die Coenae Domini legi solitis contentis), absolvere ac vota quaecumque (religionis et castitatis dumtaxat exceptis) in alia opera commutare valerent, deputandi licentiam et facultatem auctoritate apostolica concessit et alias, prout in ipsius Gregorii praedecessoris desuper in simili forma Brevis die V iulii MDLXXVII expeditis litteris dicitur contineri (1).

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, licet rec. mem. Urbanus papa VIII, etiam praedecessor noster, per quasdam suas pariter in forma Brevis die X novembris MDCXLII expeditas litteras, quarum initium est *Religiosos viros* (2), eadem auctoritate concessisse reperiatur, ut Fratres Ordinis praefati ad audiendas Christi fidelium confessiones alias approbati omnibus et singulis facultatibus poenitentiariis apostolicis in hac alma Urbe concessis circa administrationem sacramenti Poenitentiae in supradicta ecclesia S. Mariae Angelorum nuncupata prope Assisium quotannis die secunda augusti, qua festum solemne in eodem Ordine celebrari consuevit, dumtaxat uti possint; tanta tamen sit Christi fidelium ad eamdem ecclesiam festivitatis huiusmodi occa-

(1) Cf. supra nr. 464.

(2) Hic inseritur totum Breve, de quo cf. supra in elencho sub nr. 482.

sione confluentium multitudo, ut spirituali illorum consolationi atque necessitati per concessiones apostolicas praedictas satis prospectum minime reperiantur; Nobis propterea dictus *Leo* humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsum *Leonem* specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dilecto filio moderno et pro tempore existenti Guardiano conventus praedicti quatuor alios poenitentiarios similes quatuor iam a dicto Gregorio praedecessore, ut praemittitur, concessis, adeoque in eadem forma et cum eadem facultate, necessitate quidem constante, deputandi licentiam et facultatem, auctoritate praefata, tenore praesentium concedimus pariter et impertimur.

Non obstantibus constitutionibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XII aprilis MDCLXXVII, pontif. nostri anno primo.

XIV, 51, f. 1v-3r. — *Exemplum non authenticum saec. XVIII.*

493. *1699, 1 augusti.*

Innocentius papa XII, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Cum Nos nuper, occasione instantis anni Iubilaei, omnes indulgentias et peccatorum remissiones, etiam quascumque ecclesias et loca pia visitantibus concessas, eodem anno durante, generaliter suspenderimus, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur; cumque almam domum Lauretanam ab omnipotenti Deo specialibus gratiis et donis illustratam, speciali quoque prae ceteris ecclesiis praerogativa dignam existimemus: Nos animarum Christi fidelium ad eandem sacram domum accedentium saluti et spirituali consolationi amplius consulere cupientes, volumus et apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, ut omnes indulgentiae et peccatorum remissiones nec non poenitentiarum relaxationes, visitantibus almam domum Lauretanam a quibusvis romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ac a Nobis et apostolica Sede quomodocumque concessae, dicto anno Iubilaei durante valeant suumque sortiantur effectum ac ipsis Christi fidelibus suffragentur in omnibus et per omnia, perinde ac si suspensio praedicta a Nobis specialiter vel generaliter non emanasset.

Non obstante suspensione praefata ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die prima augusti MDCXCIX, pontif. nostri anno nono.

I. F. cardinalis Albanus.

XIV, 56. — *Exemplum typis editum.*

501. *1463, 15 iulii.*

Pius episc. *etc.*, ad perpetuam rei memoriam.

Apostolice Sedis benignitas circumspecta sincere obsequentium vota fidelium benigno favore prosequi [...].

Ut igitur universitas hominum nostre civitatis Assisii et illius comitatus ex devotione quam ad Nos et romanam gerunt Ecclesiam apostolicam sentiant eis favorem accrevisse; eorum in hac parte supplicationibus inclinati, ipsos, quibus dudum eorum graves persecutiones et damna, que superioribus temporibus passi fuerant, paterna pietate considerantes et eorum necessitatibus providere volentes, de omnibus et singulis pecuniis, in quibus usque ad diem sextam februarii pontificatus nostri anno primo quacumque occasione quomodolibet Camere nostre debitores erant per quasdam nostras litteras in forma Brevis gratiam et remissionem liberaliter fecimus; prout etiam remissionem huiusmodi presentium tenore auctoritate apostolica approbantes et confirmantes de illis et (¹) subsidiis, in quibus usque in hodiernam diem etiam quacumque occasione quomodolibet eidem Camere tenerentur, earumdem presentium tenore remissionem liberaliter facimus. Ad cinciorum, pedagii, bestiarum, mensurarum (²). pescarie, causarum civilium, adiustationis mensurarum, montis, carnium, olei, macinatus, vini, aque moiani et vini musti et aceti, dogane gabellas ac forensium dativas more solito in dicta civitate exigi consuetas, ut ipsius universitatis et hominum ordinariorum onerum dumtaxat solutionem apostolice Camere in futurum teneri; et ab aliis impositionibus dativis, subsidiis, collectis et gravaminibus quibuscumque realibus et personalibus seu mixtis etc. (³)

(¹) Alias *ac*. (²) Alias *mensura ac*. (³) Omissiones quae signo « etc. », erecto caractere expresso significantur, in ipsis exemplis sic habentur.

exemptos et immunes fore et perpetuo in futurum esse debere etc. Ipsorumque onerum et universitatis predicte camerarum omnium ad ipsam universitatem legitime pertinentium circumcirca et iuxta plateam civitatis predicte sitarum, preter quam unius ex illis ad usum cancellarii ipsius universitatis pro tempore existentis extra et iuxta scalas palatii residentie priorum populi civitatis predicte per eos deputatos ac etiam campionis nominatarum camerarum redditus etc. Cum onere solveldi dilectis filiis modernis etc. Potestati quadringenos octuaginta tres, Prioribus trecentos sexaginta sex etc.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram remissionis, declarationis, concessionis, donationis infringere *etc.*

Datum Rome apud S. Petrum, anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, idibus iulii (1) pontif. nostri anno quinto.

C. de Piccolomini.

XV, 22, fasc. A, f. 2v, B, f. 1, D, f. 1. — *Exemplum typis editum, nullibi tamen integre transumptum, neque cum eisdem omissionibus.*

507. *1601, 13 ianuarii.*

Clemens episc. *etc.* ven. fratribus episcopo Tudertino etc. salutem etc.

Significavit Nobis dilectus filius *Philippus Gesualdus,* Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Minister generalis (2), nec non Guardianus et Fratres domus S. Fortunati eiusdem Ordinis S. Francisci Tudertin., quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, terras, domos, possessiones, mobilia et immobilia bona, scripturas et iura etc. ornamenta et paramenta ecclesiastica etc. ad predictam domum eiusque fabricam legitime spectantia subtraxerunt et temere occuparunt, eaque malitiose occultare et occulte et indebite detinere presumpserunt et presumunt etc.

Quocirca fraternitati tue, frater episcope etc., quatenus etc. omnes huiusmodi bonorum detentores et illorum celatores aut alias scientiam habentes, ac damnorum etc. moneas infra competentem terminum etc.

Datum Rome apud S. Petrum, anno incarnationis Dominice 1600, idibus ianuarii, pontif. nostri anno nono.

XV, 47, fasc. A, f. 11. — *Exemplum typis editum.*

509. *1701, 3 martii.*

Clemens papa XI, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis domorum regularium fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum ubique existentibus, quibus

(1) Sic in fasc. A; in B et D *idibus iunii.*

(2) Ann. 1593-1602: Benoffi, *Compendio,* 281-3.

alias plenaria indulgentia et aliae, ut infra, ad tempus iam elapsum a fel. rec. Alexandro VII, Clemente X, Innocentio XI et Innocentio XII romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessae fuerunt et in quibus processio de licentia Ordinariorum locorum respective singulis sextis feriis agitur, aliqua feria sexta mensis martii per unumquemque ad sui libitum eligenda, singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum *etc.* preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Illis vero qui in aliis sextis anni feriis occasione dictae processionis aliquam ex praefatis ecclesiis pie visitaverint et ibidem, ut supra, oraverint, qua feria praefatarum id egerint, centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praesentibus ad septennium, ab earum publicatione computandum, tantum valituris.

Volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die tertia martii MDCCI, pontif. nostri anno primo.

F. Oliverius.

XV, 1. — *Exemplum auth. typis editum.*

510. *1703, 13 decembris.*

Clemens papa XI, ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut dilecti filii Fratres seu Patres conventus Assisien. Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia dicti conventus multa ac pretiosa sacra supellectili instructa reperiatur; collegiales vero in eo pro tempore commorantes sacram supellectilem huiusmodi occasione scholasticarum functionum inde extrahere soleant, non sine maximo illius detrimento; Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut conservationi et manutentioni sacrae supellectilis praedictae opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ne de cetero quisquam, sive saecularis sive regularis, etiam quavis auctoritate, superioritate vel officio fungens, vasa, calices, candelabra, cruces, lampades, planetas, tunicas ac alia paramenta et ornamenta ecclesiastica, tam ex auro quam ex argento vel quavis alia materia confecta, ac supellectilia sacra quaecumque, tam hactenus per quoscumque Christi

fideles dictae ecclesiae donata et assignata seu ad illius usum empta et acquisita, quam in posterum forsan donanda et assignanda seu emenda et acquirenda, quibusvis aliis ecclesiis, monasteriis, conventibus seu locis piis vel personis quibuscumque commodare aut sub quovis quaesito colore, ingenio, praetextu, causa, ratione vel occasione ex ecclesia et conventu praedictis seu illorum sacristia extrahere et asportare seu ut commodentur aut extrahantur et asportentur permittere aut consentire audeat quovis modo seu praesumat sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo absolutionis beneficium a quoquam, praeterquam a Nobis et romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, valeat obtinere, et quoad Regulares etiam privationis vocis activae et passivae poenis, per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendis, apostolica auctoritate, tenore praesentium prohibemus et interdicimus.

Permittimus tamen modernis et pro tempore existentibus Patribus eiusdem conventus, ut ipsi ad usum earundem functionum scholasticarum hypocrateras argenteas et paramenta pro ornanda cathedra dumtaxat dictis collegialibus commodare valeant; ita tamen ut, finito usu huiusmodi, illas et illa ad sacristiam ipsam quantocitius reportari facere teneantur.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut praesentis prohibitionis exemplum in valvis ecclesiae seu illius sacristiae aut alio loco conspicuo, ubi ab omnibus cerni et legi possit, affixum assidue remaneat.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIII decembris MDCCIII, pontif. nostri anno quarto.

XV, 2. — *Exemplum typis editum.*

511. *1705, (6-12) decembris.*

Clemens episc. *etc.,* ad perpetuam rei memoriam etc.

[...] Nuper fecit dilectus filius card. Bichius etc., pro parte monachorum congregationis Cassinensis etc., quod cum ipse cardinalis, cui alias monasterium S. Petri Assisii etc., cuius mensa abbatialis a mensa conventuali separata existit etc., provide considerans, quod propter absentiam abbatum commendatariorum bona dicti monasterii quam plurima passa sunt detrimenta etc. et si bona praedicta eisdem monachis concederentur in magnam utilitatem cederet; propterea idem cardinalis idem monasterium praedicta bona mobilia, stabilia etc. necnon iurisdictiones quascumque tam spirituales quam temporales ad dictum monasterium etc. cum hoc tamen quod praedicti monachi eiusque capsa generalis annis singulis scuta octingenta solvere obligati sint dicto domino cardinali etc. Remanentibus tamen eidem monasterio illiusque ecclesiae praedictae omnibus singulis privilegiis, facultatibus, indulgentiis et exemptionibus eis hactenus concessis et de iure quomodolibet competentibus, quibus idem monasterium et ecclesia praedicta gavisa sunt tam pro abbate regulari et

monachis dicti monasterii et praedictae Congregationis, quam pro eorum colonis, etiam respectu [tam ?] communitatis quam particularium dictae civitatis et dioecesis Assisien. et tum quoad spirituale tum etiam quoad temporale, ac etiam omnimoda iurisdictione spirituali et temporali atque mixta etc. concedere deliberaverit, si sibi ad id nostra et Sedis apostolicae licentia et facultas suffragentur; quare pro parte cardinalis et monachorum fuit humiliter supplicatum, quatenus gratiam facere dignaremur.

Nos igitur monachos praedictos a quibusvis excommunicationis etc. auctoritate apostolica licentiam et facultatem fuisse libera, perpetua et irrevocabili concessione cum omnibus etc. tenore praesentium concedimus etc. Quibus omnibus etc.

Datum etc. idus decembris 1705, pontif. nostri anno sexto.

XV, 22, fasc. A, f. 8. — *Exemplum typis editum.*

513. *17(06-1707)* (1).

Clemens papa XI, ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius *Franciscus Antonius Felix Carosi* a Monte Leone, Spoletanae dioecesis, Pater ac Frater expresse professus Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod ipse ex eleemosynis per eum licite acquisitis quemdam librum seu historiam conventus eiusdem S. Francisci Assisien. a quodam *Francisco Maria Angeli a Rivotorto* dum vixit pariter Fratre expresse professo dicti Ordinis et in sacra Theologia magistro compositum, in lucem edi curavit (2) ac ex illius venditione sexcenta scuta monetae vel circiter percepit.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus *Franciscus Felix Carosius* praedicta sexcenta scuta in bonis stabilibus et securis investire ac cum illis et portione eiusdem capitalis super bonis pariter stabilibus quae pro eius livello seu annua praestatione redditus annui triginta scutorum monetae tam ex paterna quam materna portionibus ei assignata fuerunt fundati perpetuum annuum redditum quatraginta scutorum parium constituere, nec non capitale eiusque fructus con-

(1) Breve, quod nostrum exemplum sine dato praebet, inter hos annos collocandum esse censeo. Ex ipsius enim tenore discimus tunc temporis Ordini fratrum Min. Conventualium Vicarium generalem praefuisse; quod sub Clemente XI (1700-1721) bis accidit. Inter 17 nov. 1704 et 12 iun. 1707 Vic. gen. fuit P. *Carolus Baciocchi a Cortona;* atque inter 27 maii 1718 et 28 maii 1719 P. *Ioseph M. Baldrati a Ravenna* (Benoffi, *Compendio* cit., 301, 306). Officium oeconomi P. *Franciscus Ant. Carosi* obtinebat ab anno 1698 et *Collis Paradisi* liber editus fuerat mense aprili an. 1704, cuius venditio inter duorum annorum spatium eo tempore absolvi bene poterat. Anni 1718-19 seriores mihi videntur, tum quoad continuationem officii oeconomi, tum quoad pecuniam adhuc investiendam.

(2) « Fr. Franciscus Antonius Felix Carosi Min. Conv. » subscripsit epistolae praeviae qua liber donatur « ss. d. n. Clementi XI », sub dato « Romae, kal. aprilis MDCCIV ».

ventui supradicto donare et applicare intendat, ea lege ut huiusmodi annua assignatione manuteneri debeat in conventu *SS. XII Apostolorum de Urbe* unus Religiosus sub titulo et nomine oeconomi, qui primo dicti conventus negotia gerere ac Missam quotidianam pro oneribus secundo dicti conventus adimplendis celebrare teneatur; praefatus autem *Franciscus Antonius Felix* officium supradictum, quod ab anno 1698 in vim mandati procurae sibi a Fratribus primo dicti conventus facti gratis exercet, quoad vixerit exercere debeat; Nobis propterea humiliter supplicare fecit ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum *Franciscum Antonium Felicem* specialibus etc., huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum [et] Regularium praepositorum, qui dilectum filium modernum Vicarium generalem eiusdem Ordinis super praemissis audiverant, consilio et attentis consensibus capitularibus conventus Assisii et *Montis Leonis* praedicti Ordinis, eidem *Francisco Antonio Felici* ut ipse sexcenta scuta huiusmodi in bonis stabilibus et securis, ut praefertur, investire, iisque ac portione capitalis dicti livelli annuum redditum quatraginta scutorum similium constituere illudque unacum eius fructibus memorato conventui S. Francisci Assisien. ad effectum annuo redditu praedicto et celebratione Missae quotidianae pro oneribus Missarum secundo dicti conventus, sicut praemittitur, adimplendis, manutenendi in eo unum Religiosum sub titulo oeconomi, qui negotia primo dicti conventus S. Francisci Assisien. gerat, perpetuo donare et assignare possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium, facultatem concedimus et impartimur; ipsique *Francisco Antonio Felici* ut quamdiu vixerit oeconomi huiusmodi officium exerceat, post eius vero obitum per Ministrum provincialem pro tempore existentem provinciae S. Francisci Ordinis praedicti unacum Definitorio dictae Provinciae duo Fratres filii praedicti conventus a dicta terra seu loco *Montis Leonis* oriundi, quatenus in eo capaces et idonei reperiantur, eisque minime existentibus duo Religiosi supradictae Provinciae nominentur, ex quibus a Ministro generali et pro tempore existente unus ad eius libitum ad praedictum oeconomi officium exercendum de triennio in triennium eligatur, auctoritate et tenore praefatis indulgemus.

Salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium; decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere etc. * *

XV, 5. — *Exemplum non authenticum saec. XVIII.*

514. *1724, 7 februarii.*

Innocentius papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in ecclesia S. Mariae Gratiarum nuncupata Ordinis fratrum b. Mariae virginis de Monte Carmelo civitatis Bononien., una pia et devota utriusque sexus Christi fidelium confraternitas seu

congregatio sub invocatione S. Mariae Magdalenae de Pazzis, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice erecta seu erigenda existat, cuius confratres et consorores quamplurima pietatis et charitatis opera exercere consueverunt seu intendunt; Nos, ut confraternitas seu congregatio huiusmodi maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam confraternitatem seu congregationem in posterum ingredientur: die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta confraternitate seu congregatione confratribus et consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam; nec non eisdem nunc et pro tempore existentibus dictae confraternitatis seu congregationis confratribus et consororibus vere etiam poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui praedictae confraternitatis seu congregationis ecclesiam seu capellam vel oratorium, die festo principali dictae confraternitatis seu congregationis per eosdem confratres semel tantum eligendo et ab Ordinario approbando a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac s. matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Insuper dictis confratribus et consororibus vere pariter poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis ecclesiam seu capellam vel oratorium huiusmodi in quatuor aliis anni feriatis vel non feriatis seu dominicis diebus, per memoratos confratres semel tantum etiam eligendis et ab eodem Ordinario approbandis, ut supra, visitantibus et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint septem annos et totidem quadragenas; quoties vero Missis et aliis divinis officiis in ecclesia seu capella vel oratorio huiusmodi pro tempore celebrandis et recitandis seu congregationibus publicis vel privatis eiusdem confraternitatis seu congregationis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, nec non etiam qui corpora defunctorum tam confratrum et consororum huiusmodi quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, sanctissimum Eucharistiae sacramentum tam in processionibus quam cum ad infirmos aut alias ubicumque et quomodocumque pro tempore deferetur comitati fuerint, vel si impediti campanae ad id signo dato semel Orationem dominicam et Salutationem angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem et Salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum huiusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, toties pro quolibet praedicto-

rum operum exercitio sexaginta dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut si alias dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes nullae sint; utque si dicta confraternitas seu congregatio alicui archiconfraternitati aggregata iam sit vel imposterum aggregetur aut quavis alia ratione uniatur vel etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae litterae apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die VII februarii MDCCXXIV, pontif. nostri anno tertio.

F. card. Oliverius.

XV, 6. — *Exemplum typis editum.*

516. *1725, 31 iulii.*

Benedictus papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Omnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini nostri Iesu Christi eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi et illis adiutae ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant.

Volentes igitur omnes et singulas ecclesias fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum ubique existentes speciali dono illustrare, auctoritate Nobis a Domino tradita ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque sacrosanctum Missae sacrificium a quolibet sacerdote eiusdem Ordinis dumtaxat ad quodlibet altare omnium et singularum ecclesiarum huiusmodi pro summorum Pontificum et Cardinalium protectorum memorati Ordinis ac Fratrum huiusmodi animabus, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, celebrabitur; Missa ipsa eisdem animabus perinde suffragetur ac si ad altare privilegio apostolico decoratum celebrata fuisset; auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXXI iulii MDCCXXV, pontif. nostri anno primo.

F. card. Oliverius.

XV, 8. — *Exemplum typis editum.*

517. *1725, 7 augusti.*

Benedictus papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Ad sacrum fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Ordinem, quem in visceribus gerimus charitatis, nostrae dirigentes considerationis intuitum, et attente prospicientes quod ipsius Ordinis palmites per universum orbem diffusi eorum claris moribus et exemplari vita ac singulari doctrina in agro militantis Ecclesiae fructus honoris et honestatis continue afferunt salutares, dignum, quin potius debitum reputamus, ut perpetuum aliquod paternae nostrae erga eumdem Ordinem benevolentiae extet monumentum.

Cum itaque, sicut accepimus, alias postquam fel. rec. Sixtus papa V praedecessor noster Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede apostolica deputatorum Consultoris officium, quod ipse in minoribus constitutus exercuerat, religiosi Ordinis praefati contulerat, successive alii romani Pontifices pariter praedecessores nostri illud eiusdem Ordinis Fratribus attribuerunt, dictusque Ordo deinde Consultori pro tempore existenti praefati tribunalis congruum subsidium centum quinquaginta scutorum monetae vel circiter pro illius sustentatione, provinciis Italiae Ordinis huiusmodi facta pro rata distributione, assignavit. Verum, sicut pariter accepimus, rec. me. Clemens papa XI, etiam praedecessor noster, dilecto filio *Carolo Iacobo Romilli* a Bergamo (¹) Ex-generali et Patri conventus SS. XII Apostolorum de Urbe locum inter consultores Congregationis venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, eiusdem S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositae, quem novem abhinc annis obtinet, concesserit; hinc est, quod Nos dictum *Carolum Iacobum* specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, ut deinceps perpetuis futuris temporibus locus Consultoris secundo dictae Congregationis Cardinalium uni ex eiusmodi Ordinis professoribus concedi et assignari debeat tenore praesentium statuimus, decernimus et ordinamus. Praeterea dilecto itidem filio moderno et pro tempore existenti Ministro generali memorati Ordinis (²) per easdem praecipimus et mandamus, ut eidem *Carolo Iacobo* octoginta scuta paria pro eius decenti subsidio assignet et ad hunc effectum distributionem pro rata super eisdem Italiae provinciis faciat, quemadmodum pro Consultore primo dictae Congregationis hactenus servatum fuit et praesenti servatur.

Decernentes quamcumque collationem, concessionem, assignationem aut aliam dispositionem de dicto officio aliter faciendam et litteras de-

(¹) Minister Gen. fuerat ann. 1719-1725, 23 maii; † 1737: Benoffi, *Compendio* cit., 306 s.

(²) Mag. *Ioseph M. Baldrati* a Ravenna, 23 maii 1725-1731: Benoffi, op. cit., 307, 313; ubi (307) hoc Breve memoratur.

super pro tempore confectas, etiam quascumque derogatoriarum derogatorias ac alias fortiores et efficaciores clausulas in se continentes, etiam si in illis de praesentibus de verbo ad verbum ac cum illarum totali insertione mentio haberetur et illis expresse derogaretur et quaecumque pro tempore inde secuta, nulla, irrita et inania nulliusque fore roboris vel momenti; sicque praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. praefatae Cardinales iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Ordinis et provinciarum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCCXXV, pontif. nostri anno secundo.

F. card. Oliverius.

XV, 9. — *Exemplum typis editum.*

519. *1726, 20 decembris.*

Monsignor Prospero Colonna auditore generale della nostra Camera apostolica.

Havendo Noi piena notizia che vicino al sagro convento de' Minori Conventuali di S. Francesco d'Assisi, cioè alla chiesa di sotto vi sia una piazza e portici, et alla chiesa superiore altra piazza per quanto porta la longhezza d'un muro laterale a man sinistra, e che dentro dette piazze e portici soglia farsi due volte l'anno la publica fiera, cioè in occasione del Perdono della Porziuncula il mese di agosto, e in occasione della festa del serafico Padre nel mese d'ottobre, e che a tale effetto sogliono farsi dentro dette piazze e portici respettivamente botteghe di legno, il di cui emolumento sia destinato per riparo del santuario; et avendo anche Noi piena notizia e per ricorso fattoci da' Padri, che dalla Congregazione dell' immunità ecclesiastica siasi risoluto che dette piazze e portici non godino l'immunità; quindi è che, volendo Noi di nostro moto proprio, certa scienza, pienezza e potestà, liberare il detto santuario dalla detta controversia, dichiariamo e vogliamo che dette piazze e portici, non ostante la detta contraria resoluzione della Congregazione dell' immunità e qualunque altro ostacolo, siino immuni in tutta la loro latitudine e longhezza nell' istessa forma che sono immuni le dette chiese, e ciò s' osservi tanto in occasione delle dette

fiere, quanto in qualsivoglia altra contingenza. E finalmente proibiamo che in qualunque tempo dell'anno e sotto qualsivoglia pretesto possasi da chiunque in detti luoghi ardire di esercitare giurisdizione veruna o verun atto di giustizia, non ostante che in occasione delle dette fiere e per evitare i sconcerti massime dei ladri, si ritenghino da detti Padri alla porta battitora del convento giudice e carceri e contigua ai detti luoghi si ritenghi il tormento della corda, quale pende nella strada pubblica maestra, e non ostante che in detti luoghi in tempo di dette fiere i detti Padri faccino passeggiare i birri et esseguir l'arresto delli derobanti: quali cose a quest'atto solamente delle fiere e per maggior quiete di esse lo permettiamo.

E così vi ordiniamo che dobbiate fare et esseguire, rimossa affatto ogni e qualunque appellazione o ricorso, dittione di nullità et altro, volendo che il presente nostro Chirografo sortisca il suo pieno vigore et effetto in tutte e singole cose in esso contenute, ancorchè non sia ammesso e registrato in Camera e suoi libri, derogando specialmente alla Bolla di Pio IV, nostro predecessore « De registrandis » et d'ogn'altra constituzione che vi fosse in contrario, e che con la nostra semplice sottoscrizione vaglia et abbia il suo pieno vigore e forza come avessimo proceduto per Bolla, Breve o altro miglior modo; nè contro questo nostro Chirografo presente possa esser mai opposto nè dato di nullità, subrezzione et obrezzione o difetto della volontà nostra, ma sia sempre valido e fermo, osservato et eseguito mediante la clausula « sublata » e decreto irritante, non ostante qualsivoglia disposizione, uso, stile, consuetudine o costituzione apostolica in contrario, sì nostra che dei nostri predecessori, il qual tenore parola per parola abbiamo qui per espresso et a questo specialmente deroghiamo, e non ostante che non siano state intese nè chiamate le persone interessate, benchè fra queste si connumerasse il commissario della Camera apostolica, e non ostante la nostra regola di cancelleria « De iure quesito non tollendo », leggi, statuti, privilegii conceduti dalla santa Sede, riforme et altro, derogando ad essi in ogni e più ampia forma, avendone il tenore qui per espresso e di parola in parola inserto.

Dato in Roma dal nostro palazzo apostolico Vaticano questo dì 20 decembre 1726.

BENEDICTUS PAPA XIII.

XV, 11. — *Exemplum typis editum.*

520. *1731, 30 augusti.*

Clemens papa XII, ad perpetuam rei memoriam.

Caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem Nobis commisit Deus, prudenti liberalitate erogamus, cum id ad exercitandam fidelium religionem atque devotionem et promovendam animarum salutem profuturum speramus.

Supplicationibus itaque dilecti filii *Vincentii de Comitibus* Ministri generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncu-

patorum [1] nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis domorum tam Fratrum quam Monialium eiusdem Ordinis ubique existentium, die festo Commemorationis impressionis sacrorum Stigmatum, quibus dictus S. Franciscus in Monte Alverniae redemptionis nostrae signis mira Dei gratia decoratus fuit, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum *etc.* preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCCXXXI, pontif. nostri anno secundo.

F. card. Oliverius.

XV, 12. — *Exemplum auth. typis editum.*

523. *1732, 7 maii.*

Clemens papa XII, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, ac supplicationibus dilectorum filiorum *Vincentii de Comitibus* Ministri et *Salvatoris Salandari* Procuratoris generalis [2] fratrum Ord. Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dicti Ordinis, tam hactenus erectis quam in posterum quandocumque erigendis ac ubicumque locorum existentibus, in SS. Rosae Viterbiensis, Catharinae de Bononia et Margarithae de Cortona festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum *etc.* preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam; Monialibus vero supradicti Ordinis ac aliis in earum quolibet monasterio nunc et pro tempore degentibus vere pariter poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, quae suam respective ecclesiam in diebus supradictis visitaverint et, ut praefertur, oraverint; omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

---

(1) Ann. 1731 - † 1740: Benoffi, *Compendio* cit., 313s.
(2) Ann. 1731-34: Benoffi, *Dei Procuratori* etc., 43.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, sub die VII maii MDCCXXXII, pontif. nostri anno secundo.

F. card. Oliverius.

XV, 15a. — *Exemplum auth. typis editum.* = XV, 15b. — *Exemplum typis editum.*

526. *1739, 4 aprilis.*

Clemens XII, ad futuram rei memoriam.

Ex iniuncto Nobis apostolicae servitutis munere ad ea peculiares solicitudinis nostrae curas libenter intendimus, quae felici Christi fidelium divini Numinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum regimini atque tranquillitati conducibilia fore in Domino arbitramur.

Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii *Felix Angelus Sidori* (¹) Vicarius apostolicus et *Ioannes Baptista Minucci* (²) Procurator generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod licet per Constitutiones Urbanas dicti Ordinis cap. X, tit. II, num. VII, praescriptum reperiatur, nempe « *Sacrosancti propterea Concilii Tridentini vestigiis inhaerendo decernimus et mandamus, ut (nisi ex aliqua ratione a iure permissa, causa alias devolvatur) causae omnes, quae Guardiano competunt in prima instantia ab eo, in secunda instantia a Ministris provincialibus vel eorumdem Commissariis, in tertia demum a generali Ministro vel eius Commissariis cognoscantur* », necnon generali Decreto dudum a Congregatione tunc existentium sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, iussu felic. rec. Sixti papae V praedecessoris nostri edito, caveatur expresse quod Regulares cuiusvis Ordinis in casibus, in quibus appellare de iure licet, id facere debeant gradatim ad sui Ordinis Superiores, a Priore nimirum ad Provincialem et a Provinciali ad Generalem, antequam Sedem apostolicam adire possint; nihilominus ipsi exponentes non sine eorum animi moerore advertunt plures Religiosos eiusdem Ordinis, supradicti Ordinis Constitutionum ac Decreti huiusmodi immemores, illave exoleta et antiquata esse credentes, tum a praefata correctione regulari Superiorum provocare, tum ubi appellatio permittitur nusquam observata forma sic praescripta, ad Superiores mediatos sive Praelatos maiores Ordinis praefati ac etiam hanc sanctam Sedem appellare et recurrere, unde regularis disciplinae detri-

(¹) De Hyspello. Vic. apost. ann. 1738-41: Benoffi, *Compendio,* 315.

(²) « Da Civitaregale ». Ann. 1734-1741; et postea Minister gen., 1741-47: Benoffi, *Dei Procuratori* etc., 43; *Compendio,* 315.

mentum, immediatorum Superiorum eorumque iurisdictionis contemptus ac non raro impunitas delinquentium aliaque multiplicia incommoda consequuntur. Quamobrem ipsi exponentes, ut debita subditorum erga Praelatos obedientia exactaque regularis observantia in dicto Ordine conserventur et, sicubi exciderint, restituantur, opportunum gliscenti malo et abusui eiusmodi remedium adhiberi et alias in praemissis salubriter a Nobis provideri summopere desiderant.

Nos, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis dicti Ordinis Fratribus et personis cuiusvis dignitatis, gradus et conditionis existant, appellationem a correctione regulari suorum Superiorum ad formam enarratarum Constitutionum ac sub poenis in eis contentis, auctoritate apostolica, tenore praesentium interdicimus; in casibus vero, in quibus iisdem Fratribus de iure vel iuxta Constitutiones praedictas appellare aut recurrere licet, id non aliter deinceps fieri posse statuimus quam gradatim, a gravamine scilicet Prioris ad Provincialem et a Provinciali ad Generalem, ita ut causae appellationis seu recursus huiusmodi antequam ab eodem Ministro generali cognitae et definitae fuerint, extra dictum Ordinem deferri et agitari nequeant.

Ac propterea omnibus romanae Curiae tribunalibus ac iudicibus et quibusvis etiam venerabilium Fratrum nostrorum sanctae romanae Ecclesiae praedictae Cardinalium Congregationibus, necnon Sedis apostolicae nuntiis nunc et pro tempore existentibus, ne Fratrum dicti Ordinis appellationem seu recursum admittant causasque praedictas cognoscant, nisi prius eis legitime constiterit illas per dictos Superiores memorato ordine servato cognitas et definitas fuisse, sub poena nullitatis actorum ac inde secutorum, et quoad Religiosos appellantes vel recurrentes, qui praemissis contravenerint, sub gravibus et nostro romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis poenis, eadem auctoritate harum serie prohibemus. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari ac eis respective plenissime suffragari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac praefati Ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum

insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die 4 aprilis 1739, pontif. nostri anno nono.

D. card. Passioneus.

XV, 18. — *Exemplum typis editum.*

528. *1741, 6 septembris.*

Benedictus papa XIV, ad perpetuam rei memoriam.

Caelestium munerum thesauros dispensationi nostrae divinitus creditos libentius erogamus, cum pia Christi fidelium vota laudabiliori studio flagitant et Nos ad animarum salutem expedire et ad divinam opem per Sanctorum suffragia implorandam conducere arbitramur.

Considerantes itaque dilecti filii fratres Minores Ordinis S. Francisci Conventuales appellati in Comitiis generalibus in conventu SS. Apostolorum de Urbe, quibus etiam Nos interfuimus, habitis congregati, quod possibilitas nostra non obtinet, eius potissimum intercessione ac suffragiis abundantius Nobis a misericordiarum Patre donari, cui desponsata fuit Mater Salvatoris beata virgo Maria Immaculata, quem constituit domus suae Matris solatium, suae carnis nutritium, solum in terris magni consilii coadiutorem fidelissimum sanctum Iosephum eundem Dei Genitricis sponsum in peculiarem sui Ordinis tutelarem ac Patronum apud omnipotentem Deum adoptaverant; ut autem tanti Tutelaris patrocinium sibi promerentur, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut, dum suis in ecclesiis ubique existentibus tam die XIX martii festum eiusdem sancti Iosephi, quam dominica tertia post festum Paschatis resurrectionis Domini nostri Iesu Christi immediate sequenti festum Patrocinii ipsius S. Iosephi celebratur, easdem ecclesias caelestium munerum erogatione decorare de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum ubique existentibus die festo S. Iosephi ac tertia dominica immediate sequenti post festum Paschatis resurrectionis Domini nostri Iesu Christi a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum *etc.* preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDCCXLI, pontif. nostri anno secundo.

Pro D. Card. Passioneo Caietanus Amatus.

XV, 20. — *Exemplum typis editum.*

530. *1749, 3 septembris.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dopo avere provveduto ai pregiudizi che risentivano i nostri amatissimi sudditi per l'estrazione de' grani, come si ha dalla nostra cedola di Motu proprio sopra il libero commercio segnata li 29 giugno 1748, e di poi confermata con nostra Costituzione in data li 8 luglio dell'istesso anno; abbiamo giustamente rivolto le nostre paterne mire ai maggiori danni dell'erario camerale cagionati da tante sorta di franchigie ed esenzioni: le quali però siccome si trovano concedute senza giusta e ragionevole causa o già da gran tempo spirate o estese ad alcune specie di dazi e gabelle che non ammettono veruna esenzione, così richiede la nostra provvidenza di ridurle a termini del giusto ed onesto, e quindi svellere ogni sorta d'abusi.

Quindi Noi colla presente nostra cedola di Motu proprio, avocando a Noi in primo luogo tutte le cause e liti messe avanti qualsisia giudice ed in qualunque tribunale pendenti per occasione di simili privilegi o indulti d'esenzioni, e quelle così avocate nello stato e termine in cui si trovano rimettendole alla Congregazione camerale, non solo confermiamo ed approviamo quanto da detto nostro monsignor Tesoriere generale e dalla prefata Congregazione camerale è stato fin ora sopra di ciò giudicato o decretato; ma in oltre ordiniamo nuovamente e comandiamo che tutte e singole persone delle provincie e legazioni del nostro Stato pontificio, di qualunque grado, stato e condizione, ancorchè ecclesiastiche tanto secolari che regolari, luoghi pii, capitoli, dignità e canonici di tutte le cattedrali o collegiate, abbadie, conventi e monasteri dell'uno e l'altro sesso, cardinali, arcivescovi, vescovi eziandio assistenti della nostra cappella, baroni, università, collegi, anco della Compagnia di Gesù, undici Congregazioni, e i coloni, livellari, ministri e lavoratori di tutti e singoli sopradetti e altri tutti, ancorchè fossero tali che per comprendergli vi fosse bisogno di specifica o individua menzione, e che per qualsivoglia privilegio pretendono esser esenti dai sopradetti dazi, gabelle camerali etc. devino esibire e verificare avanti la detta Congregazione camerale citata, e contradicente il commissario generale della nostra Camera, i titoli di detta loro pretesa esenzione e immunità; commettendo per tal effetto alla medesima Congregazione camerale, in quanto bisogni, tutte le necessarie ed opportune facoltà di

riconoscergli sommariamente e senza strepito di giudizio, rimossa qualunque appellazione e ricorso in sospensivo, e di dichiarare validi e giusti, per l'effetto della franchigia o immunità da detti pesi, gabelle etc., soltanto quei privilegi che provengono da titolo veramente oneroso d'effettivo pagamento o di appalto e contratto camerale.

Volendo Noi che siano osservati e mantenuti que' soli privilegi de' quali si verificherà la provenienza loro da uno dei sopradetti titoli, e all' incontro cassati ed annullati tutti gli altri in qualunque modo e forma conceduti per altri titoli e cause; ordinando ai tesorieri delle provincie, appaltatori o altri ministri della nostra Camera di non ammettere altri privilegi ed esenzioni, che quelle verificate ed approvate dalla detta Congregazione camerale nella forma da Noi prescritta.

E per maggiore comodità di fare la detta esibizione e verificazione dei privilegi nella Congregazione camerale come sopra, proroghiamo il termine di tre mesi assegnato nel suddetto editto pubblicato li 12 luglio prossimo passato dal nostro mons. Tesoriere generale ad altri tre mesi susseguenti, cioè a tutto il giorno dodici gennaio prossimo futuro 1750 (1); qual termine passato e non fatta la suddetta esibizione e verificazione, tutti e singoli privilegi e indulti, ancorchè muniti di clausole efficaci ed efficacissime e derogatorie di qualunque futura derogatoria, s'intendano e siano ipso facto et ipso iure, senz' altra dichiarazione e sentenza e senza speranza d'ulteriore dilazione o purgazione di mora, nulli, cassi, revocati ed irriti, come se non fossero stati mai conceduti: non ostante qualunque possesso benchè centenario o immemorabile in contrario, per essere così mente e volontà nostra espressa etc.

Dato dal nostro palazzo di Monte Cavallo questo dì 3 settembre 1749.

BENEDICTUS PAPA XIV.

XV, 22, fasc. C, f. 5r-6v. — *Exemplum typis editum.*

534. *1751, 24 augusti.*

Benedictus papa XIV, ad futuram rei memoriam.

Omnium saluti paterna caritate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini nostri Iesu Christi eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi et illis adiutae ex purgatoriis poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant.

Volentes igitur ecclesiam basilicam nuncupatam S. Francisci de Assisio fratrum Ordinis Minorum eiusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum civ. Assisien., in qua altare maius privilegio apostolico pro animabus Christi fidelium a purgatoriis poenis liberandis in perpetuum, ut asseritur, et in ea sit altare sub invocatione S. Antonii de Padua hoc speciali dono illustrare, dummodo in dicta ecclesia quatuordecim mille Missae ut plurimum in anno celebrentur, auctoritate Nobis a Domino tradita ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri

---

(1) Exemplum *1740.*

et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocunque sacerdos aliquis saecularis vel cuiusvis Ordinis regularis Missam defunctorum in die Commemorationis defunctorum et singulis diebus intra illius octavam ac feria sexta cuiuslibet hebdomadae pro anima cuiuscunque Christi fidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad secundo dictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut eiusdem Domini nostri Iesu Christi ac beatissimae virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatoriis poenis liberetur, concedimus et indulgemus.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XXIV augusti MDCCLI, pontif. nostri anno duodecimo.

XV, 26. — *Exemplum non authenticum saec. XVIII.*

535. *1751, 4 octobris.*

Benedictus papa XIV, ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris Domini nostri Iesu Christi aeterno Patri consubstantialis et coaeterni, qui pro redemptione generis humani de summo caelorum solio ad huius mundi infima descendere et carnem nostram ex utero beatae Mariae semper virginis assumere dignatus est, vices, licet immeriti, gerentes in terris et eius exempla sectantes, animabus Christi fidelium defunctorum in purgatorio existentibus, quae per caritatem Deo unitae ab hac luce decesserunt et piorum suffragiis iuvari meruerunt, opportuna de thesauro Ecclesiae auxilia subministrare studemus, ut illae, quantum divinae bonitati placuerit, adiutae ad caelestem patriam facilius pervenire valeant.

Volentes igitur omnes et singulas ecclesias tam erectas quam in posterum erigendas fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum et Monialium eiusdem Ordinis sub regimine, gubernio et administratione Fratrum huiusmodi existentium, in quarum nonnullis, ut accepimus, unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum ad omnes presbyteros sive saeculares sive regulares, et in aliquibus etiam secundum altare privilegiatum similiter perpetuum et quotidianum vel pro nonnullis feriis et diebus ad tempus nondum elapsum, quod per praesentes confirmamus et de novo concedimus et, quatenus secunda altaria huiusmodi ad tempus concessa sint, pro eisdem feriis et diebus pro quibus concessa reperiuntur in perpetuum concedimus et declaramus, dictaque secunda altaria privilegio perpetuo pro iisdem feriis decoramus: in earum vero reliquis, vel sine Missarum numero vel cum praescripto Missarum praedictarum numero, ad solos dicti Ordinis presbyteros vel ad omnes etiam saeculares et regulares pro certis praescriptis feriis, iuxta Missarum in illis celebrandarum numerum, vel perpetuo vel ad tempus per Nos seu romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam iuxta decretum fel. rec. Benedicti papae XIII prae-

decessoris nostri die 4 octobris 1726 editum, concessum reperitur, quod per praesentes auctoritate apostolica revocamus, et in eis situm altare per dilectum filium *Carolum Antonium Calvi* (¹) modernum seu pro tempore existentem Ministrum generalem dicti Ordinis, semel tantum eligendum et in scriptis deputandum, quod semel electum et deputatum nunquam mutari aut etiam ad tempus variari possit, hoc speciali dono illustrare; auctoritate Nobis a Domino tradita ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, supplicationibus quoque dicti *Caroli Antonii* Ministri generalis et dilecti filii *Michaëlis Benedicti Oneti* praedicti Ordinis Procuratoris generalis (²) Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque sacerdos aliquis sive saecularis sive dicti aut cuiusvis alterius Ordinis, Congregationis, Instituti regularis sacrosanctum Missae sacrificium pro anima cuiuscumque Christi fidelis quoad ecclesias Fratrum praefatorum, quo vero ad ecclesias Monialium huiusmodi pro animabus Monialium defunctarum earumque consanguineorum et affinium in primo et secundo gradu et monasteriorum respective benefactorum dumtaxat, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverit, ad altare sic per dictum seu pro tempore existentem Ministrum generalem dicti Ordinis semel tantum electum et deputatum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut eiusdem Domini nostri Iesu Christi ac beatissimae virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut earumdem litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu et sigillo Procuratoris generalis pro tempore existentis dicti Ordinis munitis, in quorum fine dictus Minister generalis altare privilegio praedicto decoratum inscribere valeat et debeat, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die IV octobris MDCCLI, pontif. nostri anno duodecimo.

D. card. Passioneus.

XV, 27, 28. — *Exempla auth. typis edita.*

535.[1] *1752, 31 augusti.*

Decretum cum praevia generali instructione (³). *Audivimus et experientia quoque docti sumus in aliquibus nostri Ordinis ecclesiis, indulto altaris antehac aliquo modo donatis, multiplices irrepsisse abusus, vel*

(¹) Ann. 1747-53: Benoffi, *Compendio*, 315-7.

(²) Ann. 1750-53: Benoffi, *Dei Procuratori* etc., 44.

(³) Instructionem in forma regesti exscribimus, ea tantum reassumentes quae historiam aliquo modo pertingunt.

quia propter ignorata SS. Congregationum decreta privilegii intelligentia pervertitur, vel quia eiusdem privilegii memoria accurate et patenter adservari negligitur.

I. *Altare privilegiatum, generaliter omnibus ecclesiis nostri Ordinis vigore praeinserti Brevis concessum, unicum dumtaxat singulis ecclesiis tributum intelligitur. Ecclesiae huiusmodi altaris privilegio decoratae intelliguntur omnes nostri Ordinis erectae vel erigendae, etiam tantummodo benedictae; sed comprehensae in eodem privilegio nequaquam censentur ecclesiae, sive parochiales sive non, quae adnexum non habent Religiosorum conventum, sed tantummodo ab Ordine dependeant vel a Religiosis soleant administrari.*

III. *Aliquae existere considerantur nostri Ordinis ecclesiae, quibus simile altaris privilegium, quotidianum, pro animabus quorumcumque fidelium et pro quibuscumque sacerdotibus ibi celebrantibus iam pridem concessum fuit; atque his ecclesiis nihil additur, nihil detrahitur, sed privilegium in perpetuum confirmatur.*

IV. *Aliae reliquae Ordinis ecclesiae, si non simili, aliquo tamen iam antea decoratae supponuntur altaris privilegio pro omnibus defunctis limitato vel ad tempus vel ad certos hebdomadae dies vel quoad Missas dumtaxat a sacerdotibus nostri Ordinis celebrandas vel sub conditione certi numeri Missarum in ecclesia celebrandarum. Sed vigore praeinserti Brevis indultum huiusmodi limitatum revocatur et de medio tollitur, ac in eius locum subrogatur amplissimum hoc privilegium.*

V. *Revocatio aliorum altarium in praeinsertis litteris apposita non complectitur altaria pro determinatis dumtaxat personis defunctis antea concessa.*

VI. *Non utique exinde inferatur eidem revocationi subiacere etiam indulta, si quae aliis altaribus concessa reperiantur in supplementum Missarum ad altare privilegiatum pro omnibus defunctis celebrandarum. Huiusmodi altaria longe differunt a secundi altaris specie, quia secundum altare revera indulto gaudet proprio et directo, sed praedicta altaria supplementaria tantummodo fruuntur extensione illius eiusdem indulti quod altari privilegiato principaliter competit, ac proinde ad eum solum effectum designantur ut Missae ad ipsum altare privilegiatum nominatim demandatae, quae ob multiplicitatem in eo celebrari non possunt, licite et valide eodemque fructu ad illa satisfieri valeant.*

VII. *Aliae respiciuntur nostri Ordinis ecclesiae, quibus apost. Sedes iam antea specialiter indulserat ut, praeter unum altare privilegiatum quotidianum, alterum quoque simili privilegio vel quotidiano vel pro nonnullis feriis et diebus decoratum existeret. Summus Pontifex non modo secundum altare iam valide obtento privilegio exuere non intendit, sed illud eidem pro diebus iam designatis perpetuum reddit.*

X. *Ecclesiis demum Monialium, quae tantummodo sub regimine nostrorum Fratrum existunt, privilegium altaris conceditur perpetuum, quotidianum ad quoscumque sacerdotes, liberum seu sine praescriptione numeri Missarum, limitatum tamen pro animabus Monialium defunctarum, earumque consanguineorum et affinium in primo et secundo gradu et*

monasteriorum respective benefactorum; per quod privilegium sic limitatum nihil distractum censeri debet aliis indultis sive pro omnibus sive pro diversis determinatis personis, si quae ecclesiis ipsarum Monialium donata sunt vel donanda.

Decretum (1).

Quum nobis et apostolicis diplomatibus constet, in conventuali ecclesia (S. Francisci summo Pontifici immediate subiecta) Fratrum nostri Ordinis (civ. Assisiensis) altare in honorem (Seraphici Patriarchae S. Francisci) erectum privilegio quotidiano, perpetuo ac libero pro omnibus Christi fidelibus defunctis, ad quoscumque sacerdotes per (Gregorium) papam (XIII), die (14) mensis (octobris) anni MD(LXXVII) fuisse decoratum (2), *quod vigore Brevis Benedicti papae XIV, die IV octobris MDCCLI, generaliter pro nostris Ordinis ecclesiis editi est confirmatum seu de novo concessum; ut tam singulare donum omnibus innotescat, eiusque memoria perpetuo habeatur, praesenti hoc nostro Decreto praecipimus ac mandamus, ut originale duplicatum impressi Brevis transumtum cum hoc nostro Decreto* (3) *in libro instrumentorum ac memoriarum Conventus inseratur et inscribatur atque in archivio pariter adservetur. Volumus etiam ut supradictum altare in tabella onerum Missarum uti privilegiatum perpetuum adnotetur, atque super eodem altari, iuxta situm, qualitatem, structuram ac proportionem, maioribus litteris incisis seu insculptis vel appositis, monumentum lapideum in rei gratique animi testimonium erigatur; ita tamen ut, si integrum diploma cum data ac subscriptione incisum appareat, sub eo hoc modo addatur:* ✠ QUOD PRIVILEGIUM VIGORE BREVIS BENEDICTI PAPAE XIV IV OCTOBRIS MDCCLI PERPETUO FUIT CONFIRMATUM ✠. *Si vero nihil adsit, hoc modo monumentum concipiatur:* ✠ ALTARE HOC OMNIPOTENTI DEO IN HONOREM S. (P. FRANCISCI) ERECTUM PRIVILEGIO QUOTIDIANO PERPETUO AC LIBERO PRO OMNIBUS DEFUNCTIS AD QUOSCUMQUE SACERDOTES PER (GREGORIUM) PAPAM (XIII) DIE (XIV OCTOBRIS ANNI) MD(LXXVII) INSIGNITUM AC VIGORE BREVIS BENEDICTI PAPAE XIV DIE IV OCTOBRIS MDCCLI GENERALITER DE NOVO FUIT CONFIRMATUM ✠. *Si autem super altari erigi nequeat, prope illud erigatur, dummodo tamen super eodem altari etiam tabella, nonnisi materiae solidae ac durioris, incisis similiter seu insculptis vel appositis litteris vel oleo coloribus depictis vel auro eodem oleo linitis seu caelatis, perpetuo affixa ita remaneat:* ✠ ALTARE PRIVILEGIATUM QUOTIDIANUM PERPETUUM PRO OMNIBUS DEFUNCTIS AD QUOSCUMQUE SACERDOTES ✠. *Insuper quum ex aliis apostolicis litteris in forma Brevis nobis constet eamdem ecclesiam, praeter praedictum unius altaris privilegium pro omnibus Christi fidelibus defunctis, quo remanet quotidie et in perpetuum insignita, fuisse etiam amplioribus donis antehac illustratam, scilicet privilegio ad tempus secundi altaris in honorem (Sancti Antonii de*

(1) Quae intra parentheses hic ponuntur, in exemplo manuscripta sunt.

(2) Cf. sub nostri elenchi n. 45.

(3) Sequebantur impressae tres lineae, hic obliteratae. Cf. in fine subscriptionem secretarii.

Padua) erecti, in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, ac per eorum octavam et in (feria sexta huiuslibet hebdomadae Missae de Requiem) pro iisdem defunctis ad quoscumque Sacerdotes, cum numero (quatuordecim mille) Missarum intus eamdem ecclesiam (ut plurimum in anno) celebrandarum, per summum Pontificem (Benedictum XIV) die (24) mensis (augusti) anni MDCC(LI) concesso, quod vigore supraextensi Brevis generaliter pro nostri Ordinis conventualibus ecclesiis cum iisdem conditionibus in perpetuum confirmatur et de novo conceditur, praecipimus pariter atque mandamus ut, servata eadem forma pro primo altari demandata, monumentum lapideum in rei gratique animi testimonium ita erigatur: ✠ HOC SECUNDUM ALTARE OMNIPOTENTI DEO IN HONOREM S. (ANTONII PATAVINI) ERECTUM PRIVILEGIO IN DIE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM AC PER EORUM OCTAVAM ET IN FERIA (SEXTA MISSAE DE REQUIEM) PRO IISDEM DEFUNCTIS AD QUOSCUMQUE SACERDOTES CUM NUMERO (QUATUORDECIM MILLE) MISSARUM QUOTANNIS IN HAC ECCLESIA CELEBRANDARUM, A (BENEDICTO) PAPA XIV DIE (XXIV AUGUSTI) MDCCLI DECORATUM AC VIGORE BREVIS (EIUSDEM) BENEDICTI PAPAE XIV DIE IV OCTOBRIS MDCCLI IN PERPETUUM GENERALITER CONFIRMATUM ATQUE DE NOVO CONCESSUM ✠. *Si vero super altari erigi nequeat, prope illud erigatur, dummodo tamen super eodem altari etiam tabella eodem modo ut supra perpetuo affixa ita inscripta remaneat:* ✠ SECUNDUM ALTARE PRIVILEGIATUM PERPETUUM IN DIE COMMEMORATIONIS OMNIUM DEFUNCTORUM AC PER EORUM OCTAVAM ET IN FERIA (SEXTA) PRO IISDEM DEFUNCTIS AD QUOSCUMQUE SACERDOTES CUM NUMERO (QUATUORDECIM MILLE) MISSARUM QUOTANNIS IN HAC ECCLESIA CELEBRANDARUM ✠ (1). *Et ita et non aliter decernimus ac perpetuo servari de eadem auctoritate apostolica volumus et mandamus.*

In quorum fidem hoc praesens manu nostra subscripsimus, ac impresso sigillo nostri officii ad apostolicas delegationes exequendas specialiter destinato munivimus.

Datum (Romae ad SS. XII. Apost.) die (trigesima prima) mensis (augusti) anni (1752).

L. ✠ S. Fr. (Carolus Antonius Calvi Minister) generalis Ordinis, Delegatus apostolicus.

Fr. (Ioseph Ant. Martinelli) Secretarius generalis Ordinis, (qui et testor in superiori decreto duobus in locis expuncta, quae ad loci dignitatem non faciebant).

XV, 28. — *Exemplum auth. typis editum cum additamentis authographis.*

540. *1754, 8 maii.*

Venerabili fratri episcopo Assisien.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater, salutem *etc.*

Riceviamo la Sua dei 4 e La ringraziamo delle sue cortesi espressioni verso di Noi pel Ceremoniale che abbiamo fatto pubblicare, da

(1) Item 13 lineae obliteratae.

osservarsi in cotesta chiesa di S. Francesco da noi eretta in Basilica patriarcale ed in cappella papale [1]. Se con esso abbiamo maggiormente condecorata la detta chiesa, abbiamo anche avuto special riguardo al di Lei carattere, e godiamo ch' Ella lo riconosca e ne sia soddisfatta. Terminando Noi intanto col dare a Lei ed al gregge alla sua cura commesso l' apostolica benedizione.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem, die 8 maii 1754, pontif. nostri anno decimo quarto.

XV, 33. — *Exemplum non auth. saec. XVIII.*

541. *1754, 8 iulii.*

Benedictus papa XIV, ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super consultationibus communitatum et universitatum status nostri ecclesiastici, ad supplicationem dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis nostrae Assisien., decretum tenoris sequentis, videlicet:

Eminentissimi e Rev.mi Signori. I publici rappresentanti della città di Assisi espongono all'Eminenze Vostre qualmente per supremo comando della Santità di nostro Signore felicemente regnante essendo state rimosse, per i tempi avvenire, dalle piazze contigue al sacro convento e chiesa di S. Francesco le fiere del Perdono e di S. Francesco (ed ogni altra) che ivi solevano celebrarsi, per il disturbo che recavano al Santuario, fin dall'anno scorso mille settecento cinquantatrè, dal Conseglio nomato « Del numero de sublevanda et iurisdictionis » furono destinati alcuni luoghi e siti propri e capaci per la celebrazione di dette fiere, quali essendosi riconosciuti commodi e di piena soddisfazione de' mercanti ed altri che concorrono alle suddette fiere, il publico general Conseglio adunato sotto li dodici del cadente mese di maggio, approvando la detta destinazione, fece la risoluzione del seguente tenore, cioè:

« Per supremo comando della Santità di nostro signore papa Benedetto XIV felicemente regnante essendo state rimosse, per i tempi avvenire, dalle piazze contigue al sagro convento e chiesa di S. Francesco le fiere del S. Perdono e di S. Francesco (ed ogni altra) che ivi solevano celebrarsi, per il disturbo che recavano al Santuario, qual proibizione vien confermata dalla Santità Sua nella recente Costituzione pubblicata li venticinque marzo del corrente anno millesettecento cinquantaquattro, in cui dichiara la detta chiesa patriarcale e cappella papale questo santuario di S. Francesco; quindi è che essendosi fino dall' anno scorso mille settecento cinquantatrè per risoluzione del Conseglio nomato « Del numero de sublevanda et iurisdictionis » adunato ser. ser. il dì ventisette agosto di detto anno, in seguela anche delle facoltà dategli dal publico general Con-

---

[1] Novum Caeremoniale editum est eodem die quo ecclesia S. Francisci Assisien. in Basilicam patriarchalem et Capellam papalem erecta fuit, scil. die 25 martii 1754: cf. sub nostri elenchi nr. 539.

seglio celebrato li quindici luglio dello stesso anno, destinati alcuni luoghi e siti propri e capaci per la celebrazione di dette fiere, ed essendosi li medesimi nella esecuzione riconosciuti commodi e con piena sodisfazione non meno de' mercanti, merciari ed altri negozianti che de' compratori, li quali concorrono a dette fiere, inerendo anche alla disposizione de'nostri antichi Statuti, libro primo, rubr. quattrocento quinta, pag. sexagesimanona, statutiamo, decretiamo ed ordiniamo che ne' tempi avvenire, tanto le fiere del S. Perdono, che a tenore non meno di detto Statuto, libro primo, rubr. duecento, fol. trigesimonono, che della consuetudine immemorabile principia dalli ventinove di luglio e termina li diecinove del seguente agosto, che l'altra che si celebra per la solennità del nostro serafico concittadino e protettore S. Francesco tre giorni avanti e tre dopo la festa, a tenore del Breve della s. mem. di Paolo IV, che tutte le altre fiere solite e consuete, debbano celebrarsi per commodo de' mercanti, merciari ed altri simili negozianti nelle pubbliche piazze e contrade alle medesime vicine; rispetto poi alle robbe che vengono in fiera per la festa di S. Francesco, cioè canape, sola, frutti ed altre cose simili, debbano farsi nel borgo di Santa Chiara, detto di Porta Nova, e disporsi ed ordinarsi nella detta strada del borgo, che è commoda e vicina alla publica strada che porta alla piazza publica; e per li bestiami di qualunque sorte farsi fuori della detta Porta Nova nelle strade e campi contigui; rispetto alli commestibili finalmente ed altri generi, tanto per il vitto degli uomini che delle bestie, in tutti gli altri luoghi della città, come si è pratticato per il passato, ferma sempre e rimanente la fiera solita a farsi per il S. Perdono nel campo della chiesa di S. Maria degl'Angeli; come ancora ferma, salva ed illesa la giurisdizione del sig. Capitano della fiera, a tenore delli Brevi apostolici e della consuetudine immemorabile. E chiunque ardirà contravenire alla presente risoluzione e destinazione dei siti, incorra la pena ad arbitrio del sig. Capitano pro tempore della fiera. E per la più ferma, valida e perpetua osservanza della presente risoluzione ed ordine, i signori pubblici rappresentanti debbano procurare la conferma della sagra Consulta e, quando anche si giudichi opportuno, per Breve apostolico, e possa inserirsi nelli nostri statuti. In quorum fidem etc. Assisii hac die XIV mensis maii anni MDCCLIV. Ita est Franciscus Scaramuccia notarius et secretarius etc. Loco ✠ Signi».

Gli oratori pertanto in esecuzione della medesima risoluzione e per la di lei perpetua osservanza supplicano l'Eminenze Vostre per la benigna approvazione. Che della grazia etc.

Sacra Consulta habita sub die decimaquarta currentis, occasione suprascriptae instantiae, visa relatione gubernatoris Assisii, rescripsit prout sequitur, videlicet:

Pro approbatione resolutionis Consilii. In quorum fidem etc. Datum ex aedibus sacri palatii apostolici Quirinalis XXVI iunii MDCCLIV. B. Cincius secretarius. Loco ✠ Sigilli.

Quoniam autem, [sicut] communitas et homines praefati Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, quo decretum huiusmodi firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri

summopere desiderant; Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictae civitatis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDCCLIV, pontif. nostri anno decimoquarto.

D. card. Passioneus.

XV, 34. — *Exemplum typis editum.*

542 *1754, 8 decembris.*

Rituales leges iussu nostro latae pro Assisiensi Basilica S. Francisci, cui, ut nostram praecipuam pietatem ac devotionem exhiberemus, eam apostolica auctoritate in patriarchalem ereximus et capellam papalem nostram in perpetuum constituimus, quum aliqua ex parte declaratione indigeant; Nos cavere volentes ne ulla in posterum ambiguitas aut dissidium oriatur, sancimus, decernimus ac declaramus, ut quae a Nobis mox constituta sunt, integerrime ab omnibus adimpleantur.

Quum ex veteri more omnes Religiosi non sacerdotes tam sacri conventus quam Minorum de Observantia, strictioris Observantiae, Capuccinorum, Fratrum de Poenitentia, Sorores tertii Ordinis ac etiam populus in solemni Missa in nocte S. Francisci festo praevia, ad aram maximam, quae nunc papalis est, sacrosanctam Eucharistiam sumere consueverint; Nos fidelium utriusque sexus accessum ad matutinas preces et ad divina Basilicae officia, necnon Communionis distribuendae ritum quoad omnes, excepto populo, approbamus.

Parva quatuor candelabra super altare papali inferioris ecclesiae, praeter sex maiores candelas ardentes, apponi pro sacri loci obscuritate in Missarum celebratione permittimus.

In superiori ecclesia cancellorum intortitia ante latera altaris papalis in solemnibus esse collocanda pronunciamus; prout moris est in nostra vaticana Basilica, ubi ante trophaeum Principis apostolorum disponuntur; crucem vero processionalem semper apud altare in cornu Evangelii esse erigendam.

Episcopum Assisiensem publice et quoscumque aliarum ecclesiarum praelatos ad Basilicam accedentes orationis causa, seu ut Missam planam celebrent vel audiant, tempore quo presbyterium ad sacras actiones explendas est constructum in festis cap. 2 Caeremonialis Basilicae huius designatis, mandamus extra idem presbyterium per laterales capellas accessum habere ad altare papale.

Iniungimus pariter sacri conventus Religiosis, ut in nocte S. Francisci festo praevia haud per laterales capellas, sed per breviorem et quidem per secretiorem sacrarii aditum, prae confluentis populi multitudine, deveniant in presbyterium.

Ministrationi verbi Dei quum exterior quoque habitus apprime conducat; in habendis ad populum concionibus, superpelliceo ac bireto sine stola sacri conventus Religiosos uti indulgemus; praetermissa tamen de mane concione in die in qua sit capella papalis, ut divina officia neque praepropere neque tarde, sed statis horis ad bonum fidelium exemplum persolvantur.

Supplicationibus generalibus iure adnumerandae sunt processiones etiam rogationum ex antiquissima universalis Ecclesiae institutione, quamvis ad eas universus clerus convenire non soleat. Generales proinde dicimus processiones sanctissimi corporis Christi, principalis Protectoris civitatis, Litaniarum maiorum in festo S. Marci, Litaniarum minorum ante Ascensionem Domini, illasque etiam quae publica urgente causa aut Ecclesiae necessitate sunt indictae. His tantum sacri conventus Religiosos interesse praecipimus, praeter plurimas consuetas processiones, quae a solis ipsis coenobitis ex Basilicae instituto peraguntur; ita tamen ut extra hic a Nobis recensitas supplicationes patriarchalis Basilicae clerus, nempe sacri conventus Religiosi, ab Ordinario loci aliis quibuscumque processionibus advocari et cogi minime possint, hac potissimum ratione ne quotidianum et assiduum eiusdem Basilicae obsequium deseratur et proinde Religiosorum absentia confluenti populo detrimento sit. In designatis hisce processionibus et praecipue quum solemni ritu aut alia quavis occasione sanctissimum Eucharistiae sacramentum circumfertur, patriarchalis nostrae Basilicae campanas pulsari volumus. Speciali autem privilegio feria secunda Paschae, tum ob ingentem festi celebritatem, tum propter sacrae imaginis resurgentis Salvatoris in Basilicam a pluribus sodalitiis et nobilium coetu delationem, campanarum pulsationem tribuimus. Earum quoque sonitum ex singulari nostra benignitate kalendis augusti concedimus in fratrum Minorum Observantium ad nostram patriarchalem Basilicam accessu, insimul cum sacri

conventus Religiosis celeberrimum benedictionis S. Francisci scriptum deferentibus, processionali ritu et ordine ad ecclesiam S. Mariae Angelorum exinde revertentium.

Scamna, quae in Caeremoniali extra festivitatem sanctissimi Corporis Christi pro canonicis cathedralis Assisiensis ad Basilicam venientibus, sine dorsuali, sed aulaeis usque ad terram defluentibus in rectas lineas hinc inde locari mandavimus; ne iidem canonici a nimia populi frequentia premantur, ad cleri etiam eiusdem decentiam, aliis consimilibus scamnis in tetragonismum dispositis custodiri et occludi impertimur.

Quamvis edito in Caeremoniali magistratui Assisiensi in patriarchali Basilica scamnum sit adscriptum, nunc tamen particularia loca in quibusvis functionibus illi adiudicamus. Quando divina celebrantur officia in ara papali inferioris ecclesiae, sedebit ipse e regione altaris a latere epistolae intra cancellos extra presbyterium; in ara autem principe non papali eiusdem inferioris ecclesiae aderit etiam a latere epistolae prope ferreos cancellos extra chorum, versa facie ad altare. In superiori ecclesia consistet a cornu evangelii extra chorum sive presbyterium intra cancellos, inter aram maximam et solium papale. In ostensione sacri Veli beatissimae virginis Mariae, quae fit in propylaeo extra Basilicam, exclusis omnibus iis qui sacra in re non operantur et praecipue feminis quibuscumque, aderit magistratus e regione scholae cantorum, parte dextera ingrediendo. In altera sacri Veli ostensione, intra Basilicam locum habebit prout dictum est in Caeremoniali cap. 9. In ostensione sacrae Tabulae cum sanctissimo nomine Iesu a S. Bernardino delineatae, stabit in scamno in area superioris ecclesiae prope scalas locato, dorso verso ad ecclesiam. In his ostensionibus scamnum cum humili dorsuale sine suppedaneo cum aulaeis sternetur, super quorum extremitate genuflectat. Nolumus insuper populum advocari classico ad recipiendam cum sacris lypsanis benedictionem, sed loco tubarum duplices pulsari campanulas in propylaeo appositas imperamus.

Quoties sacrum Deiparae Velum e sacrario effertur et in idem refertur, neque pro episcopo neque pro magistratu, ob brevissimam temporis moram, locus ullus assignatur. At cum simplex sit associatio, hi ad libitum consistent.

Ostensioni sacri Veli in propylaeo et enunciatae benedictioni cum Tabula sanctissimi nominis Iesu, si adesse velit episcopus, ei sedem cum brachiis supra tapetem et pulvinar ad genua impertimur. In propylaeo autem assistet prope scamnum magistratus, versa facie ad principem eiusdem propylaei fenestram; et in aream superioris ecclesiae pro benedictione cum Tabula sanctissimi nominis Iesu locus episcopo dabitur paulo ante scamnum magistratus ad illius dexteram.

In quibuslibet sacrorum lypsanon ostensionibus, sive praesens sive absens sit idem Assisiensis episcopus, sicuti patriarchalium aliarumque ecclesiarum nostrae almae Urbis antiquissimum morem commendamus, in quibus etiam ii qui episcopali charactere non sunt insigniti chirothecis sericis utuntur; eas itidem, ad ostentandam quanta Sanctorum in coelis regnantium pignora digna sint venerationem et reverentiam,

in nostra patriarchali Basilica Assisiensi S. Francisci adhiberi omnino volumus ac mandamus.

Quamvis in libro Caeremoniali, cap. 9, aula capitularis sacri conventus sit delecta pro episcopo ad pontificalia paramenta induenda, quando accedit ad Basilicam, benedictionem cum sanctissimo Sacramento daturus; verumtamen, quum praefata aula longe posita sit et vehementer remota ab ecclesia, atque insuper pro loci gravitate ac natura minime apta, pro ea Basilicae sacrarium substituimus.

Ad divinum cultum sanctissimae Eucharistiae sacramento maximopere tribuendum praecipimus, ut in illius privata ab uno ad alterum Basilicae altare delatione ritus hic semper et ubique servetur. Praecedentibus quatuor Coenobitis cum superpelliceo funalia accensa gestantibus, alioque Religioso cotta pariter induto subsequente cum serica albi coloris umbella, augustissimum Eucharistiae sacramentum a sacerdote cum superpelliceo et stola coopertum humerali velo deferetur, psalmi alicuius seu sacri hymni recitatione alternatim non omissa. Pixidem in altaris medio locabit; inde in suppedaneo genuflexus dicet antiphonam *O sacrum convivium* etc. et versum *Panem de coelo;* postea assurgens, orationem de Sacramento brevi sub conclusione recitabit. Populum cum sacra pixide benedicet, et tandem servato ritu sanctissimum Sacramentum in tabernaculo recondet.

Custodem sacri conventus sive alium Religiosum ab ipso suffectum ad solemnes vesperas celebrandas, amictum, albam, stolam et pluviale, nec non Religiosos pluviale supra cottas, amictum quoque in deferendis baldachini hastis in processionibus sanctissimi Sacramenti induere posse approbamus.

In solemnioribus nostrae huius patriarchalis processionibus, inter quas refertur delatio augustissimi Sacramenti in ultima cuiusvis mensis dominica, Veli beatissimae virginis Mariae die 25 martii et feria secunda Pentecostes, prout in festo sanctissimae Conceptionis, praeter aliam quae peragitur cum Tabula sanctissimi nominis Iesu kalendis ianuarii, aliamque ad humilem iam, gloriosum nunc venerandumque natalitium S. Francisci locum, patriarchalia insignia, turricula primum campanaria et inde papilio sunt deferenda. Religiosi vero, tamquam nostrae patriarchalis cleros, cum bireto et superpelliceo semper et ubique procedent.

In exequiis defunctorum praesente cadavere, quamvis cap. 14 Caeremonialis pulsatio campanarum ante solemnem Missam ter sit indiscriminatim constituta; conservato tamen trium pulsationum numero, prolixiorem sonitum pro statu personarum et ad haeredum arbitrium fieri permittimus. Verumtamen, quum soleant associari cadavera a confraternitatibus, mandamus ea servari quae relato cap. 14 parochis et vicariis curatis sunt praescripta; videlicet confraternitatum capellanis non licere ingredi cum stola, etsi emortualia earumdem confraternitatum vexilla in ecclesiam inferantur.

Tandem scamna familiarum, quae iuxta nostram constitutionem ad aequalitatem sunt componenda, ita volumus et praecipimus comparari. Deleto uniuscuiusque familiae stemmate, pictis coloribus expressa

alicuius Sancti imago apponatur, collata facultate sub eadem Sancti imagine nomen et agnomen familiae arcanis notis, vulgo « *Cifra* », exprimendi. Amoto genuflexorio atque etiam suppedaneo, ut dicitur « *Pradella* », prae nimio frigidi pavimenti madore permittitur inferius tabulae appositio, quae unciarum quatuor altitudinem non superet, eamdemque altitudinem ac formam omnia referant.

His declarationibus et interpretationibus super Caeremoniale patriarchalis Basilicae et capellae papalis Assisiensis S. Francisci a Nobis factis, ut universi omnino pareant et obediant, iubemus et imperamus. Et ut in posterum vigeant incorruptae, suamque vim auctoritatemque obtineant, eas ad eiusdem Caeremonialis impressi calcem adiungi praecipimus: autographum vero manu nostra confirmatum in Basilicae archivo in perpetuum duraturum custodiri et asservari mandamus, binis authenticis exemplaribus, Ordinario loci uno, magistratui civitatis nostrae Assisiensis altero oblatis, in publica ipsorum acta referendis.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem, anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, sexto idus decembris festo Conceptionis gloriosae semper virginis genitricis Dei Mariae, pontif. nostri anno decimoquinto.

BENEDICTUS PAPA XIV.

XV, 35. — *Exemplum typis editum.*

549. *1761, 17 ianuarii.*

Clemens episc. *etc.* ad perpetuam rei memoriam.

Quum primum, divina disponente voluntate, factum est ut humilitas nostra turbulentis praesertim christianae reipublicae temporibus ad universalis Ecclesiae regimen extolleretur, iam inde ea cogitare et agere assidue non destitimus, quae ad promovendum ac propagandum inclytae et gloriosae semper virginis Mariae cultum inter fideles populos maxime conducerent, ideo potissimum ut Nobis et universae Ecclesiae catholicae speciali pietate Christi Filii sui supremi Ecclesiae Capitis favorem et gratiam protectionis conciliaret. Minora tamen, quam nostrum desiderium explere possint, semper erunt reverentiae et venerationis signa quae in terris praebentur ad cumulandam et ad augendam gloriam huius prae ceteris electae Creaturae, quae quidem ex ore Altissimi prodiit et in omni gente primatum tenuit. Proinde obortas libenti animo amplectimur occasiones, quibus nova ipsi honoris obsequia tribuantur, ac maxime laetamur potentissimum regem, qui in hac re non ita pridem aperuit animum suum tam mirifice cum nostro consentientem, rursum in praesens amplificationem aliam talis cultus pro suis vastissimis regnis et ditionibus exposcere.

Nobis siquidem regio nomine charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici dilectus filius Emanuel de Roda, dicti Caroli regis consiliarius et modo apud Nos negotiorum eiusdem Caroli regis minister, supplicem porrexit libellum, cuius tenor est:

Beatissime Pater. Cum Sanctitas vestra enixis catholici regis votis benigne annuens beatissimam virginem Deiparam in sacrosancto eius-

dem Immaculatae Conceptionis mysterio Hispaniarum Indiarumque ditionum in ipsius auspicatissimo regni exordio habitis Patronam et Advocatam specialem communi consensione nuncupatam et delectam apostolicis litteris aurea bulla munitis VI idus novembris anni 1760 concesserit et confirmaverit, simulque eiusdem venerandi mysterii festum sub ritu duplici primae classis cum octava, ceterisque praerogativis omnibus huiusmodi Patronum festis competentibus et a Sede apostolica approbatis ab universo Hispaniarum Indiarumque ditionum clero saeculari et regulari, quomodolibet etiam exempto, coli et celebrari praeceperit atque mandaverit; cumque inter praerogativas, quae a sancta Sede favore dictorum Patronorum indulgeri solent primarium quodammodo teneat locum Officii proprii et Missae in eorum honorem recitatio: idem rex catholicus, ut apostolica Sanctitatis vestrae concessio, ut supra, iam facta integrum iure merito sortiatur effectum, Officium quod incipit « Sicut lilium inter spinas » et Missam cuius initium « Egredimini et videte », quibus Ordo Franciscanus utitur, ad praefatum dominiorum suorum clerum extendi et propagari summopere desiderat.

Idcirco Emanuel de Roda, eiusdem catholici regis iussu et nomine, Sanctitatem vestram humillimis precibus orat, ut praedicta Officium et Missam, prout a Franciscanis recitantur ac in eorum breviario et missali a sancta Sede approbatis continentur, universo Hispaniarum et Indiarum clero tam saeculari quam regulari ac quomodolibet exempto pro die festo solemni eiusdem Immaculatae Conceptionis, necnon et pro eius Octava concedere, indulgere et extendere apostolica sua auctoritate dignetur.

Et pro gratia etc.

Cum autem nos alias, libenti quidem animo, adeo effusae dicti Caroli regis ac totius Hispanae gentis erga praeclarum hoc Deiparae virginis mysterium devotioni obsecundantes iuxta priores nostras litteras (¹) Ipsam in praedicto mysterio colendam universalem Patronam et Advocatam dictorum regnorum et dominiorum declaraverimus; Eiusdem mysterii festum in dictis regnis et dominiis per universum clerum tam saecularem quam regularem et quomodolibet exemptum, sub ritu duplici primae classis cum octava, celebrari praeceperimus: modo praemissas Nobis additas preces velut recentiora illius eximiae pietatis argumenta excipientes, ac priorum litterarum nostrarum tenorem cum omnibus et singulis in eis contentis praesentibus pro expresso habentes, novis hisce supplicationibus pastorali affectu nostro benigne inclinati, ipsarum tenore praesentium in perpetuum concedimus atque indulgemus, ut recurrente annis singulis dicti mysterii celebritate, in iisdem regnis et dominiis ac in singulis illorum civitatibus et dioecesibus, oppidis, terris et locis ac territoriis quibuscumque, etiam nullius dioecesis, ab universo clero praefato, ab omnibus videlicet et singulis saecularibus ac regularibus utriusque sexus cuiusvis Ordinis et Instituti, etiam quantumvis exemptis, qui horas canonicas diurnas et nocturnas sive privatim sive in quibusvis

---

(¹) Sub nostri elenchi nr. 548 recensitas.

ecclesiis collegialiter et cum cantu recitare tenentur ac tenebantur ac sacrosanctum Missae sacrificium celebrabunt, illud Officium proprium et Missa cum Octava recitetur, quod et quae per dilectos filios Fratres Ordinis Minorum sancti Francisci de praesenti generaliter recitatur, ac in eorum breviario et missali a Sede apostolica approbatis continetur. Ad quorum effectum illius Officii et Missae cum Octava recitationem ad universum clerum praefatum generaliter quoque harum serie extendimus; idemque Officium et Missam huiusmodi iuxta exemplaria dictorum Fratrum Minorum et non alias ad usum cleri et regularium praefatorum in iisdem regnis et dominiis pro tempore commorantium etiam seorsim ab aliis breviariis et missalibus typis imprimendi opportunam licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Non obstantibus et respective firmis ac salvis remanentibus constitutionibus apostolicis et omnibus illis quae in dictis prioribus nostris litteris non obstare ac respective firma et salva esse et fore decrevimus.

Volumus autem ut praesentium nostrarum litterarum tenor in principio vel in fine Officii ac Missae pro usu dicti cleri, ut praefertur, imprimendi, etiam imprimatur, utque earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exbibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostrae concessionis, indulti, extensionis, licentiae, facultatis et voluntatis infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam maiorem, anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo primo, decimo sexto kalendas februarii, pontif. nostri anno quarto.

XV, 42. — *Exemplum non auth. saec. XVIII.*

551. *1764, 17 aprilis.*

Clemens papa XIII, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti ac supplicationibus dilecti filii *Hyacinti Mariae Barberi* Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupat. Procuratoris generalis [1] nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui expositioni sanctissimi Eucharistiae sacramenti de Ordinariorum respective locorum in qualibet ex ecclesiis fratrum dicti Ordinis tam erectis quam erigendis ubique existentibus, in novem diebus immediate antecedentibus festum Conceptionis b. Mariae virginis immaculatae singulis annis faciendae per aliquod temporis spatium interfuerint et ibi

---

(1) Ann. 1762-68: Benoffi, *Dei Procuratori* etc., 44.

pro christianorum *etc.* preces effuderint, plenariam in uno ex praedictis novem diebus per unumquemque Christi fidelium ad sui libitum quolibet anno eligendo lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; in reliquis vero octo diebus praedictis centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut praesentium litterarum transumtis seu exemplis etiam impressis, manu Procuratoris generalis pro tempore existentis et sigillo praedicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XVII aprilis MDCCLXIV, pontif. nostri anno sexto.

N. card. Antonellus.

XV, 44. — *Exemplum auth. typis editum.*

554.[1] *25 martii 1254.*

Venerabili (1) *in Christo patri et d. d. Rainaldo, Dei gratia Hostien. et Velitren. episcopo, Petrus eiusdem miseratione Tudertinus episcopus reverentiam debitam et devotam.*

Solet peritus agricola surculum generose vitis exquirere, cum novam disponit propaginem reparare. Unde ab illo qui ait: « Ego sum vitis vera » (2), *palmitem uberem assumentes, Ordinem fratrum Minorum, qui quasi stella matutina fulget in domo Domini et fructificat suavitatem odoris in vinea Domini Sabaoth, ad decus et decorem cleri et civitatis Tuderti in monasterio S. Fortunati civitatis eiusdem de consilio et consensu totius nostri Capituli providimus statuendum.*

Ideoque vobis, qui estis pater et gubernator ipsius Ordinis (3), *vice et nomine Ordinis memorati recipientibus, et etiam ipsi Ordini pro remissione nostrorum peccatorum concedimus et donamus supradictum monasterium cum libris, campanis, paramentis, crucibus, calicibus, thuribulis et aliis omnibus divino cultui deputatis, et cum omnibus edificiis, casalenis et pertinentiis infra hec latera existentibus, videlicet a tribuna predicte ecclesie S. Fortunati et angulo domus sicut respicit ad murum*

---

(1) Documenta nnr. 554 1-18 notata ad historiam conventus S. Fortunati Tudertini pertinent. Ea e fasciculis excerpo Causae iurispatronatus sub nostri elenchi nr. 555 descriptis, qui venales nunquam fuerunt, sed pro manuscripto sunt editi, ideoque perrari, si qui adhuc exstant; attamen plura non peritura neque ignoranda continent. Documenta in principio asterisco (*) notata, ad regestorum rationem, notariorum formulis omissis, aliquatenus sunt contracta. Illius temporis (saec. XVIII) et ad iudicialem usum destinatae huiusmodi transcriptiones fideliores et magis integrae saepius desiderantur. Quae ego addo inter uncos quadratos [ ] sunt inclusa; reliqua ut inveni transcripsi.

(2) Ioann. xv, 1. (3) Rainaldus de Segni, postea Alexander IV, Protector Ordinis ann. 1227-†1261.

veterem civitatis de Porta libera et ad ipsam Portam, cum iis que habet ibi dicta ecclesia, et ab ipsa tribuna usque ad viam que vadit ante ecclesiam S. Fortunati, sicut recte respicit ad viam de Porta Bovini, et a latere ipsius Porte Bovini, quod est versus Capitolium, sicut respicit corda recte protendente usque ad viam que vadit per plagias et venit ante domum filiorum Iohannis Benedictonis, et deinde usque ad Portam liberam, cum platea que est ante portam maiorem claustri, quod est ante atrium ecclesie S. Fortunati, et domum veterem ipsius ecclesie, et cum omnibus domibus et casalenis que olim fuerunt hospitale, et cum domo que est inter predicta, que fuerunt hospitale olim, et viam que vadit ante domum olim Raynaldi Thodoli, ita quod de cetero in perpetuum supradictus Ordo libere et sine alicuius molestia vel contradictione in eodem monasterio Domino famuletur.

Et constituimus vos predicta omnia vestro et ipsius Ordinis nomine possidere, cedendo vobis iura et actiones que nobis et ecclesie Tudertine competunt [*in*] *predictis vel pro predictis. Et damus vobis et eiusdem Ordinis Fratribus plenam licentiam intrandi in possessionem omnium predictorum quacumque hora placuerit, nihil in predictis nobis et nostris successoribus reservantes pro spiritualibus et temporalibus preter novem solidos... minutorum episcopo et tres solidos canonicis, nomine presbyterii, annuatim persolvendos in festo S. Fortunati, et honorem processionum que in festo beati Marci et in aliis diebus, quibus ad dictum monasterium veniens episcopus Tudertinus processionaliter recipi consuevit, pro recordatione et receptione nostre concessionis atque donationis. Predictis autem de cetero in perpetuum, scilicet duodecim solidis pro temporalibus et dictis processionibus pro spiritualibus, contenti erimus; et promittimus quod nos vel successores nostri nihil amplius pro predictis alicuius occasionis pretextu penitus exigemus.*

In cuius rei testimonium presentem paginam nostri sigilli et Capituli munimine duximus roborandam et subscriptione nostra et ipsius Capituli decorandam.

Datum Tuderti, VIII kalendas aprilis, pontificatus d. Innocentii pape quarti anno XI.

Ego Petrus Tudertin. episcopus subscripsi et interfui supradictis.

Ego R. prior maioris ecclesie Tudertin. - Ego Bonafides - Ego Ugolinus - Ego Paulus - Ego Bonaventura - Ego Iacobus - Ego Offreduccius - et Ego Ugolinus, canonici Tudertin., interfuimus, consensimus et subscripsimus supradictis.

XV, 47, fasc. A, n. 4, f. 2r-3r. — *Exemplum typis editum. = Huius instrumenti particulam invenies apud. Bull. Franc. II, 5, not. f.*

554.[2] *1254, 16 aprilis.*

Fr. Thesaurus peccator monachus Vallombrosan. Congregationis, humilis servus, universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino.

Universitati vestre presentibus volumus fieri manifestum, quod d. Bonifacium abbatem monasterii sancti Fortunati Tudertin. Ordinis nostri

facimus et statuimus et ordinamus nostrum legitimum syndicum, procuratorem et actorem ad commutandum et dandum et concedendum predictum monasterium cum domibus et pertinentiis suis cum ecclesia et loco fratrum Praedicatorum vel Minorum Tudertin. etc.

In cuius rei testimonium his patentibus litteris apponi fecimus.

Datum Rome in monasterio sancte Praxedis, XVI. kal. maii.

Lectum fuit et auscultatum hoc exemplum cum authentico apud ecclesiam S. Francisci de Assisio anno Domini MCCLIIII, ind. XII, tempore Innocentii pape quarti, pp. d. Oradino vicario ven. d. fr. patris Nicolai (1), *episcopi Assisinat., suam huic exemplo auctoritatem prestante et ad maiorem cautelam suum sigillum apponente, et d. Rustico abbate S. Petri Assisinat., qui similiter suum sigillum apposuit, fr. Oddone de Aquasparta* (2), *fr. Petro de Alba et fr. Henrico Ordinis Minorum et fr. Bartolo monaco predicte ecclesie S. Petri, cum quibus de verbo ad verbum lectum fuit et auscultatum die VIII intrante mense octobri.*

XV, 47, fasc. A, n. 6, f. 3v. — *Exemplum ut supra.*

554.[3] *1254, 6 maii.*

* *In nomine Domini, amen. Anno ab eius incarnatione 1254, ind. XII, die 6 intrante maio.*

D. Bonifatius, d. Iordanus, d. Berardus, d. Iacobus, fr. Albertinus, fr. Ubertinus monachi mon. S. Fortunati Tudertin. Ordinis Vallis Umbrose more solito congregati, tam sui Ordinis quam fratrum Minorum seu Predicatorum salute et utriusque utilitate pensatis, providentes expedire locorum suorum hinc inde commutationem fieri et ut ipsorum commutatio utilitatem pariat animarum, constituerunt omnes communi consensu ac ordinaverunt et fecerunt d. Bonifacium, eorum et dicti monasterii abbatem, suum certum sindicum et procuratorem et actorem legitimum atque merum ad commutandum predictum monasterium cum domibus et pertinentiis suis pro ecclesia et loco fratrum Minorum Tudertin. ac domibus et pertinentiis eiusdem secundum confines, qui de communi ipsius abbatis et procuratoris dictorum fratrum seu alterius ipsorum Ordinum ad hoc specialiter institutorum voluntate ponentur [etc.].

XV, 47, fasc. A, n. 5, f. 3r. — *Exemplum ut supra.*

554.[4] *1254, 8 maii.*

* *Anno Domini MCCLIIII, die 8 maii.*

Fr. Bonifacius abbas mon. S. Fortunati Tudertin. Ordinis Vallisumbrose, syndicus, procurator et actor dicti monasterii et conventus eiusdem, constitutus ad infrascripta pro se et vice ac nomine dicti monasterii et conventus et fratrum eiusdem, fecit cambium et permutationem cum fr. Oddone de Aquasparta Ministro administrationis S. Francisci (3),

(1) Nicolaus de Carbio, O. F. M., episc. Assis. ab anno 1250.
(2) Tunc Minister Provinciae: cf. infra n. 554[4].
(3) Bartolomasi, *Serie* cit., 13.

fr. Laurentio Hortano familiari d. Pape(¹) *et fr. Luca de Ripis guardiano fratrum Minorum de Tuderto* (²), *procuratoribus Raynaldi episcopi Hostien. generalis protectoris et gubernatoris ipsius Ordinis fratrum Minorum etc. recipientibus vice et nomine totius Ordinis et administrationis predicte et conventus fratrum Minorum Tudertin. qui nunc ibi sunt et erunt ibidem per tempora de monasterio et ecclesia S. Fortunati Tudertin. predicto, pro ecclesia S. Angeli in Fontanellis de Tuderto; in quo quidem cambio seu permutatione dictus fr. Bonifacius syndicus, procurator et actor monasterii et conventus S. Fortunati predicti, sicut superius dictum est, dedit, concessit, tradidit et transtulit nomine vel occasione cambii seu permutationis in perpetuum fr. Oddoni Ministro, fr. Laurentio et fr. Luce predictis procuratoribus dicti d. episcopi Hostien., sicut dictum est, monasterium et ecclesiam S. Fortunati predicti cum domibus suis, plateis, casalinis, hortis et cum in omnibus his que ad edificium predicti monasterii et ecclesie pertinent, ac habilitatibus et servitutibus realibus et personalibus, introitibus et exitibus suis ad dictum monasterium, ecclesiam et loca predicta spectantibus etc.*

Et simili modo dictus fr. Oddo Minister et fr. Laurentius ac fr. Lucas procuratores dicti d. episcopi Hostien. etc., pro se et vice ac nomine administrationis S. Francisci et totius Ordinis fratrum Minorum et conventus eorumdem dederunt, concesserunt, tradiderunt et transtulerunt nomine vel occasione cambii seu permutationis in perpetuum predicto Bonifacio abbati dicti monasterii S. Fortunati de Tuderto Ordinis Vallisumbrose, syndico, procuratori et actori dicti monasterii, sicut dictum est, recipienti vice et nomine totius conventus predicti monasterii S. Fortunati, qui nunc sunt de ipso conventu vel in antea erunt, predictam ecclesiam S. Angeli de Fontanellis Tudertin. ad dictos fratres Minores et Ordinem ipsorum Fratrum spectantem, cum domibus suis, plateis, hortis et omnibus et singulis pertinentiis etc. iuribus et rationibus ad eamdem ecclesiam et ad quelibet dictorum omnium spectantibus etc. Et utraque pars ad invicem promiserunt dictam permutationem inviolabiliter observare et in nullo contra venire aliqua occasione vel exceptione; dans alter alteri licentiam et liberam potestatem intrandi et accipiendi tenutam et corporalem possessionem permutationis predicte eorum auctoritate; et alter alteri vicissim promiserunt et constituerunt se dictam permutationem precario nomine possidere. Renuntiantes dicti Abbas et Fratres in his omnibus omni iuris auxilio canonici et civilis, consuetudini et statuto, privilegio clericali fori, prescriptioni, exceptioni [*etc.*].

Actum Assisii in dormitorio fratrum Minorum de Assisio, pp. fr. Buiolo (³) *familiari d. pape, fr. Iacobo de Velletro Custode*

(¹) De eo, Legato pontificio ad orientales partes, deinde archiepiscopo Antibarensi etc., cf. G. Golubovich, *Biblioteca*, I, 215s., 393, 416s.; II, 319ss., 350ss. (²) Cf. infra, p. 171, not. 1.

(³) P. Papini in margine notavit: *Bojolo Fieschi, cugino di papa Innocenzo IV.* De eo, BF I, 767s.

fratrum Minorum in ecclesia S. Francisci, fr. G a b r i e l e (1) *procuratore Ordinis fratrum Minorum in Curia romana, fr. Iordano monacho mon. S. Fortunati de Tuderto, Ugone Iacobi de Lavan clerico d. Andree nepotis d. Pape, Nicoloso Tossico domicello d. Pape, Guello de Ceceran., Petro Aldebrani de Assisio, Paulo Iohannis de Assisio et Thomasio Gilii de Assisio tt. etc.*

XV, 47, fasc. A, n. 7, f. 3v-4v. — *Exemplum ut supra.*

554.[5] *1255, 10 martii.*

* *Anno D. MCCLV, ind. VIII, tempore d. Alexandri IV, mense martii die X intrante.*

Constitutus fr. Paganus conversus et procurator mon. Vallisumbrose d. Abbatis et conventus ipsius coram d. S. Marie in Via lata diacono card. apostolice Sedis legato, cuius familiaris existit, gratificans ratificavit, gratum et firmum habuit atque ratum, sua et dictorum Abbatis et conventus nomine, permutationis contractum factum dudum et habitum super mon. S. Fortunati Tudertini Ordinis Vallisumbrose cum ecclesia S. Michaelis de Fontanellis et eius pertinentiis inter d. Bonifacium tunc dicti monasterii abbatem et fr. L a u r e n t i u m *et* L u c a m *de Ordine fratrum Minorum, sicut apparet in instrumento publica manu Bassi tunc Camere d. pape notario confecto; quod quidem instrumentum, permutationem sive concambium et quidquid ex ipsis secutum est vel sequeretur ratum suo et dictorum Abbatis et conventus nomine habuit, atque firmum et illibatum permaneat et robur obtineat firmitatis; promisitque idem procurator predicta omnia rata, grata et firma habere et contra non venire per se vel per alium, renuncians in iis omnibus omni iuris auxilio canonico et civili, privilegio monacatus et fori, exceptionibus, derogationibus, constitutionibus et statutis, ordinationibus et indulgentiis, apostolicis litteris impetratis et impetrandis, beneficio restitutionis in integrum et specialiter* [etc.].

Actum etc.

XV, 47, fasc. A, n. 9, f. 5. — *Exemplum ut supra.*

---

(1) Deest apud Benoffi, *Dei Procuratori* cit., p. 11, ubi tamen alium Procuratorem gen. sequenti anno 1255 in Ordine extitisse ex documento probat ad eumdem Tudertinum conventum spectante, quod apud Archivum conventus Ord. Min. Conventualium Perusii tunc servabatur, quodque, ut omnia in unum coalescant, pro sua brevitate hic referre iuvat: *Fratribus de S. Fortunato Tuderti. Dilectis in Christo Fratribus conventus S. Fortunati de Tuderto, fr.* A m b r o s i u s *generalis Ordinis fratrum Min. in curia Procurator et fr.* L u c a s *eiusdem conventus Guardianus salutem in eo qui est omnium vera salus. — Noveritis quod d. Alexander papa quartus nobis dixit viva voce quod Fratres conventus predicti paramentis, campanis et aliis ecclesiasticis ornamentis que sunt in ecclesia S. Fortunati Tudertini sua auctoritate possunt uti, non obstante aliqua constitutione nostri Ordinis vel statuto. In cuius rei testimonium presens scriptum sigillatum nostris sigillis vobis duximus committendum. — Datum Neapoli X kal. aprilis. —* Alexander IV Neapoli commoratus est tantum a die electionis in summum Pontificem, 12 dec. 1254, usque ad diem 1 iunii 1255 [Potthast, ad an.]. Est ergo documentum hoc anno confectum. Benoffi, op. cit., 11-12.

554.[6] *1255, 6 iunii.*

* *Anno D. MCCLV, octavo idus iunii, ind. XIII. Actum apud mon. Vallisumbrose in capitulo ipsius monasterii.*

D. Thesaurus abbas mon. Vallisumbrose predicti, de consensu et parabola et voluntate totius conventus predicti monasterii, d. Pauli decani, d. Alberti sacriste, d. Philippi cellerarii, d. Petri de Collis, d. Augustini, d. Iohannis, d. Laurentii, d. Alberti, fr. Petri camerarii, fr. Andree, fr. Bernardi, fr. Georgii, fr. Iacopi, infirmarii et fr. Laurentii, monachorum ibi degentium, et fr. Simonis, fr. Orlandi fabri, fr. Bernardi galigarii, fr. Ranuccini lanaroli, fr. Bencivenni hospitalarii, fr. Ianuarii et fr. Iacopi, conversorum eiusdem monasterii ibidem degentium, et ipsi monachi et conversi cum eo simul previdentes et cognoscentes utilitatem et melioramentum ipsius monasterii et totius Ordinis sui, gratificantes ratificaverunt, gratum et firmum atque ratum habuerunt eorum et totius Ordinis sui nomine contractum permutationis seu concambii factum dudum et habitum super monasterio S. Fortunati Tudertin. tunc Ordinis Vallisumbrose, cum ecclesia S. Michaelis de Fontanellis et eius pertinentiis inter d. Bonifacium tunc abbatem dicti mon. S. Fortunati et fratres Laurentium et Lucam de Ordine fratrum Minorum, sicut apparet de ipsa permutatione seu concambio in instrumento publico manu Bassi notarii tunc Camere d. Pape confecto. Item approbaverunt etc. absolutionem etc. quam etc. fecit dictus abbas Bonifacius dictis fr. Laurentio et fr. Luce etc. de mille libris sibi promissis pro additamento ipsius permutationis etc. pro se suisque successoribus etc.

In cuius rei testimonium memorati Abbas et conventus ad maiorem firmitatem hoc instrumentum fecerunt eorum sigillorum munimine roborari.

Ad hec fuerunt testes magister Buor filius olim Iacobi de Cascia et Rugerius filius Benvenuti de Monte Mugnario et Grumpa quondam Venute (?) et Benvenutus filius Albizi de Monte Mugnario predicto et Cambr. quondam Vicini de le Curti, presentibus etiam fr. Paulo et fr. Simone de Ordine Minorum ad hec missis.

Datus not. filius Iacobi. — Ottavianus not. — Bonaccursius not. — Guicciardus not.

XV, 47, fasc. A, n. 8, f. 4v-5r. — *Exemplum ut supra.*

554.[7] *1292, 11 maii.*

* *In nomine Domini, amen. Anno eiusdem MCCXCII, ind. V, tempore d. Nicolai pape quarti, die XI maii.*

Actum Tuderti in via publica infra domos infrascriptas et domos quas possidet mag. Fidantia Friderici, pp. Gilio d. Battiste, Tinaccio Tomassi et Antonio Donado, Rustecello Maynardi, Hemgillo Massoli, Tudinello Guarducci et Chello Angellarii.

D. Beseverina uxor olim Todini Angellarii Carboni, tutrix Blaxioli sui filii et filii olim dicti Tudini, ut dixit apparere manu Nicolai Abadegni,

pro medietate, et Beraldutius Petrucoli pro alia medietate, pro pretio quingentorum et quinquaginta libr., 60 nec non den. cort. (1), *confessi fuerunt se recepisse et habuisse cum effectu vere solutionis a Ciano actu syndaco et procuratore conventus loci fratrum Min. S. Fortunati de Tuderto solvente pro dicto conventu, de pecunia eiusdem conventus; eidem syndico pro dicto conventu nomine proprio et in perpetuum dederunt, vendiderunt et iure proprio concesserunt quasdam domos et unum casalinum stans iuxta predictas, posit. in civitate Tuderti in regione Collis.*

Andreas Iacobi d. Ranaldi, qui alio nomine vocatur Robba de Tuderto, not.

XV, 47, fasc. A, n. 15, f. 7v-8r. — *Exemplum ut supra.*

544.[8] *1292, 12 iulii.*

* *In nomine Domini, amen. Anno eiusdem MCCLXXXXII, die 12 iulii.*

Rugerius Tudertinus de regione Camucie sponte pro pretio centum quadraginta octo libr. den. cort., quas confessus fuit se in veritate cum effectu vere solutionis habuisse et recepisse a d. Hermanno d. Petri, ut syndico et procuratore conventus fratrum Min. loci S. Fortunati de Tuderto, solvente pro dicto conventu de pecunia dicti conventus et eiusdem conventus vice et nomine pro commodo et utilitate dicti conventus et maxime pro opere ecclesie S. Fortunati ipsorum Fratrum et conventus, cum sine re infrascripta lapides necessarii pro dicta ecclesia fodi et cavari non possint nec haberi, cum cava ipsorum lapidum prestaret magnum impedimentum rei infrascripte et ob hoc ipsa cava impediri possit; dedit, vendidit et iure proprio in perpetuum habere concessit medietatem pro indiviso unius molendini... quod molendinum est in Amata... possit ipse syndicus pro dicto conventu quoties et quando necesse et opportunum fuerit et quoties ei placuerit ampliare...

Hoc autem actum est Tuderti in locis domorum d. Hermanni Petri, presentibus etc.

Andreas Iacobi d. Ranaldi, qui alio nomine vocatur Robba de Tuderto, not.

XV, 47, fasc. A, n. 16, f. 8r. — *Exemplum ut supra.*

554.[9] *1294, 8 iulii.*

* *In nomine Domini, amen. Anno 1294, die 8 iulii.*

Convocato et adunato capitulo et conventu mon. S. Angeli de Fontanellis siti prope Tudertum in capitulo dicti monasterii, de mandato d. Iacobi abbatis ipsius monasterii, ut moris est; in quo quidem capitulo predictus Abbas de voluntate et consensu infrascriptorum fratrum suorum dicti monasterii existentium in dicto capitulo, scilicet d. Matthei, d. Ioannis de Feucchio et d. Ioannis de Florentia monachorum, et fr. Angeli conversi dicti monasterii, unanimiter et concorditer nomine et vice dicti monasterii et pro ipso monasterio iure permutationis, proprietatis et concambii dederunt

(1) Sic.

et proprio ore concesserunt Ciano Acti, syndaco et procuratori romane Ecclesie constituto pro commodo et utilitate fratrum Minorum loci S. Fortunati de Tuderto, omnes et singulas res, iura et actiones dicti monasterii; que res, bona et iura expediunt ipsis Fratribus et conventui pro construendo novo opere loci ecclesie S. Fortunati, quam ipsi de novo edificant ad presens etc.

Loca ipsorum Fratrum, scilicet quedam casalina posit. Tuderti in regione Collis etc. Item quoddam aliud casalinum posit. in dicta regione etc. Item quoddam aliud casalinum posit. in dicta regione etc. Et quod liceat eidem Ciano Acti sindaco etc. pro commodo et utilitate Fratrum dictas res concessas etc. capere, habere etc.

Andreas Iacobi not.

XV, 47, fasc. A, n. 17, f. 8v. — *Exemplum ut supra.*

554.[10] *1311.*

**In nomine Domini, amen. Anno eiusdem 1311. Actum Tuderti in claustro loci fratrum Minorum de S. Fortunato de Tuderto etc.*

Religiosus vir fr. Paulus de Spoleto Custos fratrum Minorum Ordinis b. Francisci in custodia que vocatur custodia Tudertina, auctoritate cuiusdam privilegii bone memorie d. Martini pape IV (quod privilegium ego notarius infrascriptus et vidi et diligenter inspexi cum serico et vera bulla), inspecta et considerata necessitate, utilitate et commodo conventus fratrum Minorum loci S. Fortunati de Tuderto, nominavit Covaccium Bezaluti, Polellum Guidarcii et Mannocium Borelli absentes et quemlibet eorum in solidum, ad faciendum et operandum omnia et singula que in ipso privilegio continentur, pro commodo, utilitate et necessitate conventus predicti loci S. Fortunati.

Cuius privilegii tenor talis est:

Martinus *etc.* Exultantes *etc.* anno secundo (¹).

Andreas Iacobi d. Ranaldi, qui alio nomine vocatur Robba de Tuderto, not.

XV, 47, fasc. A, f. 1v-2. — *Exemplum typis editum.*

554.[11] *1319, 15 decembris.*

Anno MCCCXIX, ind. II, tempore d. Ioannis pape XXII, die XV decembris.

Actum in capitulo fratrum Min. loci S. Fortunati de Tuderto, presentibus etc.

Marcellus Bartolomei sive Mantelotii de regione Vallis, sanus corpore et mente etc. legavit: Item conventui fratrum Minorum de Tuderto XXV lib. den. cort. Item conventui Minorum de Tuderto C solidos pro opere ecclesie. Item conv. fratrum Min. de Tuderto pro una cappella edificanda in ecclesia S. Fortunati ad honorem b. Bartholomei apostoli,

(¹) Bulla scil. sub nostri elenchi nr. 203 recensita.

que vocetur cappella S. Bartholomei, medietatem pro indiviso unius sue petie terre posit. in territorio Ville de Loppis.

Ego Andreas Iacobi d. Ranaldi not.

XV, 47, fasc. A, n. 18, f. 8v-9r. — *Exemplum ut supra.*

554.[12] *1331* (1), *18 decembris.*

Ioannes miseratione divina S. Theodori diaconus cardinalis, apostolice Sedis legatus, ven. in Christo patri episcopo et vicario, ac religiosis viris Predicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini et Servorum sancte Marie prioribus et guardianis seu eorum vicegerentibus de civitate Tuderti salutem in Domino.

Gratiam indulgentie liberaliter per nos factam communi civitatis predicte nuper ad obedientiam sancte matris Ecclesie revocato ad singulares personas ipsius largissime in quantum opus est contingat extendi, circumspectioni vestre, qua fungimur auctoritate, presentium tenore committimus, quatenus universas et singulas personas tam mares quam mulieres, clericos et personas ecclesiasticas ac religiosos dicte civitatis et eius diocesis, que excomunicationis, suspensionis, irregularitatis, privationis et interdicti sententias incurrerunt, per processus sanctissimi patris et d. n. d. Ioannis pape XXII habitos et promulgatos contra Ludovicum ducem olim Bavarie ac fratrem Petrum de Corbaria antipapam de heresi sententialiter condemnatos, eorumque receptatores, fautores, complices et sequaces et quocumque modo et qualitercumque predictis de causis incurrerunt vel eorum aliquem incurrisse noscantur, ad mandata Ecclesie redire veraciter cupientes, absolvatis a dictis sententiis; et super irregularitate etiam dispensetis hac vice tantum in forma Ecclesie consueta, iniuncta eis et cuilibet eorum pro modo culpe penitentia salutari, adiecto tamen specialiter et expresse, ut si, quod absit, reinciderint, deinceps in easdem relabantur sententias ipso facto.

Datum Narnie decimoquinto kalendas ianuarii 1326, anno quintodecimo.

XV, 47, fasc. A, n. 19, f. 9r. — *Exemplum ut supra.*

554.[13] *1340, 18 februarii.*

* *Domini Priores populi Tudertini, de mandato Ioannis Bernardi Prioris Priorum predictorum, ordinaverunt infrascriptos ad infrascripta peragenda et quemlibet eorum in solidum; et intelligantur esse sindici et procuratores super bonis, rebus et iuribus, relictis et donatis fratribus Minoribus S. Fortunati de Tuderto et aliorum locorum diocesis Tudert. eorumque ecclesiis.* [*Nomina desunt syndicorum qui asseruntur esse quinquaginta septem*].

Martinus q. Iacobutii de Tuderto not.

XV, 47, fasc. A, n. 20, f. 93v. — *Exemplum ut supra.*

---

(1) Anno 1331 correspondet annus XV pontificatus Ioannis XXII. Exempli datum erroneum certo est. Ad rem cf. ALKG I, 158-164; L. Fumi, *Eretici e ribelli nell' Umbria* (*Biblioteca Umbra*, n. 6), Todi, s. a., 126ss.

554.[14] *Saec. XIV.*

* *De potestate et balia infrascriptorum syndicorum et procuratorum Fratrum conventus S. Fortunati et aliorum conventuum Ordinis fratrum Min. Tudertine diocesis. Rubr. 5, dist. 5.* [*Omittitur, quia nihil novi addit numero praecedenti*].

Ib. n. 21, f. 9v-10v.

554.[15] *1381, 4 maii.*

* *Anno MCCCLXXXI, ind. IV, die IV maii. Acta Tuderti in palatio dd. Priorum populi Tudertini.*

Albertus Filunbat. et Andreas Bollinii de Roffurlis de Florentia locumtenentes d. Stephani comitis Palatini Reni Bavarie ducis ac Tuderti domini generalis et Priores populi Tuderti ad utilitatem, commodum, augmentationem et favorem ecclesie S. Fortunati patroni dicti Communis fecerunt infrascriptos homines procuratores ecclesie S. Fortunati [*desunt nomina, quae dicuntur esse numero centum*].

Ib. n. 22, f. 10v-11r.

554.[16] *1509, 21 aprilis.*

Leonardus de Ruvere miseratione divina Basilice duodecim Apostolorum de Urbe presbyter Card. etc., Perusie Umbrieque Sedis apostolice Legatus de latere, dilectis nobis in Christo Paschino ser Bernardini et Farulfo ser Iacobi can. ecclesie Tudertine, salutem in Domino sempiternam etc.

Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum in Christo Guardiani, Fratrum et conventus S. Fortunati Ordinis S. Francisci Tudertin. civitatis petitio continebat, quod cum ipse conventus et fabrica eiusdem habeant nonnulla bona stabilia in diversis locis sita ipsi conventui et fabrice parum utilia etc., que si permutarentur cum aliis bonis stabilibus magis utilibus profecto id cederet in evidentem utilitatem dicti conventus et fabrice eiusdem; quare pro parte dictorum Guardiani, Fratrum et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis in premissis de benignitate apostolica providere dignaremur.

Nos igitur, qui cunctarum ecclesiarum et conventuum etc. commodum et utilitatem sinceris desideramus affectibus etc., huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestre, auctoritate apostolica nobis concessa etc., tenore presentium committimus, quatenus de premissis vos coniunctim legitime informetis et si per huiusmodi informationem vobis constiterit predicta cedere in evidentem utilitatem dicti conventus et eius fabrice etc. predicta bona stabilia permutandi cum aliis magis utilibus iisdem Guardiano et Fratribus et conventui licentiam concedatis et facultatem etc.

Datum Tuderti, anno 1509, XI kalendas maii etc.

Galeatius - A. Morelli.

Ib. n. 23, f. 11r.

554.[17] *1619-1768.*

** Haec est copia decretorum factorum a rev.mis patribus Generalibus et adm. rev. patribus Visitatoribus et Commissariis gen. nec non ordinariis Provincialibus Ord. S. Francisci Min. Conventualium, descriptorum in pluribus libris authenticis mihi exhibitis per adm. rev. p. mag. Aloysium Ortis Guardianum in hoc conv. S. Fortunati Tuderti.*

1619, 20 aprile. — Il p. maestro Ambrogio Nanni d'Assisi (1) *nella sagra Visita ordinò...*

1621, 17 giugno. — Il p. m. Domenico da Bari Visitatore gen. ordinò...

1626, 29 genn. — Il p. m. Felice Vallo (2) *Provinciale...*

1628, 29 giugno. — Il p. m. Francesco dalla Amatrice (3) *Provinciale...*

1631, 6 dec. — Il p. m. Egidio d' Assisi (4) *Provinciale in Visita...*

1631, 10 dec. — Il p. m. Fabio Serio da Monte Reale Commissario gen. in Visita...

1633, 23 febr. — Il p. m Egidio d' Assisi Provinciale...

1635, 1 luglio. — Il p. m. Francesc' Angelo da Castel S. Angelo Provinciale (5) *in Visita ordinò... che si facci raggiustare l' organo; che la croce di cristallo dell' altare de' Corpi Santi si custodisca in sagrestia tra l' argenteria, e se ne facci un' altra pel detto altare...*

1699, 8 ott. — Il p. m. Felice Corraducci di Montefalco (6) *ordina...*

1703, 16 genn. — Il p. m. Bonaventura Baccioni (7) *Visitatore gen....*

1711, 14 luglio. — Il p. m. Francesco Maria Gradi da Spoleto (8) *Min. prov....*

1712, 3 ott. — Il p. m. Agostino Antonio Dati (9) *Min. prov....*

1720, 30 apr. — Il p. m. Carletti (10) *Min. prov....*

1725, 5 luglio. — Il p. m. Gio. Francesco Fanciulli (11) *Min. prov.*

1768, 23 ott. — Il p. m. Rossi Generale (12) *in Visita ordinò...*

Aloysius Domenichetti not. Tudertinus.

Ib. n. 28, f. 12r-13v.

---

(1) Minister prov., 1618-21: Bartolomasi, *Serie* cit., 34. Iuxta nostram hanc brevem Seriem, Bartolomasi passim corrigendus est.

(2) Bartolomasi, 35, annos tantum 1624-5 ei assignat.

(3) Bartolomasi, l. c., anno 1689 Provincialatum eum incipientem facit.

(4) Item Bartolomasi, l. c., non ante ann. 1632.

(5) Bartolomasi, 36, ann. 1635-8.

(6) Bartolomasi, 40; Min. prov. ann. 1697-1700.

(7) P. Papini in margine: *Era di Firenze.*

(8) Bartolomasi, 41, inter ann. 1706-9 eum ponit.

(9) Bartolomasi, l. c., ann. 1712-5.

(10) Franciscus Antonius Carletti a Perusio. Deest apud Bartolomasi, l. c., qui hisce annis, 1718-21, eum a secretis et Assistentem prov. facit.

(11) Bartolomasi, l. c., ann. 1724-7.

(12) Dominicus Andreas Rossi. Min. gen. ann. 1765-71: Benoffi, *Compendio*, 322s.

554.[18] *1773-78.*

[*Procurator conventus S. Fortunati Tudert. in causa contra Communitatem Tudert. anno 1773 Romae erat p. m. Antonius Martinelli Consultor S. Officii*].

Ib. n. 31, f. 20v.

* [*Pessimam administrationem Rectorum fabricae ante an. 1773 attestantur et confirmant die 24 et 27 febr. 1776 subscripti Patres conventus:*] *fr. Luigi Ortis Guardiano, fr. Giacomo Angeli reggente, fr. Francesco Antonio Maccari, fr. Domenico Cerasoli, fr. Domenico Antonio Lattanzi.*

Ib. nn. 32, 33, f. 23r-26r.

[*Idem testatur die 26 febr. 1776 ex « Roma SS. Apostoli » fr. Michael Angelus Angelini Min. Conv., « essendo stato in più volte Guardiano del conv. di S. Fortunato di Todi »*].

Ib. n. 34, f. 26rv.

[*Ingentes expensas factas a conventu pro manutentione ecclesiae post mensem iulium 1773 exponit et subsignat diebus 3 et 10 febr. 1778 « Fr. Domenico Cerasoli Guardiano »*].

Ib. nn. 35-39, f. 26v-31v.

556. *1772, 24 novembris.*

Clemens papa XIV, ad perpetuam rei memoriam.

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, supplicationibus quoque dilecti filii *Nicolai Scandalibeni* fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Procuratoris generalis (¹) nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus et singulis confratribus et consororibus confraternitatum sub titulo seu denominatione Funiculi S. Francisci, sive chordigerorum etiam nuncupatarum, opera Ministri generalis praefati Ordinis in ecclesiis seu publicis oratoriis, saltem per tria milliaria ab ecclesiis eiusdem Ordinis dissitis canonice tam erectarum quam imposterum quandocumque erigendarum, qui propriam respective ecclesiam seu capellam vel oratorium illis diebus, in quibus memorati Ordinis ecclesiis aliqua indulgentia ab apostolica Sede generaliter usque nunc concessa et posthac concedi contigerit, singulis annis devote visitaverint, aliaque ad easdem indulgentias lucrandas iniuncta opera peregerint, ut eas omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur si iisdem diebus saepedicti Ordinis ecclesias personaliter et devote visitarent, misericorditer in Domino concedimus.

(¹) Ann. 1771-74: Benoffi, *Dei Procuratori* etc., 44.

Omnium vero et singularum confraternitatum huiusmodi, etiam in ecclesiis praefati Ordinis, ut praefertur, erectarum confratribus et consororibus, ut cunctas omnesque indulgentias, quibus ratione proprii instituti fruuntur, etiam animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint elargimur.

Eosque praeterea amplioris gratiae dono prosequi volentes; si et quando ab aliqua corporis infirmitate aliove legitimo impedimento detenti fuerint, quominus ecclesias seu capellas vel oratoria in quibus similiter erectae extiterint, pro indulgentiarum praedictarum consecutione visitare queant, ut eas lucrari valeant perinde ac si ecclesias ipsas personaliter et devote visitarent (dummodo tamen reliqua ad easdem indulgentias lucrandas iniuncta opera adimpleverint), auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Universis denique et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere etiam poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis seu capellis vel oratoriis praedictarum confraternitatum saltem per tria milliaria ab ecclesiis fratrum dicti Ordinis, ut praemittitur, dissitis, ac tam erectarum quam deinceps similiter erigendarum, die festo S. Francisci de Assisio a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum *etc.* preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate et tenore praedictis impertimur.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die XXIV novembris MDCCLXXII, pontif. nostri anno quarto.

A. card. Nigronus.

XV, 49. — *Exemplum auth. typis editum.*

559. *1806, 2 septembris.*

Dilecto filio nostro Ioseph, S. R. E. diacono cardinali Albani nuncupato,

PIUS PAPA VII.

Dilecte fili noster, salutem etc.

Quum, sicut accepimus, collegium missionum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, quae a religiosis viris Ordinis fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, S. Antonii nuncupatorum, administrantur,

peculiari nunc providentia opus habere dignoscatur; Nos, ut omnia firmiter constituantur, quae ad rectam collegii ipsius administrationem, regimen ac institutum pertineant, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium eidem Congregationi praepositorum consilio te, dilecte fili noster, in visitatorem apostolicum praefati collegii auctoritate apostolica tenore praesentium deputamus ac constituimus, tibique plenam et amplam potestatem facimus atque tribuimus mandandi executioni apostolicas litteras seu rescripta, quibus coenobia quaedam suppressa itemque bona aliquot redditus ac iura eidem collegio sunt assignata, cum ineundi seu iniri faciendi super eisdem bonis quoscumque contractus ex quibus maiorem collegii utilitatem haberi iudicaveris; praeterea excipiendi etiam redditionem rationum ab iis omnibus qui praedicti collegii ac bonorum administrationem hactenus gesserunt, nec non cognoscendi de peracta vel omissa satisfactione piorum legatorum, ac decernendi, prout de iure, adversus eos quorum culpa eadem satisfactio omissa fuerit, demum cognoscendi quoque de singulorum iuribus; ac de causis quibuscumque ad idem collegium pertinentibus, ac postremo constituendi ea omnia quae ad rectam formam administrationis et regiminis eiusdem collegii spectant, ea scilicet ratione, quam Missionum bono iuxta romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ac memoratae Congregationis mentem magis in Domino expedire censueris.

Mandantes propterea universis et singulis ad praedictum collegium quomodolibet pertinentibus, ut te in eiusdem collegii visitatorem apostolicum, sicut praefertur, per Nos deputatum ac institutum reverenter suscipiant et habeant, tibique in cunctis mandatis tuis, quae res collegii huiusmodi respexerint, humiliter obsequantur et pareant: alioquin sententias quas rite tuleris et poenas quas statueris in refractarios ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Decernentes insuper easdem praesentes litteras etc. obtinere tibique plenissime suffragari, ac ab iis ad quos spectat ac spectabit pro tempore omnimode observari, sicque etc. iudicari etc. attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac collegii ipsius praememorati (?) etiam etc. statutis etc. innovatis; quibus omnibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die II septembris MDCCCVI, pontif. nostri anno septimo.

XV, 52. — *Exemplum non authenticum.*

565.[1] *1262, 4 septembris.*

In nomine Domini, amen. Anno eiusdem MCCLXII, ind. V, tempore d. Urbani pape quarti, die IV° intrante septembri.

Ego d. Balvina abbatissa monasterii S. Marie de Monte Lucido simul cum sororibus Monialibus ipsius loci, videlicet sororibus Gregoria, Ugolina, Iohanna, Magdalena, Francisca, Benvenuta, Agatha, Massaria, Beatrice, Gabriella, Bartolomea, Agnesucia, Ambrusiana, Humilia, Auria, Victoria, Iacopella, Cecilia, Alumenata, Ysabet, Clara, Thomassucia, Taducia, Bartholucia, Luciola, Angela, Clara, Maria de Neapoli, Marina, Maria d. Pape, Simonecta, Margarita de Fulgineo, Barbara, Marina de Castello, Margarita de Urbe veteri, Bonasera, Francisca antiqua, Agnete, Filippa, Iohanna, Margarita, Clarastella, Mansueta, Gregoria, Humili donni Tudini, Helya, Hostia, Phylipucia, Paula, Aluminata fratris Nigri, Aluminata de Corciano, Cecilia, Clara, Anna, Benvenuta et Daniella: cum sanctissimus pater et dominus noster d. Urbanus papa quartus quamdam ordinationem inter Ministros et fratres Ordinis Minorum et personas nostri Ordinis super statu personarum ipsarum duxerit faciendam, prout inferius continetur, huiusmodi ordinationem gratam habentes, illam quantum in nobis est ratificamus, acceptamus ac etiam approbamus, ipsamque presencium tenore promictimus tibi fr. Angelo Perusino (1) *lectori sti-*

(1) Probabiliter hic idem est ac fr. *Michael Angelus de Perusio,* qui anno 1278 Minister prov. erat: Bartolomasi, *Serie* cit., 14; cf. infra sub nr. 566[1], not. 1.

pulanti et recipienti nomine predicti Ordinis fratrum Minorum perpetuis temporibus inviolabiliter observare nec unquam contravenire.

Tenor autem ordinationis eiusdem talis est:

Urbanus *etc.* Inter personas *etc.* anno primo.

In testimonium autem huiusmodi ratificationis et approbationis ac promissionis sigillum nostrum presentibus duximus apponendum.

Facta fuit hec ratificatio, acceptatio, approbatio et promissio in ecclesia S. Marie de Monte Lucido, coram d. Bencevene Trovalveri, d. Marsiliocto d. Iohannis beccarii, Mafeo Peri, Nigro Bendofende, Hermanno Nichole, Gratiano Petri et Mafutio Vivoli tt. rogatis.

(S. T.) *Et ego Bonicellus, apost. auctoritate iudex et not., predicte ratificationi, acceptationi, approbationi et promissioni interfui, et ut superius legitur de voluntate dictarum dominarum et rogatus scripsi et autenticavi.*

Instr. II, 24. — *Originale. In dorso:* De aliquibus condicionibus servandis a Monialibus cum promissione earundem rev.mo Generali facta.

565.[2] *1262, 16 septembris.*

In Dei nomine, amen. Anno Domini MCCLXII, tempore d. Urbani pape quarti, die XVI intrante septembri, ind. V.

Hoc quidem tempore d. Francessca abbatissa monasterii S. Marie inter Angelos de Spoleto Ordinis S. Damiani una cum Monialibus monasterii eiusdem, scilicet: Elena, Inluminata, Phylippa, Katarena, Amata, Benedicta, Marina, Andrea, Lucia, Thomassa, Iacoba, Iohanna, Paula, Soffia, Barthela, Plasede, Clara, Paula, Cecilia, Iohanna, Margarita, Annese, Andrea, Letitia, Felicita, Pacifica, Christina, Mathia et Andrea; cum sanctissimus pater et dominus noster d. Urbanus papa quartus quamdam ordinationem inter Ministros et fratres Ordinis Minorum et personas nostri Ordinis super statu personarum ipsarum duxerit faciendam, prout inferius continetur, nos ordinationem huiusmodi gratam habentes, illam quantum in nobis est ratificamus, acceptamus ac etiam approbamus, ipsamque presencium tenore promictimus perpetuis temporibus inviolabiliter observare nec unquam contravenire.

Tenor autem ordinationis eiusdem talis est:

Urbanus *etc.* Inter personas *etc.* anno primo.

In testimonium autem huiusmodi ratificationis et approbationis ac promissionis sigillum nostrum presentibus duximus apponendum.

Hoc actum fuit apud dictum monasterium ante portam, coram Giperio Petri, Rainerio Venture de Montefranco, Lorentio Martini de Betone et Agura Rainuci de S. Antimo tt. ad hec vocatis et rogatis.

(S. T.) *Ego Iacobus Andree not. hiis omnibus interfui et rogatu predictarum Abbatisse et Monialium dicti monasterii hec omnia scripsi et plubicavi et in plubicam formam redegi.*

Instr. II, 25. — *Originale. In dorso:* Ordinatio quedam inter Ministros et Fratres et Moniales S. Marie inter Angelos Spoleti, Ord. S. Clare ».

566.[1] *1267, 19 maii et 1278, 19 septembris.*

Clemens *etc.* Clara merita *etc.* anno primo.

Anno (¹) *a nat. MCCLXVII, ind. I, die XIII exeunte mense maii.*

Cum comune Asisii vellet hospitale in onorem Dei et utilitatem pauperum edificare in burgo dicte civitatis extra portam S. Francisci iuxta domum inferiorem d. Bruni infra [h]as signaytas, cui a I domus et ortus dicti d. Bruni, a II via per quam ytur ad portam que est iuxta domum Criscii Benvençonis, a III via per quam ytur ad S. Petrum sub Asisio, et in dicto loco dictum hospitale facere non posset occasione cuiusdam indulgentie concesse Fratribus b. Francisci seu loci S. Francisci per summum Pontificem; ideo fr. Illuminatus (²), *Minister provincialis totius amministrationis provincie b. Francisci, auctoritate sibi concessa a Fratribus dicti loci, dedit licentiam et liberam potestatem Ubertino d. Nepolionis syndico comunis Asisii dictum hospitale infra dictas signaytas edificare predicto Comuni, dummodo domus dicti hospitalis non possint fieri ab angulo domus predicti d. Bruni, neque a dicta via per quam ytur ad portam que est iuxta domum Criscii superius, neque cum ipso hospitali vel domibus ipsius venire ad stratam per quam ytur ad S. Franciscum, neque in ipso hospitali facere ecclesiam vel oratorium sine consensu Fratrum loci S. Francisci. Quam concessionem per dictum fr. Illuminatum factam dictus syndicus nomine dicti Comunis acceptavit et promisit sub pena mille libr. den. et obligatione bonorum dicti Comunis.*

Actum in burgo S. Francisci ante domum Andree Cantosti Assisii, pp. d. Attone capit. populi et comunis Assis., Iacobo d. Caserdonii, Piçonto Iohannis, Passare Petri, Punto d. Iohannis et Pagano d. Raynerii tt.

Anno MCCLXXVIII, ind. VI, die XII exeunte semptembri.

Congregato Consilio generali et speciali tam populi quam comunis civ. As[sisi]i, rectoribus, sindicis artium et consulibus mercatorum civ. Assisii in palatio dicti Comunis; in quo Consilio d. Fantisinus de Matelica iudex dicti Comunis, de mandato d. Andree de Calandrinis vicarii in dicta civitate per d. Petrum Sundum de Tostis proconsulem romanorum potestatem civitatis predicte, et presente et volente d. Gallico vicario d. Vite de Anania capitaneo populi dicte terre, proposuit quod ipsi Consilio placeat, cum ecclesia beati Franc. et ipsius capitulum habeant a summo Pontifice privilegium speciale.

Lecto in eodem Consilio et audito a me notario infrascripto, quod nulla ecclesia, oratorium, monasterium vel hospitale construatur longe a dicta ecclesia seu loco b. Francisci vel infra per trecentas cannas, et quod longe a dicto loco seu ecclesia per dictam mensuram per aliquam ecclesiasticam seu secularem personam edificari non possint nec debeant, et quod nullus nec aliquis de dicta civitate vel districtu audeat vendere, per-

(¹) Sub regesti forma.

(²) De Theate in Aprutio; Bartolomasi, *Series* cit., 13. Postea, ut infra, episcopus Assisii, 1273-†1280 vel 1281: Eubel, *Hierarchia,* I¹, 114.

mutare, donare nec alienare nec alio quocumque modo concedeve alicui speciali persone, clerico neque laico vel Ordini nec alicui loco religioso vel seculari aliquas domos, casalena nec terrenum aliquod in quo possit edificari aliquis ex dictis locis vel aliquis alius locus ecclesiasticus; et si quis contrafaceret puniatur per Potestatem et Capitaneum et perpetuo de ipsa civitate et comitatu Asisii exbanniatur, nec a condempnatione possit aliquatenus appellari; et quod predicta omnia habeantur pro stantiamento et ordinamento populi et Comunis; et quod contra predicta non possit in posterum per aliquem officialem Comunis proponi nec consilium reformari nec etiam per aliquem arengari, pena C libr. den.; et predicta omnia fuerunt proposita et etiam reformata ad petitionem ven. patrum d. fr. Illuminati episc. Assis. et Ministri provinc. (¹) *Ordinis fr. Min. et Custodis loci eiusdem b. Francisci Assinat.; facto partito, placuit toti Consilio, nemine discordante, secundum quod in dicta propositione plenius continetur.*

Actum in palatio comunis Asisinat., pp. d. Tudino d. Ioannis, Latino Valerii, Francisco d. Leonardi, Iohanne Beraldi, Egidio de Lone, Nicholao Iacobi, Angelo Cognoscentis et Angelo mag. Raynerii, tt.

Instr. II, 29. — *Originale. In dorso:* Quod nulla persona de Assisio possit vendere vel donare aliquam domum alicui religioso de Ordine [...].

567.[1] *1322, 2 decembris.*

* *In nomine Domini, amen. Hoc est exemplum cuiusdam instrumenti syndacatus seu procurationis cum die et consule, scriptum manu Angeli d. Raynerii not., cuius tenor talis est:*

In nomine Domini, amen. Anno eiusdem a nativitate millesimo tricentesimo sexto decimo, ind. quartadecima, tempore d. Ioannis pape vigesimi secundi, die II decembris, Fr. Andreas d. Farcate (²), *Custos Fratrum b. Francissci de Asisio, ex auctoritate sibi et Ministris et Custodibus Ord. b. Franscissci concessa per privilegium ss. patris olim bone memorie d. Niccolay pape IV, in quo continetur quod quecumque persone nominate fuerint ab ipsis Ministris et Custodibus essent legitimi procuratores, syndici, yconami, actores et legitimi administratores dicti Ordinis et Fratrum eiusdem Ordinis ad omnia et singula facienda et procuranda et exercenda pro dicto Ordine et Fratribus dicti Ordinis, de quibus fit mentio in privilegio et copia ipsius privilegii infrascripta; ideo dictus religiosus vir fr. Andreas Custos predictus nominavit et fecit in suum et dicti Ordinis et nomine et vice omnium Fratrum sue Custodie et in ipsa Custodia residentium et in locis et pro locis ipsius Custodie mag. Paulum mag. Guidonis Uguictionis presentem et hoc mandatum sponte suscipientem, non recedendo propterea ab aliis procuratoribus, syndicis, yco-*

(¹) Eo anno Minister prov. erat fr. *Michael Angelus de Perusio:* Bartolomasi, *Serie* cit., 14; cf. supra nr. 565¹, not. 1.

(²) « De Galliano castro Hydruntino in regno Neapolitano ». Postea, ann. 1328-31, Minister prov.: Bartolomasi, *Series* cit., 17.

namis, actoribus et administratoribus factis et nominatis per dictum Custodem, sed potius confirmando, ad omnia facienda et exercenda in curiis et extra curias in dicta sua Custodia et pro locis et Fratribus ipsius Custodie et causis et negotiis eorum, prout in ipso privilegio continetur et in copia ipsius privilegii infrascripta, suum verum et dicti Ordinis et Fratrum omnium et singulorum commorantium in custodia b. Francisci procuratorem, factorem, syndicum, yconamum, administratorem et legitimum responsalem ad omnia facienda et libere exercenda que in dicto privilegio continentur.

Cuius privilegii tenor talis est:

Niccolaus *etc.* Religionis favor *etc.* anno tertio.

Que lictere bullate erant bulla plumbea pendenti cum seta çalla et rubea et in ipsa bulla erant [*etc.*].

Qui fr. A n d r e a s *Custos predictus, auctoritate dictarum licterarum sibi et aliis concessa Ministris et Custodibus dicti Ordinis a dicto summo Pontifice, nominavit et fecit suum et dicti Ordinis et Fratrum dicti Ordinis in tota sua Custodia et Provincia sibi commissa dictum mag. Paulum, ut dictum est supra, procuratorem, syndicum, actorem, yconamum, administratorem et responsalem in omnibus litibus et questionibus que ipse et dicti Fratres sue Custodie habent et habituri sunt cum quibuscumque personis tam in agendo quam defendendo in curiis et extra curias dicte Provincie et coram offitialibus ipsarum curiarum, ad omnia et singula que fuerint opportuna et que in dicto privilegio continentur, promictens dictus Custos ratum et firmum habere quicquid per dictum mag. Paulum factum fuerit in predictis et circa predicta et quolibet predictorum, sub obligatione bonorum dicte ecclesie b. Francissci.*

Actum Asisii apud ecclesiam dicti b. Francissci in claustro ipsius ecclesie, pp. Niccolò Gentilutii et fr. G i l i o M a r c l o n i *de Ordine Minorum et Ciccolo Massioli Petri Mençoni et Andrutio Pucii Gregorii tt. rogatis.*

Ego Angelus magistri Raynerii auct. imp. not. hiis omnibus interfui rogatus, scripsi et autenticavi.

Ego Niccola mag. Thome de Asisio imp. auct. not., prout inveni in dicto instr. manu dicti Angeli not. scripto, ita hic fideliter exemplavi et dictum exemplum una cum mag. Iacobo Çutii not. de Asisio abscultavi ipsumque cum suo originali concordare inveni; ideo de mandato, licentia et auctoritate d. Guidonis de Corte iudicis maioris summe causarum civilium civ. Asisii meumque singnum apposui consuetum. Qui iudex per d. Baleonem Phylipputii de Perusio potestatem civ. Asisii suam et comunis Asisii auctoritatem interposuit anno MCCCXXXIII, ind. I, die XVI ianuarii, ad bancum iuris, sub porticu palatii comunis Asisii, pp. Nanne Coci, mag. Iohanne Cecce et Iolo d. Iuncte de Asisio nott.

Instr. III, 26. — *Exemplum auth.* — *In dorso:* « Instrumentum procuratorium mag. Pauli mag. Guidonis ».

569.[1] *1374, 10 octobris - 15 novembris.*

1. * *Infrascripta* (¹) *sunt acta actitata in causa vertenti inter d. fr. Thomam episc. Assisinat.* (²) *canonicos, capitulum et conventum maioris ecclesie Ass. et ecclesiarum curatarum rectores civ. et districtus Ass. ex una parte agentes, et Fratres, capitulum et conventum loci S. Francisci de Assisio ex altera parte deffendentes, coram d. Nicolao episc. et principe Firmano, generali auditore et ad infrascripta commissario rev.mi d. Geraldi abbatis maioris monasterii Turon. vicarii infrascripti etc., nec non testimonia inducta pro parte dictorum Fratrum super infrascriptis articulis et eorum dicta et attestationes, scripta et publicata manu mei Anthonii not. infrascripti sub MCCCLXXIIII, ind. XII, sub diebus, locis et mensibus infrascriptis.*

2. *Geraldus, Dei gratia abbas maioris monasterii Turon., alme Urbis, patrimonii S. Petri in Tuscia, ducatus Spoletan., Campanie, Maritimeque provinciarum nec non Perusin. et nonnullarum civitatum et terrarum romane Ecclesie in Italia consistentium pro d. nostro Papa et eadem Ecclesia in temporalibus vicarius generalis, rev. in Christo patri et d. d. Nicolao episc. Firman. salutem in Domino.*

Dilectorum in Christo Fratrum, capituli et conventus loci b. Francisci de Assisio Ordinis Min. oblata nobis petitio continebat quod ipsi ex antiqua et absque interruptione servata consuetudine contra episcopum, ecclesiam catredalem, canonicos et capitulum et alias parochiales ecclesias civ. Assis. earumque rectores legitime prescribente legatorum et relictorum ecclesie, capitulo et conventui seu Fratribus dicti loci factorum a defunctis qui apud locum eumdem mandaverunt eorum corpora seppelliri et funeralium quorumcumque, preter medietatem cere que data fuit eis in funeribus predictorum, ipsis rectoribus et ecclesiis non solverunt canonicam portionem, non credentes dicte prescriptionis vigore ad exsolvendum eis aliquid nisi prout premictitur se teneri. Cum autem Fratres, conventus et capitulum supradicti, tam propter mortem antiquorum quorumdam vitam nunc in humanis agentium qui sunt de premissis plenarie informati, quam ipsorum absentiam, dubitent ne futuris temporibus eis subtrahatur facultas probandi consuetudinem memoratam, si quo tempore eam probandi onus eis incumberet, nobis humiliter suplicarunt ut, ne veritas negotii huiusmodi occultetur et probatio ex premissis et aliis fortuitis casibus non deficiat memo-

---

(¹) Ne geminorum documentorum eiusdem argumenti prius ineditum, alterum vero incompletum remaneat, neve facti notitia manca habeatur, huius causae de quarta portione funeralium inter Clerum Assis. et Fratres Minores sacri Conventus actae prius quoque Registrum, quod nullam Bullam continet, alteri praemitto; utriusque partes numero distinguens, quas inter, quae ad regestorum rationem contractae sunt, asterisco praenotantur. Verba a me addita inter uncos quadros inseruntur.

(²) Thomas Racani de Amelia, iam Min. prov. S. Francisci 1368-69; episc. Assis. 1369-† non ante 1375 (cf. infra nr. 569²): Bartolomasi, *Series*, 19; *Disamina*, 288s.; Eubel, *Hier.*, I, 114. De eo cf. etiam AFH X, 249-59.

rata, dictorum testium receptionem et examinationem ad perpetuam rei memoriam dingnaremur commictere alicui probato viro. Nos igitur petitioni eorum suplici annuentes, auctoritate qua fungimur paternitati vestre, de qua obtinemus in Domino fiduciam singularem, commictimus et mandamus quatenus, hiis quorum interest evocatis, testes per Fratres producendos eosdem ad iuramentum recipientes, ipsos super predictis examinare cum diligentia studeatis, ad publicationem ipsorum et alios actus legitimos, prout vobis suadebit iustitia, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iuditii processuri; super quibus omnibus vobis concedimus plenam et liberam facultatem.

Datum Perusii die X octobris, pontif. d. Gregorii XI anno IV.

G. abbas Turonensis.

* *Die XVII octobris. Exhibita fuit littera commissionis, d. Nicolao episc. et principi Firmano per fr.* L u d o v i c u m *de Assisio* (1) *fratrem dicti Ordinis, qui petiit super contentis in dicta littera procedi.*

3. * *Nicolaus episc. Firmanus, auditor generalis et ad infrascripta commissarius, rev. d. episcopo Assis., canonicis et capitulo aliisque eccl. parochialium rectoribus civ. Assis. et omnibus aliis quos infrascriptum tangit negotium salutem in Domino sempiternam.*

Noveritis nos litteras commissionis recepisse, vid.:

« *Geraldus* [*etc. ut supra n.* 2]... *G. abbas Turon.* ». *Nos igitur vos et vestrum quemlibet monemus, requirimus et citamus, quatenus die iovis XVIIII mensis predicti post Vesperas, in civ. Assis., in loco monasterii S. Petri comparere curetis ad videndum iurari testes, quos nobis percipere placuerit et ipsos testes deponere super interrogationibus per nos fiendis. Datum Perusii, die XVIII octobris MCCCLXXIV.*

Die XX oct. Dominicus Iohannis de Perusio nuntius retulit d. Auditori et michi not. infrascripto se litteras suprascripti tenoris presentasse.

4. * *Nicolaus episc. et princeps Firmamus comissarius* [*etc.*], *fr.* S i m o n i *Lelli* (1), *fr.* I a c o b o *mag. Francissci* (2), *fr.* S t e f f a n o *domine Pacis* (3), *fr.* I a c o b o *Iannis* (4), *fr.* P e t r o *Iannis* (5), *fr.* I o h a n n i *Ioli* (6), *fr.* T h o m e *de Bivilio* (7), *fr.* A n g e l o *Golati, fr.* A n g e l o *Accetello, fr.* V a n g n o l o *Lippi* (8), *fr.* N i c o l a o *Santutii* (9), *et fr.* A n g e l o *de Prato, fratribus loci b. Francissci de Assisio; rev. d.* [T h o m e] *episc. Assisinat., canonicis, capitulo et conventui ecclesie Assisinat, singulisque ecclesiarum parochialium civ. Assisii rectoribus, salutem et sinceram in Domino caritatem.*

---

(1) Ludovicus mag. Francisci, postea, ann. 1378 ex parte Clementis VII, episc. Assis.: Eubel, *Hier.*, I, 114; *Disamina,* 292; Wadd., *Annales,* an. 1376, n. 8: VIII, 332.

(2) AFH VII, 340; Alessandri L., *Inventario dell'antica biblioteca del Conv. di S. Francesco d'Assisi, compilato nel 1381.* Assisi 1906, p. 3, 139.

(3) Alessandri, *Inventario,* 3, 140; Wadd., *Annales,* an. 1376, n. 8: VIII, 333.

(4) AFH VII, 340. (5) AFH VII, 338. (6) AFH VII, 339.

(7) AFH VII, 338; *Inventario,* 3, 149. (8) *Inventario,* 3.

(9) AFH VII, 340. (10) *Inventario,* 3. Inter testes non amplius recensetur.

Tenore presentium vos Fratres citamus, quatenus die sabbatina proxime ventura IIII nov. coram nobis personaliter comparere curetis ad iurandum et testimonium veritati perhibendum; vosque episcopum, canonicos nec non rectores, quatenus in dicto termino coram nobis personaliter comparere curetis ad videndum iurari dictos testes. Datum Perusii in domo nostre solite residentie, die ultima octobris MCCCLXXIV.

Die prima nov. Dominicus nuntius predictus retulit se dictos testes et alios citasse et personaliter eisdem litteras suprascripti tenoris presentasse.

5. * *Die IV novembris. Comparuit Petrutius Bicci de Assisio, sindicus et procurator Fratrum, capituli et conventus loci b. Francisci de Assisio, coram d. Auditore et produxit petitiones et articulos super quibus petiit iurari testes et examinari. Quorum tenor talis est:*

Coram vobis d. Nicolao episc. Firmano narrat et exponit Petrutius Bicci de Assisio contra d. Thomam episc. Assisii et contra canonicos [etc.], *quod iam sunt L anni et ultra et ab ipso tempore citra multi et infiniti homines et parochiani dictarum ecclesiarum elegerunt sepulturam apud ecclesiam b. Francisci et in dicta ecclesia eiusque cimiterio fuerunt sepulti. Dicit etiam quod predicti parochiani in eorum testamentis multa legata reliquerunt dicte ecclesie, quandoque legando simpliciter et indistincte, quandoque ad certos usus et pro fabrica ecclesie prelibate vel pro Missis dicendis. Dicit tamen quod de omnibus obventionibus relictis tam de funeribus quam de quibuscumque et quomodocumque relictis, etsi canonica portio que de talibus per dictos Fratres dictis ecclesiis solvi debeat foret quarta portio de iure comuni taxata, tamen consuetudo antiqua legitime tunc viguit et viget in dicta civitate et districtu quod pro predicta canonica portione per dictos Fratres solvenda de omnibus obventionibus dictis ecclesiis et etiam episcopo et ecclesie catredali, solvatur ecclesie catredali et dictis ecclesiis medietas cere tantum que cum funere talium decedentium defertur tempore quo eorum corpora ad dictam ecclesiam defferuntur. Dicit etiam quod dicta consuetudo potest legitime probari per testes qui veritatem sciunt, et quod dicti Fratres timent de morte et absentia testium predictorum, presertim propter mortalitatem et pestem que viget et viguit in partibus predictis. Quare petit per vos infrascriptos testes recipi, et ad probationem ponit capitula infrascripta:*

I. Et primo quod ecclesie S. Ruffini, eccl. S. Marie episcopatus, eccl. S. Petri de Assisio, eccl. S. Pauli de Assisio, eccl. S. Agate, eccl. S. Marie de Rosa, eccl. S. Laurentii, eccl. S. Savini, eccl. S. Anthonii, eccl. S. Andree, eccl. S. Margarite, eccl. S. Stefani, eccl. S. Nicolai, eccl. S. Gregorii, que sunt in civ. Assisii;

in comitatu: eccl. S. Ruffini, eccl. S. Petri de Lucignano, eccl. S. Angeli de Oliveto, de plebatu S. Rufini;

eccl. S. Tecle, eccl. S. Angeli de Rochiciola, eccl. S. Angeli de Roccha, eccl. S. Laurentii de Torrita, eccl. S. Petri de Petrignano, eccl. S. Gregorii de Podio, eccl. S. Angeli de Bivilio, eccl. S. Fortunati de Clesina, eccl. S. Blaxii de Clesina, de plebatu S. Tecle;

eccl. S. Marie de Costano, eccl. S. Bartholomei, eccl. S. Iohannis de Acera, de plebatu S. Gostantii;

eccl. S. Venantii, eccl. S. Marie de Lulglano, eccl. S. Iohannis de Pacassato, eccl. S. Marie de Capotrecassio, de plebatu S. Venantii;

eccl. S. ... Capudaque, eccl. S. Iohannis de Grallano, eccl. S. Angeli de Gabbiano, plebatus Capudaque; fuerunt et sunt parochiales per tempus L annorum et ultra, recte et gubernate per rectores.

II-VI. Item quod dicte ecclesie habuerunt curam parochianorum, qui divina audierunt officia in dictis ecclesiis et ecclesiastica receperunt sacramenta a rectoribus.

VII-X. Item quod per predicta tempora L annorum multi parochiani elegerunt sepulturam apud ecclesiam S. Francisci; (VIII) in dicta ecclesia et cimiterio fuerunt sepulti; (IX) multa legata fecerunt; (X) (que) obvenerunt dicte ecclesie.

XI-XII. Item quod per dictum tempus continue prefuerunt sacriste, Custodes, Guardiani et Vicarii ecclesie b. Francisci; (XII) ad (quorum) manus pervenerunt omnia legata relicta ecclesie, Fratribus et capitulo.

XIII-XV. Item quod Custodes, Vicarii vel sacriste dederunt rectoribus medietatem cere tantum que defferebatur, pro canonica portione; (XIV) (quam) rectores dictarum ecclesiarum receperunt et remanserunt contenti pro omni eorum canonica portione talium legatorum; (XV) et per ipsum tempus (hec) est consuetudo.

XVI-XVIII. Item quod Custodes [etc.] *dederunt prefate ecclesie catredali medietatem cere que defferebatur cum funere parochianorum, pro omni canonica portione, et de dicta medietate fuerunt contenti episcopi, canonici et capitulum, (XVII) et per ipsum tempus (hec) viguit consuetudo; (XVIII) et de predictis est publica vox et fama.*

Nomina testium: fr. Simon Lelli de Assisio, fr. Iacobus mag. Francissci de Bictonio, fr. Stefanus domine Pacis, fr. Iohannes Ioli, fr. Angelus de Prato, fr. Iacobus Iannis, fr. Petrus Iannis, fr. Angelus Accetellus, fr. Vagnolus Lippi, fr. Thomas de Bivilio, fr. Angelus Golati.

6. * *Die IV novembris. Constituti personaliter coram dicto d. Auditore suprascripti citati fratres Symon, Iacobus, Angelus, Petrus, Vagnolus, Thomas et Angelus Golati, iuraverunt ad sancta Dey evangelia dicere et testimonium veritati perhibere super dictis articulis, presenti dicto Petrutio, et absente parte tamen citata ut supra.*

Dicto die. Qui Petrutius sindicus, cum fr. Stephanus domine Pacis, fr. Iacobus Iannis et fr. Angelus Acetellus citati non sint habiles ad comparendum et sint infirmi, petiit per d. Auditorem commicti uni cui placet sibi examinationem ipsorum et iuramentum. (Que) d. Auditor commissit michi Anthonio not. infrascripto.

Dicto die. Ser Iacobus Ientilis de Perusio procurator d. episcopi Assis., canonicorum et totius cleri Assis., ut patet manu mey Anthonii not., comparuit coram d. Auditore contra Fratres et non affirmans aliquem procuratorem esse dictorum Fratrum et non consentiens in d. Auditorem si

procedit tamquam commissarius; si tamquam arbiter, consensit; et petiit copiam omnium predictorum.

7. * *Die VI novembris. Comparuerunt ser Iacobus Ientilis et d. Franciscus, non revocando dictum ser Iacobum procuratores suprascripti, coram d. Auditore et quasdam scripturas et exceptiones produxerunt. Quibus d. Auditor, visis ipsis non obstantibus, dixit se ad examinationem dictorum testium processurum. Qui procuratores sentientes se gravatos, viva voce appelarunt ad summum Pontificem, reservato eis benefficio appelandi in scriptis, et petierunt, causa appellationis pendente, ad ulteriora non procedi.*

Quarum exceptionum tenor talis est:

Coram vobis d. Nicolao ep. Firmano excipit et proponit ser Iacobus Ientilis de Perusio substitutus a d. Francisco Putii et dictus d. Franciscus contra Fratres S. Francisci de Assis. et Petrutium Bicci de Assis., qui se dicit eorum sindicum, et contra petitionem productam per dictum Petrutium et contra articulos.

I. Et primo quia non constat dictum Petrutium esse legitimum sindicum predictorum nec habere legitimum mandatum; et si habet, petit in iudicio exhiberi.

II. Item quia vos, d. episcope Firmane, non estis iudex competens predictorum, quia predicta commissio fuit impetrata tacita veritate et expressa falsitate pro parte dictorum Fratrum.

III. Item quia, posito sed non concesso quod consuetudo de qua in dicta commissione fit mentio fuisset, tamen non esset rationabilis sed esset contraria iuri.

IV-V. Item quia prefati Fratres non possunt pro re aliqua temporali in iudicio comparere, (V) nec sunt capaces nec in speciali nec in comuni, secundum ipsorum regulam et declarationes Pontificum et Canonum, eorum que in dicta commissione continentur, immo eorum voto et professioni repugnat.

VI. Item quia d. episc. Assisien. et predecessores sui semper receperunt, quando eis placuit, de legatis factis dictis Fratribus quartam canonicam portionem, ipsis Fratribus scientibus et non reclamantibus.

VII. Item quia d. Thomas episc. tempore impetrati dicti rescripti erat et adhuc est in posessione vel quasi percipiendi dictam can. portionem.

VIII-X. Item quia dicta petitio est inepta, (IX) veritate caret (X) ac nullum competit ius predictis contra quos excepitur.

XI-XV. Item et alia ratione predicti testes non debent recipi: quia sunt Fratres professi loci et Ordinis supradicti, non debent se absentare, nec sunt valetudinarii nec senes, nec debet verisimiliter de eorum morte timeri, nec sunt ydonei testes cum sint testes in causa propria.

XVI. Item, posito quod vos, d. episcope Firmane, essetis iudex competens, tamen in dicta causa non potestis nec debetis procedere summarie, simpliciter [etc.] *nisi vobis esset a d. Papa specialiter concessum. Et ideo procedi debet via ordinaria.*

XVII-XVIII. Nomina testium quorum nomine (sic) *excipitur sunt hec: fr. Symon Lelli de Assisio, fr. Iacobus mag. Francissci de Bic-*

tonio, fr. Stefanus *domine Pacis de Assisio, fr.* Iohannes *Ioli de Assisio, fr.* Angelus *de Prato de Assisio, fr.* Iacobus *Iannis de Assisio, fr.* Petrus *Iannis de Assisio, fr.* Nicolaus *Santutii de Assisio, fr.* Angelus *Accetellus de Assisio, fr.* Vagnolus *Lippi de Assisio, fr.* Thomas *de Bivilio de Assisio, fr.* Angelus *Golati de Assisio.*

8. * *Die VIII dicti mensis. Constituti coram d. Auditore ser Iacobus et d. Francisscus appelaverunt in scriptis ad d. Gregorium papam XI et d. Geraldum abbatem maiorem mon. Turon. vel alterum ipsorum.*

Cuius appellationis tenor talis est:

Existentes d. Franciscus Putii, plebanus eccl. S. Gostantii Assis. dioc., et ser Iacobus Ientilis de Perusio coram d. Nicolao episcopo Firmano in domo sue solite residentie, sita in civ. Perusii in porta s. Angeli et parochia S. Martini de Viridario, scientes se enormiter lesos et gravatos a quadam denegatione citationis fiende de infrascripto Petrutio, qui deberet comparere ad videndum productionem quarumdam exceptionum et a reiectione et non admissione infrascriptarum exceptionum et a declaratione et pronuntiaptione per d. episc. Firman. lata contra episc. et clerum antedictum, in qua procedere intendebat ad examinationem testium inductorum, ad d. Gregorium XI et ad d. Geraldum abb. maiorem mon. Turon. in his scriptis recurrunt, provocant et appelant, et apostolos (1) *petunt instantissime sibi dari, protestantes quod, hac appellatione pendente, nil debeat innovari, submtttentes se sub defensione summi Pontificis.*

In primis repetunt omnes exceptiones iam coram vobis propositas: quarum exceptionum tenor talis est.

I-XVIII [*Repetuntur quae supra n.* 7 *habentur*].

XIX-XX. Item quia vos, d. episcope Firmane, procesistis contra ius et perperam et inique et quolibet iuris ordine pretermisso, et ex arupto et non admissis, non examinatis et discussis dictis exceptionibus.

XXI. Item et ultimo proponunt et protestantur omnes alias causas gravaminum et nullitatum que ex vestro inordinato processu colligi possent.

Interposita fuit dicta appellatio, pp. d. Francissco Guidutii de Eugubio canonico Firmano et Petro Cichini de Tuderto tt.

Cui appellationi d. Auditor ob reverentiam Sedis apostolice et d. Abbatis detulit.

Dicto die et hora. Qui d. Auditor statuit et prefixit terminum dictis procuratoribus X dierum ad acipiendum apostolos predictos.

9. * *Die XI nov. Constituti personaliter coram me Anthonio not. fr.* Stefanus *domine Pacis, fr.* Iacobus *Iannis et fr.* Angelus *Acetellus Fratres Ord. Min. loci b. Francissci de Assisio, in camera Custodis dicti loci, iuraverunt ad sancta Dey evangelia dicere et veritati testimonium perhibere.*

10. * *Die XIIII novembris post vesperas. D. Auditor, visis dictis testibus et eorum attestationibus et toto processu, Christi nomine invocato, interloquendo pronumptiavit dictum processum dictosque testes et adtestationes*

(1) *Apostoli,* vox iuridica = dimissoriae litterae ad testandam appellationem concessae: Ducange, s. v.

fore aperta et publicata et pro apertis et publicatis haberi voluit, et mandavit michi notario ut de predictis iuste petentibus copiam tradam, dictisque testibus et eorum dictis et adtestationibus per universos et singulos ea inspecturos fidem perpetuam adhiberi omni modo, via et iure quibus melius de iure potuit et debuit.

11. * *Die XV dicti mensis. Constituti coram d. Auditore d. Franciscus et ser Iacobus procuratores prefati elegerunt et declaraverunt se velle dictam causam prosequi coram dicto d. Abbate vicario etc.*

Dicto die et hora. Dicti procuratores petierunt eis dari et adsignari appostolos predictos. Quibus procuratoribus d. Auditor dedit et asignavit pro appostolis et in appostolos acta superius in dicta causa actitata per dictas partes.

12. * *Tenor dictorum testium et eorum dictorum et adtestationum inferius denotatur, videlicet:*

Fr. Simon Lelli de Assisio Ord. S. Francisci, testis iuratus, dixit quia vidit [etc. *contenta in dictis articulis*] *per tempus L annorum.*

Fr. Thomas de Bivilio Ord. b. Francisci, testis iuratus, dixit quia vidit [etc.] *per tempus XL annorum.*

Fr. Vagnolus Lippi Ord. S. Francisci, testis iuratus, dixit quia vidit [etc.] *per tempus L annorum.*

Fr. Angelus Golati, testis iuratus, dixit quia vidit [etc.] *per tempus XLVI annorum.*

Fr. Petrus Iannis, testis iuratus, dixit quia vidit [etc.] *per tempus XL annorum.*

Fr. Angelus de Assisio, testis iuratus, dixit quia vidit [etc.] *per tempus L annorum.*

Fr. Iacobus mag. Francissci de Bictonio, testis iuratus, dixit quia vidit [etc.] *per tempus L annorum.*

Fr. Iohannes Ioli de Assisio, testis iuratus, dixit quia vidit [etc.] *per tempus L annorum.*

Fr. Stefanus domine Pacis, testis iuratus, dixit quia vidit [etc.] *per tempus XL annorum.*

Fr. Iacobus Iannis, testis iuratus, dixit quia vidit [etc.] *per tempus XLIIII annorum.*

Fr. Angelus Acetellus, testis iuratus, dixit quia vidit [etc.] *per tempus L annorum.*

[*Ad articulum XII omnes responderunt:*] *quod consuetudo fuit in dicta ecclesia b. Francissci, et nunc est, quod ad manus Sacriste dicte ecclesie perveniant omnia legata, omnes obventiones et etiam funeralia relicta dicte ecclesie, Fratribus et capitulo ipsius; exceptis denariis et pecunia numerata, qui et que pro tempore predicto pervenire consueverunt ad manus Guardianorum et Custodum altaris dicte ecclesie.*

Anthonius ser Cicchi Bonoli de Eugubio not. et scriba dicti d. Auditoris. (S. T.).

Instr. saec. XIII-XVI, 1374, 10 octobris. — *Originale. Fasc. chart. mm. 300×223, f. 52.*

569.[2] *1374, 12 decembris - 7 maii 1375.*

Copia registri in causa Assisii pro parte Minorum.

1. ** Anno a nat. D. MCCCLXXIV, ind. XII, die martis XII decembris, pontif. Gregorii XI anno IV.*

Rev.mus d. Petrus S. Eustachii dyac. cardinalis retulit michi Reginaldo Bonbeleti de S. Hilario, clerico Rimen. dioc., not. scribeque suo, quod hodie d. Papa causam appellationis, nullitatis et negotii contentam in cedula inferius inserta sibi vive vocis oraculo commisit audiendam et fine debito terminandam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, mandans michi ut omnia et singula in actis meis scriberem.

Acta sunt hec Avinione in hospitio habitationis dicti d. Cardinalis, pp. dd. Petro de Chamberthaco dicti d. Card. camerario et Amadeo de Lacu licentiato in legibus et pluribus aliis tt.

Tenor cedule talis est:

2. *Beatissime pater. Cum devoti oratores vestri Fratres et conventus b. Francisci de Assisio Ord. Min., non obstante quod sint in plena concordia cum ecclesia maiori et omnibus parochialibus ecclesiis civ. et dioc. Assisii, satisfecerintque et satisfactionem integram de canonica portione rectoribus dictarum omnium parochialium ecclesiarum, prout actenus a LX*[a] *annis citra et ultra fieri est consuetum et observatum inter eos pacifice et quiete ac alias concordatum cum penis et promissionibus etiam iuramento firmatum, et sic et taliter quod dicti rectores in nullo molestant dictos Fratres et conventum; tamen per rev. patrem d. Episcopum Assisinatem, ut dicitur, nomine suo dumtaxat molestantur noviter, qui pretendit sibi deberi, ultra antiquam prescriptam et approbatam consuetudinem et conventionem et etiam formam iuris, multa que ad eum minime spectare noscuntur, ymo quod plus pretendit sibi deberi quartam de relictis dicto conventui et per eos qui in dicto conventu minime sepulturam elegerunt; propter que, salvo semper iure nullitatis, fuit pro parte dictorum Fratrum et conventus a dicto d. Episcopo ad sanctam vestram Sedem apostolicam et vestram Sanctitatem legitime appellatum.*

Dignetur igitur eadem Sanctitas vestra causam et causas huiusmodi appellationum, nullitatis et totius negotii principalis coniunctim seu divisim commictere uni ex rev.mis patribus dd. S. R. E. Cardinalibus, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, audiendi, cognoscendi et fine debito terminandi cum omnibus et singulis emergentibus, incidentibus, dependentibus et connexis et cum potestate citandi in Curia et extra Curiam et ad partes dictum d. Episcopum et generaliter alios qui sua putaverint interesse, et semel et pluries, quando et quotiens opus erit. Non obstante quod cause huiusmodi non sint ad romanam Curiam legitime devolute seu in ea de sui natura tractande, presertim quia dicti Fratres non sperant in partibus posse consequi iustitie complementum.

3. ** Die veneris XV dec. Prefatus d. Cardinalis retulit michi Reginaldo Bombeleti not. quod d. Papa hodie vive vocis oraculo sibi commisit cau-*

sam et causas in cedula, cuius tenor inferius est insertus, contentas et iuxta cedule tenorum terminandas. Acta [ut supra], pp. [ut supra]. Tenor cedule talis est [idem ut supra].

Anno MCCCLXXV, ind. XIII, die martis II ian. Ioffredus Petri porterius dicti d. Cardinalis retulit michi not. predicto se de d. Card. mandato et ad instantiam procuratoris Fratrum et conventus predictorum hodie peremptorie citasse fr. Bartholomeum Vannis de Assisio rectorem parochialis ecclesie S. Iohannis de Bivilio procuratorem dictorum episcopi et canonicorum maioris ecclesie Assisinat. et aliorum ad primam diem proxime futuram qua dictus d. Card. pro tribunali sedebit.

Die lune VIII ian., pontif. d. Gregorii XI anno quinto. Comparuit in iudicio coram dd. abbate Lesacen. et Egidio Bellemere, auditoribus generalibus dicti d. Card., hora vesperarum in loco solito pro tribunali sedentibus fr. Ludovicus mag. Francisci de Assisio Ordinis b. Francisci et Laurentius Petrucii de Assisio procuratores Ministri, Fratrum et conventus b. Francisci de Assisio et quoddam procurationis instrumentum, cuius tenor inferius est insertus, produxerunt et substituerunt magistros Manfredum de Feraria presentem, Bertoldum de Maclzerende, Ludovicum de Forlivio, Matheum Vanis de Fabriano et Anthonium de Parma in romana Curia procuratores, transferentes in eos totaliter vices suas, prout in substitutionis instrumento, cuius tenor inferius continetur, latius est descriptum.

Et ibidem comparuit ex adverso in iudicio fr. Bartholomeus Vannis procurator d. Episcopi Assisinat. et aliorum, et quoddam instrumentum procurationis, cuius tenor inferius est insertus, exhibuit, et nichilominus etiam contra supradictam commissionem obtentam pro parte dictorum Ministri, Fratrum et conventus quandam exceptionum cedulam, cuius tenor inferius est insertus, ibidem produxit.

Tenores vero dictorum instrumentorum tales sunt:

4. * *Anno D. MCCCLXXIV, ind. XII, die XIX octobris. Convocato capitulo fratrum Min. sacri loci b. Francisci de Assisio in capitulo solito ipsius loci de mandato fr. Petri de Sora* ([1]) *Ministri fratrum Min. prov. b. Francisci et fr. Iohannis de Casali Albo Custodis dicti loci; in quo capitulo interfuerunt predictus fr. Petrus Minister, fr. Iohannes Custos, fr. Symon Lelli, fr. Petrus Ceccarelli, fr. Iohannes Ceccaroni, fr. Thomas Victorini, fr. Petrus Iannis, fr. Stephanus dompne Pacis, fr. Benedictus Accursini* ([2]), *fr. Lucas Francisci* ([3]), *fr. Iohannes Ioli, fr. Petrus Anthonii* ([4]), *fr. Angelus Golati de Assisio, fr. Nicolaus Dominici, fr. Franciscus Petrucii, fr. Angelus Vencarelle, fr. Franciscus Massiarelli* ([5]), *fr. Mathiolus Nucii,*

([1]) Min. prov. ann. 1370-76: Bartolomasi, *Series* cit., 19ss., Wadd., *Annales*, 1376, n. 17: vol. VIII, 336.

([2]) *Inventario,* 3, 149; cf. Bullam sub nostri elenchi nr. 275.

([3]) *Inventario,* 3; AFH VII, 338. ([4]) *Inventario,* 3, 140, 149.

([5]) AFH V, 690; cf. sub nostri elenchi nr. 275.

fr. Paulucius Petrucii, fr. Iohannes Andree, fr. Thadeus Iacobi, fr. Angelus Lucii, fr. Cecchus Ciopti (1), *fr. Nicholaus Santucii, fr. Pace Iacani de Assisio* (2), *fr. Iacobellus mag. Rugerii de Campobasso* (3), *fr. Iacobus mag. Francisci de Bittonio, fr. Iohannes Martini lector dicti conventus, fr. Iacobus Bitti de Saxoferrato baccalarius, fr. Thomas Ade de Anglia, fr. Angelus Angelonis de Monteleone* (4), *fr. Farolfus mag. Andree de Amelia, fr. Bartholomeus Mucii de Ancona, fr. Iohannes Armanni de Colonia, fr. Nicolaus Vicentii de Francia, fr. Iohannes Acturimbone de Fulgineo, fr. Guilielmus de S. Tiberio, fr. Iohannes Columbi de Francia* (5), *fr. Lucas Vannis de Saxoferrato, fr. Benedictus Diambonini de Grocta, fr. Bartholellus Vannis de Bitonio* (?), *fr. Iohannes de Rygo, qui sunt due partes et ultra Fratrum existentium et residentiam facientium in dicto loco, et faciunt et representant capitulum dicti loci.*

Qui Minister et Custos una cum dictis Fratribus auctoritate specialis previlegii apostolice Sedis dicto conventui concessi bulla plumbea bullati cum litteris sic dicentibus: NICOLAUS PAPA IIII (6), *fecerunt adque creaverunt eorum, dicti capituli et conventus sindicos, procuratores, actores, factores et nuntios speciales fr. Ludovicum mag. Francisci de Assisio Ordinis b. Francisci presentem et Laurentium Petrucii de Assisio absentem, nec non fr. Benedictum Accursini de Assisio presentem, in causa quam habent cum Episcopo Assisin. et cum qualibet alia persona. Ad agendum* [etc.], *unum et plures procuratores loco ipsorum sostituendum; dantes in predictis dictis eorum sindicis, in solidum liberum et generale mandatum, sub ypotheca et obligatione omnium bonorum dicti conventus.*

Acta sunt predicta in civ. Assisii in loco sacro Ordinis Min. b. Francisci, in capitulo dicti loci, pp. Victorino Massioli, Nicolucio Vannis, Alegreto et Benedicto Baroncini de Assisio tt.

Iohannes Pelloli de Assisio not.

5. * *Anno a nat. D. MCCCLXXV, ind. XIII, die VIII ian. Fr. Ludovicus mag. Francisci de Assisio, procurator Ministri, Fratrum et conventus b. Francisci de Assisio* [*et Laurentius Petrucii de Assisio*], *habentes in mandatis unum vel plures procuratores loco sui substituendi, substituerunt magg. Manfredum de Feraria presentem, Bertoldum de Maclzerende, Ludovicum de Forlivio, Matheum Vannis de Fabriano et Anthonium de Parma absentes, trasferentes in eos et eorum quemlibet totaliter vices suas ad omnia et singula que a dictis Ministro, Fratribus et conventu habuerunt in mandatis.*

---

(1) AFH VII, 336. (2) AFH VII, 339, ubi definitive legendum est *Iacani* pro *Iacomi;* cf. sub nostri elenchi nr. 275.

(3) *Inventario,* 3; cf. sub nostri elenchi nr. 275.

(4) *Inventario,* 3. Num sit idem ac fr. *Angelus de Monteleone* socius fr. *Paulucii de Trinciis,* nescio: cf. Wadd., *Annales,* an. 1368, n. 13: VIII, 210.

(5) Videsis Wadd., *Annales,* an. 1376, n. 14: VIII, 334.

(6) Est Bulla sub nr. 567 nostri elenchi recensita.

Acta sunt hec Avinione in hospitio habitationis dicti d. Cardinalis et coram dd. Abbate Lesacen. et Igidio Bellemere auditoribus, anno, die, mense quibus supra, pp. d. Iohanne Richer presbitero et Gerardo de Gutheren clerico Traiecten. dioc. tt.

Reginaldus Bombeleti de S. Hilario clericus Remen. dioc. not.

6. * *Anno D. MCCCLXXIV, ind. XII, die III decembris. Acta sunt hec omnia infrascripta in civ. Assisii apud episcopatum in camera magna dicti episcopatus, cui undique sunt res dicti episcopatus, pp. fr. Ludovico Prudentii de Assisio, Sylvestro Andree de Cannario, Paulo de Adversa tt.*

Rev. d. fr. Thomas de Amelia s. Theologie magister, episcopus Assisin., nomine suo et sui episcopatus, et insuper d. Nicolaus d. Iohannis de Assisio, d. Lambertus Pucii de Assisio, d. Franciscus Nini de Assisio, d. Theobaldus Pucii de Assisio et d. Lucas Cole de Amelia, canonici maioris ecclesie S. Ruphyni de Assisio, ipsorum nomine et capituli ipsius ecclesie; dn.[1] *Vannis d. Pangnonis de Cingulo, dn. Franciscus Lelli de Assisio et d. Iohannes Angeli de Assisio, canonici ecclesie S. Marie maioris de Assisio, ipsorum nomine et capituli ipsius ecclesie; fr. Symon Bartoli prior ecclesie S. Pauli de Assisio, fr. Iohannes Pantis de Assisio plebanus plebis Capudaque, dn. Christofanus Mangiantis de Assisio rector ecclesie S. Anastasii de Valechio, dn. Ventura Cole de Assisio rector eccl. S. Marie Rosarum de Assisio, d. Lucas Loli de Assisio rector S. Silvestri de Petrongiano, dn. Christofanus Ciccoli de Assisio rector eccl. S. Laurentii de Assisio, d. Iohannes Ciccoli de Assisio rector eccl. S. Stephani de Assisio, fr. Franciscus Vannucii de Assisio rector eccl. S. Iohannis de Strata ecclesie, fr. Angelus Pauli de Assisio rector eccl. S. Iohannis de Grellano, d. Iohannes Massei de Assisio rector eccl. S. Savini de Costa, d. Angelus Cichi de Assisio rector eccl. S. Laurentii de Castronovo, d. Iohannes Petri de Assisio plebanus plebis S. Tecle, fr. Martinus Boccaccioli de Assisio rector eccl. S. Fortunati de Clasina, d. Iohannes Balducii de Assisio rector eccl. S. Petri de Lucilliano, dn. Franciscus Patringiani de Assisio rector eccl. S. Gregorii de Tunba, d. Petrus Mercati de Assisio rector eccl. S. Thome de Assisio, d. Iacobus Petrucii de Assisio rector eccl. S. Petri de Petringiano, dn. Francischinus Massioli de Assisio rector eccl. S. Angeli de Bivilio, dn. Franciscus Vannis Maruzopte rector eccl. S. Gregorii de Podio, dn. Bartholus Pucii de Assisio rector eccl. S. Laurentii de Torrita, fr. Michelinus Silveri de Assisio rector eccl. S. Andree de Assisio, dn. Iohannes Salis de Assisio rector eccl. S. Blaxii de Claxina, dn. Angelus Christiani de Assisio rector eccl. S. Petri de Costano, dn. Christofanus Pucii de Assisio rector eccl. S. Anzonini de Assisio, fr. Gregorius Boccaccioli de Assisio rector eccl. S. Antolini de Assisio, dn. Iohannes Martini de Assisio rector eccl. S. Nicolay de Podeplatee*

---

(1) d. = dominus; dn. = dompnus. Cum nomina tum personarum tum locorum ter, hic et sub nr. 10 et 17 ab extero notario sint transcripta, passim manifeste erronee, saepe eadem prorsus diverso modo; ego in hoc unico quem refero elencho, eam formam seligo quae vel bis saltem repetitur vel cum etiam nunc usitatis nominibus magis consentanea est.

de Assisio, dn. Fabianus Vannis de Bictonio rector eccl. S. Marie de Costano, dn. Angelus Lucii de Assisio rector eccl. S. Anthonii de Assisio, dn. Lucas Massioli de Assisio rector eccl. S. Benedicti de Satriano et dn. Franciscus Pucii de Assisio plebanus plebis S. Constantii, omnes ipsorum nomine et suarum omnium ecclesiarum fecerunt et creaverunt eorum sindicum, procuratorem ac ydoneum responsalem fr. Bartholutium Vannis de Assisio, rectorem eccl. S. Iohannis de Bivilio, presentem, in causa quam habent cum Fratribus, capitulo et conventu ecclesie S. Francisci de Assisio et aliorum locorum dicti Ordinis comunitatis Assisii et generaliter cum qualibet alia persona ecclesiastica et seculari in curia summi Pontificis, et generaliter in qualibet alia curia, ad agendum [etc.], *promittentes se ratum habere quidquid per dictum sindicum gestum fuerit, sub ypotheca et obligatione omnium singulorum suorum bonorum.*

Nicolaus q. Thome mag. Thome de Assisio not. et nunc notarius et officialis dicti d. Episcopi et sue curie.

Dictis anno, mense, die et loco, fr. Bartholucius sindicus et procurator predictus substituit loco sui Bartholomeum Franciscini mag. Angeli de Assisio absentem, ad omnia et singula que dictus fr. Bartholucius supra habet in mandatis.

Actum Assisii in supradicto loco, pp. Andrea Vangnoli de Assisio et Nofrio Bartholucii de dicto loco tt.

Nicolaus q. Thome mag. Thome de Assisio notarius predictus.

7. * *Fr. Bartholucius Vannis de Assisio rector et procurator* [*qui supra*] *contra commissionem vobis d. Petro S. Eustacii dyac. card. ad instantiam Fratrum S. Francisci de Assisio factam excipit; expressit enim falsum, dum dixit quod dicti Fratres erant in concordia cum dictis canonicis et rectoribus, et alias talis est quod nullo modo est admittenda.*

Die martis XVI ianuarii. Supradictus d. Cardinalis retulit michi Reginaldo Bombeleti not. quod heri supra d. Papa sibi commisit causam decidendam, prout in prima cedula superius inserta sibi commissum extiterat et prout etiam in cedula, cuius tenor inferius est insertus, petitum et supplicatum extitit.

Acta sunt hec Avenione in hospitio [*ut supra*], *pp. d. Iohanne de Bessaco canonico Agennen. et fr. Nicolao Tediosi et pluribus aliis tt.*

Tenor commissionis seu supplicationis cedule talis est.

8. * *Pater beatissime. In causa commissa d. Petro S. Eustacii dyac. card. ad instantiam Fratrum S. Francisci vestre civ. de Assisio Ord. Min. contra fr. T h o m a m d e A m e l i a episc. Assisin. productum est unum mandatum pro dicto Episcopo et canonicis eccl. cathedralis et eccl. S. Marie de episcopatu Assisin., etiam nomine cappellanorum earum ecclesiarum ac rectorum parochialium ecclesiarum, et aliis personis ecclesiasticis in ipso mandato nominatis. Verum cum ipsi omnes videantur velle facere partem cum dicto Episcopo, et in dicta commissione non sit aliquid commissum contra nominatos post episcopum predictum, cum ipsi Fratres crederent se esse in concordia cum ipsis, prout fuit usque nunc; ideo E. S. V. pro parte dictorum Fratrum supplicatur quatenus omnes causas que vertuntur*

inter dictos Fratres super quarta funeralium ex una et quoscumque nominatos in dicto mandato ex altera, committere dignemini dicto d. Cardinali audiendas et terminandas simpliciter [*etc.*], *quibuscumque iuribus vel constitutionibus in contrarium facientibus nequaquam obstantibus.*

9. * *Die iovis XVIII ian. Ioffridus retulit citasse fr. Bartholucium Vannis procuratorem ad primam diem curialem proxime futuram.*

Die veneris XIX ian. Comparuit in iudicio coram d. Egidio Bellemere auditore generali, Avenione in hospitio [*etc.*] *hora vesperarum, mag. Manfredus de Costabilis de Ferraria procurator supradictus, satisfaciendo termino hodierno pro parte sua, partis sibi adverse citate non comparentis nec contra dictam commissionem ultimam quidquam dicere aut dare curantis contumaciam accusavit ipsamque petiit contumacem reputari; et pro parte sua quosdam positiones et articulos concludentes loco libelli et quoddam privilegium apost., unum instrumentum confirmationis, unam appellationem in forma publica instrumenti, quorum tenores inferius sunt inserti, et unam litteram dationis apostolorum clausam et sigillo d. episcopi Assisin. sigillatam in huiusmodi causa exibuit et produxit.*

Deinde comparuit fr. Bartholucius et contra commissionem generaliter verbo excepit, contra quas exceptiones mag. Manfredus generaliter replicavit, et sic recesserunt.

Tenores vero articulorum ac privilegii, instrumenti confirmationis ac instrumenti appellationis sequuntur et sunt tales.

10. * *Coram vobis d. Petro S. Eustacii dyac. card. commissario* [*etc.*], *proponit Manfredus de Costabilis de Ferraria in romana Curia procurator* [*etc.*] *contra fr. T h o m a m d e A m e l i a episc. Assisin. et suum episcopatum et suam mensam episcopalem Assisin., Nicolaum d. Iohannis de Assisio, Lambertum* [*sequuntur nomina canonicorum et priorum ut in n. 6*] *et dicit ac etiam ponit et probare intendit ea que inferius continentur.*

I. In primis quod in ducatu Spoletan. ad romanam Ecclesiam nullo medio pertinente fuit et est civitas vocata Assisium, habens certam et limitatam dyocesim, in ipsaque civ. fuerunt et sunt eccl. cathedralis et alie omnes ecclesie habentes episcopum, canonicos, cappellanos, rectores et plebanos.

II. Item quod a LXXX annis et citra et ultra in dicta civ. Assisii fuit et est quedam solempnis ecclesia Ord. fratrum Min. sub vocabulo S. Francisci dicti Ordinis fundatoris et patroni, habens continue multos Fratres et valde honorabilem conventum, in ipsaque ecclesia fuit et est sepultum corpus dicti b. Francisci.

III. Item quod a dictis temporibus Fratres et conventus dicte eccl. et ipsa ecclesia fuerunt et sunt sub romano Pontifice et non alteri subiecti, et exempti ab omni iurisdictione et potestate dicti episcopi et etiam a quacumque lege dyocesana.

IV. Item quod a dictis temporibus Fratres dicte ecclesie habent liberam sepulturam, ita quod in ecclesia ipsa seu eius cymiterio volentes possunt libere sepeliri.

V. Item quod a prefatis temporibus multi et in numero maximo homines civ., dioc. et comitatus predictorum et presertim parochiani ecclesiarum predictarum eligerunt et cotidie eligunt sepeliri in dicta ecclesia et eius cymiterio ac sepulti fuerunt et cotidie sepeliuntur.

VI-VIII. [*Ecclesia Cathedralis et alie ecclesie parochianos habent, quibus rectores ministrant ecclesiastica sacramenta, eorumque multi elegerunt sepeliri in ecclesia etc. b. Francisci*].

IX. Item quod ab ipsis temporibus per huiusmodi eligentes et sepultos fuerunt legata relicta, data et donata varia et diversa facta et ad diversos usus applicata et interdum non applicata.

X-XIII. Item quod a dictis temporibus cum corporibus talium eligentium et sepultorum tempore sepulture portata fuerunt et portantur ad ipsam ecclesiam b. Francisci diversa funeralia, vid. panes, vinum, carnes, cerei, panni, equi, armature et alia secundum diversitatem et qualitatem status illorum, ipsaque funeralia sic portata et legata dictis Fratribus vel ecclesie fuerunt data et consueverunt dari et dantur, et debuerunt et debent etiam de consuetudine dari legitime prescripta et dictis temporibus inconcusse observata sine contradictione episcopi, canonicorum, cappellanorum, rectorum et plebanorum ecclesiarum superius nominatarum, et potuerunt et debuerunt dari, salva controversia presenti, per illos ad quos spectavit et spectat dictis Fratribus et ecclesie, excepta medietate cere que portatur cum dictis corporibus, que rectoribus ecclesiarum, quorum sepulti parochiam existunt, reddi consuevit et debet dumtaxat pro omni canonica portione sive canonica episcopali sive quarta, que ipsis rectoribus possit competere ratione quarte dictorum funeralium, legatorum et donatorum quorumcumque.

XIV. Que consuetudo fuit inconcusse sine interruptione et contradictione observata a LX annis et ultra, etiam post Decretalem « Dudum » alias « Super cathedram » de sepulturis in Clementinis.

XV-XVI. Item quod dicti Fratres nullam quartam debuerunt vel debent episcopo Assisin., sed solum canonicis, cappellanis, rectoribus et plebanis medietatem dicte cere tantum.

XVII-XIX. Item quod de anno MCCCXLIX, die XXVII iulii d. fr. B e r t r a n d u s tunc episc. Assisin. per se et suos successores dictas consuetudines confirmavit et alia fecit, prout in instrumento publico exinde confecto, ad quod et contenta in eo se refert.

XX. Item quod fr. T h o m a s d e A m e l i a episc. Assisin. supradictus a pauco tempore citra, contra omnem formam iuris, nonnulla mandata fecit quod heredes et executores decedentium et eligentium sepulturam apud eosdem Fratres, vel etiam si ibidem non eligerint sed ipsis Fratribus fecerint legata quecumque vel quomodocumque, de quarta funeralium et legatorum deberent respondere predicto fr. T h o m e episc. Assisin.; propter quod dicti heredes seu executores recusant solvere Fratribus libere et quiete legata et alia eis obvenire debentia, in magnum dampnum Fratrum predictorum, propter que pro parte dictorum Fratrum fuit ad Sedem apost. appellatum.

XXI-XXVI. [*Formulae iuridicae consuetae*].

Petit igitur dictus procurator per vos d. Cardinalem et vestram diffinitivam sententiam declarari monitiones et mandata predicta fuisse et esse temeraria, illicita, iniusta et presumpta, dictosque Fratres liberos et immunes a dicto fr. Thoma [*etc.*].

11. Gregorius episc.... Is qui Ecclesiam... anno quarto (¹).

12. *In nomine Domini, amen. Anno D. MCCCIL, ind. II, tempore d. Clementis pape VI, die XXVII m. iulii.*

Noverint universi presens instrumentum publicum inspecturi, quod rev. in Christo pater et d. d. fr. Bertrandus Dei et apost. Sedis gratia episc. Assisin. (²) *per se et suos successores omnia et singula pacta et conventiones dudum habita et inita et omnes et quascumque consuetudines hactenus habitas et servatas inter episcopum, capitulum maioris ecclesie et alium clerum civitatis predicte ex parte una, et Fratres et conventum sacri loci b. Francisci de Assisio ex altera parte, super quibuscumque factis et negotiis mortuorum et maxime de funeralibus et mortuariis, auctoritate ordinaria qua in hac parte fungitur et omni modo, iure, via et forma quibus melius potuit, ratificavit, approbavit et confirmavit, presente, petente et humiliter acceptante Geronimo Garenghi de Assisio sindico et procuratore Fratrum, loci et conventus predictorum, sindacario et procuratorio nomine ipsorum et pro eis, rogantes me Angelum not. infrascriptum ut de predictis publicum facerem instrumentum.*

Actum Assisii apud episcopatum in loya dicti episcopatus, pp. sapienti viro d. Iacobo Vannis de Assisio vicario, ser Anthonio Alencii de Eugubio not. et Iacobo Elemosine de Assisio clerico et familiari dicti d. Episcopi, tt. ad predicta vocatis, habitis et rogatis.

Ego Angelus q. d. Mucii de Assisio imper. auct. not. et nunc notarius et officialis dicti d. episcopi, predictis omnibus et singulis una cum dictis testibus presens interfui et ea rogatus de mandato dicti d. episc. et a dicto sindico subscripsi et publicavi.

13. * *Existens Petrus Buchi de Assisio custos altaris et ecclesie b. Francisci de Assisio et sindicus et procurator Fratrum, capituli et conventus S. Francisci de Assisio, dioc. Assisin., custodiatus nomine et dicti altaris et ecclesie, nec non sindacario et procuratorio nomine dictorum Fratrum et ut homo de populo dicte civ. Assisii, coram rev. d. fr. Thoma episc. Assisin. dixit et proposuit quod prefatus d. episcopus mandavit heredibus, successoribus et fideicommissariis parochianorum ecclesiarum dicte civitatis et eius districtus, ut solvere deberent prefato d. episcopo quartam seu canonicam episcopalem de omnibus que dictis Fratribus et ecclesie obveniunt ex ultima voluntate parochianorum dictarum ecclesiarum. Et insuper dictus episcopus gravavit dictos heredes et fideicommissarios ad solvendum dictam quartam eidem episcopo. Dicit etiam dictus Petrus quod consuetudo legitima et prescripta viget in dicta civitate, quod pro canonica*

(¹) Bulla sub nr. 11 nostri elenchi et Appendicis.
(²) Escarpiti, O. M., 1348-†1357: Eubel, *Hier.*, I, 114.

portione solvatur medietas cere tantum que cum funere ad ecclesiam b. Francisci defertur; de relictis factis a non sepultis apud ecclesiam ipsam nichil unquam fuit solutum. Dicit quod conventus et ecclesia b. Francisci ex predictis enormiter gravatur et leditur, quia non solvuntur dicta legata, prout solvi debent, propter dicta mandata. Dicit quod ecclesia b. Francisci est immediate Sedi apostolice subiecta, et quod dicta mandata sunt nulla et iniusta. Quare dictus Petrus, non recedendo a beneficio nullitatis, provocat et appellat a prefato d. episcopo et a predictis gravaminibus ad d. Gregorium papam XI. Et petiit per prefatum d. episcopum eidem Petro dari apostolos, protestans nil debere innovari per dictum d. episcopum, hac appellatione pendente, contra dictos Fratres vigore dictorum mandatorum.

Interposita fuit dicta appellatio coram supradicto d. episcopo existente in domo sue solite habitationis posita in civ. Perusii in porta Solis et parochia S. Lucie, ac etiam similis copia dicte appellationis eidem d. episcopo tradita fuit per me Petrum not. infrascriptum. Qui d. episcopus supradicto Petro dixit quod, cum ipse ignoret quid in dicta appellatione contineatur, idem Petrus debeat venire coram eo pro responsione habenda in die iuris. Et illico dictus Petrus recessit. Et hoc pp. d. Herico Celii de Monteleone ducatus Spoleti habitatore Perusii in porta Solis et parochia S. Andree, ser Stephano Iacopucii de Perusio porte s. Subsanne et par. S. Marie de Francolinis, fr. Iacobo mag. Francisci de Bictonio et fr. Iohanne Ioli de Assisio tt., sub anno D. MCCCLXXIV, ind. XII, die V novembris.

Petrus q. Tadducii de Perusio porte S. Petri et par. S. Silvestri not.

14. * *Die lune XXII ianuarii. Prefatus d. Cardinalis pro tribunali non sedebat nec tenebatur audientia causarum apostolica[rum] propter festum b. Vincentii, quod illa die celebrabatur.*

Dicta die lune XXII ian. Ioffridus porterius dicti d. Cardinalis retulit michi Reginaldo de Bombeleti not. se de mandato d. Card. et ad instantiam mag. Manfredi de Ferraria citasse fr. Bartholucium Vannis ad dicendum et opponendum et ad videndum apperiri quamdam litteram clausam et recognoscendum sigillum eiusdem littere.

Die mercurii XXIIII ian. Comparentibus in iudicio coram prefato d. Cardinali mag. Manfredo de Ferraria et fr. Bartholucio Vannis, dictus fr. Bartholucius recognovit sigillum impressum dicte littere clause dationis apostolorum d. episcopi Assissii. Deinde mag. Manfredus petiit dictam litteram aperiri, et tunc d. Cardinalis dictam litteram clausam aperuit, quam mandavit in huiusmodi cause registro inseri. Subsequenter fr. Bertholucius quedam duo papiri folia exceptiones contra producta et positiones et articulos partis sibi adverse et responsiones ad eosdem articulos continentia [produxit]. Mag. Manfredus exhibuit quamdam cedulam nomina quorumdam testium affuturorum continentem, quos citari petiit ad perhibendum testimonium veritati.

Tenores littere dationis apostolorum pro parte fratrum Min. et exceptionum et responsionum foliorum pro parte episcopi et cleri productorum secuntur et sunt tales.

15. *Sanctissimo ac clementissimo patri et d. nostro d. Gregorio divina prov. sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo Pontifici.*

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri ac d. n. d. Gregorio div. prov. sacrosancte rom. et univ. Ecclesie summo Pontifici minimus V. S. servulus T h o m a s *ep. Assisin. Dei et ap. Sedis gratia immeritus et indignus, pedum oscula beatorum.*

Cum ex antiqua consuetudine, cuius contrarii memoria non existit, episcopis Assisiatibus, qui fuerunt pro tempore, quarta relictorum factorum ad pias causas per eos qui apud ecclesiam seu cimiterium S. Francisci de Assisio seu alibi sepulti fuerunt, per heredes vel fideicommissarios eorumdem fuerit persoluta, et quod sic fieri debeat ex constitutione synodali, que viguit et viget in ecclesia Assisinat. a XXX annis et ultra et citra et per ipsum tempus, caveatur expresse quod dicta quarta Fratribus dicti conventus minime persolvatur; cum ipsi, eam si quando eis solvitur, ipsam contra iura interdum retineant et non solvant, nec possit de eis per ipsorum prelatos iustitia inveniri, in animarum suarum periculum et dampnum non modicum illorum quibus predicta quarta debetur de consuetudine vel de iure, et prefati episcopi fuerint et sint in pacifica possessione huiusmodi iure percipiendi quartam omnium relictorum ad pias causas pro sua canonica portione, et sic fuerit observatum spatio L^a annorum et ultra et per ipsum tempus, scientibus et non reclamantibus dictis Fratribus, canonicis et capitulo maioris ecclesie Assis. et aliis abbatibus, prioribus, archipresbiteris et plebanis et aliis rectoribus et curatis civ. et dioc. Assisinat., sicut apparet per publica instrumenta de quitanciis factis per prefatos episcopos de prestita canonica portione et etiam per compositionem factam per dictos Fratres cum d. B e r t r a n d o *bone memorie tunc episcopo Assisinat. MCCIL pro tempore preterito de quartis huiusmodi non solutis. Et si quando per me et alios episcopos predecessores meos huiusmodi quarta non fuit recepta, amore Dei et pietatis intuitu fuit dimissa et tamquam elemosina Fratribus predictis concessa; qui tamquam ingrati de beneficiis receptis, que liberaliter et pietatis intuitu sunt eis concessa, moliuntur contra benefactores suos quasi pro iure eis debito allegare. Quorum occasione assumpta Petrucius Bichi de Assissio, asserens se custodem altaris et ecclesie b. Francisci de Assisio et syndicum et procuratorem Fratrum, capituli et conventus b. Francisci de Assisio, custodiatus nomine, dictorum Fratrum, capituli et conventus et ut homo de populo dicte civ. Assisii, fingens quedam mandata per me de novo facta, ad Sanctitatem vestram, cupiens iustitiam fugere, licet frivole, appellavit quinta die mensis novembris, asserens se gravatum, in forma que sequitur de verbo ad verbum et petiit apostolos sibi dari.*

« *Existens Petrucius Bichi* [*etc. ut supra n. 13*].

Ego autem illico dicto Petrucio respondi quod super dicta appellatione et contentis in ea volebam deliberare, et quod pro responsione appellationis et pro receptione apostolorum compareret coram me in termino iuris. Considerans autem et attendens quod dictus Petrucius de suo mandato fidem non fecit, et si fecisset non posset neminem dictorum Fratrum in iudicio experire pro re aliqua temporali, et etiam quia per me nulla talia

mandata que fingit fuerunt facta; attendens etiam quod predecessores mei fuerunt in pacifica possessione huiusmodi iurium et etiam ego iuravi in manibus vestre Sanctitatis, dum eratis in minoribus constitutus, defendere et manutenere iura ecclesie michi commisse; et quia curati et rectores ecclesiarum consentiunt quod episcopus percipiat de legatis quartam relictorum pro sua canonica portione; et quia Ministro provincie S. Francisci et Fratribus obtuli velle stare super hiis consilio sapientum, nec voluerunt acceptare; attendens insuper quod appellationibus frivolis et animo iustitiam fugiendi interpositis non est deferendum de iure; idcirco, vestre Sanctitatis reverentia semper salva, dicte appellationi tamquam frivole et frustatorie et ex causis frivolis et frustatoriis et nullis et iniustis et non veris sed falsis et animo iustitiam fugiendi per dictum Petrucium ad Sanctitatem vestram interposite non detuli nec defero, vestre Sanctitatis reverentia semper salva. Et hanc responsionem seu repulsionem dicto Petrucio, dicenti se procuratorem ut supra, pro appostolis refutatoriis do et assigno, statuens ei terminum decem dierum proxime venturorum ad arripiendum iter pro prosecutione dicte appellationis frivole, iniuste et nulle et animo fugiendi iustitiam ad S. V. interposite. Insuper, ut post iter arreptum infra spatium XXX dierum coram S. V. vel vestra Curia appellationem predictam debeat legitime presentare, et infra alios XXX dies continue secuturos michi fidem facere de presentatione predicta.

* *Dati, traditi et exhibiti fuerunt predicti appostoli refutatorii dicto Petrucio, sindico et procuratori se dicenti dictorum Fratrum, per dictum d. episcopum sedentem pro tribunali ad suum solitum bancum iuris positum in dicto episcopatu, in audientia dicti episcopatus, cui undique sunt res dicti episcopatus, sub anno MCCCLXXIV, ind. XII, die IV dec., pp. dn. Christofano Pucii, dn. Iohanne Angeli, ser Iohanne Bartoli et Symone Siccarelli d. Vangnacii de Assisio tt.*

Nicolaus q. ser Thome mag. Thome de Assisio not. nec non not. et officialis dicti d. episcopi.

16. * *Circa producta per partem fratrum Ord. Min. de Assisio coram vobis d. Cardinali fr. Bartholucius Vannis protestatur* [etc.] *et ad positiones dicte partis respondet ut sequitur:*

Ad I-IX credit.

Ad X credit: dicit tamen quod domini sui, quorum procurator existit, possint, si velint, ex privilegio Clementine « Super cathedram » pro tempore futuro petere integram quartam, consuetudine et aliis conceptis in dicta positione nequaquam obstantibus.

Ad XI-XV credit.

Ad XVI credit de confessatis, de negatis negat.

Ad XVII-XVIII credit.

Ad XIX ut supra ad XVI.

Ad XX credit quod dictus fr. Thomas episc. fecit monitiones et mandata ad finem ut de cetero quarta ex integro solvatur, et credit quod hoc legitime facere possit privilegio dicte Clementine « Super cattedram ».

Ad XXI credit. Ad sequentes: nimis generales sunt.

17. * *Die iovis XXV ian. Ioffridus retulit michi Reginaldo not. se heri citasse Scolarum Gioli Soldani, Golardonum d. Nicolai, Ludovicum Francisci, Laurentium Petrucii, Avinione personaliter repertos, ad perhibendum testimonium veritati tamquam testes affuturi ad primam diem curialem.*

Die veneris XXVI ian. Comparuit in iudicio coram d. Egidio Bellemere auditore mag. Manfredus de Ferraria, partis sibi adverse non comparentis contumaciam accusavit, Scolarium Gioli et Laurentium Petrucii in testes affuturos produxit, et aliorum testium non comparentium contumaciam accusavit.

Die sabbati XXVII ian. Ioffridus retulit se hodie citasse fr. Bartholucium Vannis ad horam vesperarum huius diei et Golardonum d. Nicolai et Ludovicum Francisci testes ad diem lune proxime futuram.

Die sabbati XXVII ian. Comparuit in iudicio coram Egidio Bellemere auditore mag. Manfredus de Ferraria, partis sibi adverse non comparentis contumaciam accusavit et ven. patrem d. Iohannem abbatem monasterii S. Benedicti de Gualdo, Nucerin. dioc., pro interprete produxit, petens ipsum ad interpretandum dictos testes admitti.

Die lune XXIX ian. Comparuit in iudicio coram d. Cardinali mag. Manfredus de Ferraria et fr. Bartholucii procuratoris ex adverso non comparentis contumaciam accusavit et Guidonem d. Nicolay et Ludovicum Francisci testes affuturos produxit. Quorum quidem testium et aliorum in huiusmodi causa producendorum examinationem idem d. Cardinalis michi Reginaldo not. commisit super articulis dictorum fratrum Minorum fideliter faciendam.

Die veneriis II februarii non fuit audientia causarum apostolicarum, propter festum Purificationis b. Marie Virginis, quod ipsa die celebrabatur.

Die lune VII febr. Comparuit in iudicio coram d. Cardinali mag. Manfredus de Ferraria et partis sibi adverse contumaciam accusavit. Ioffridus porterius retulit michi Reginaldo not. se de mandato d. Cardinalis citasse fr. Bartholucium quemadmodum habuerat in mandatis.

Die lune XXVI februarii. Comparentibus in iudicio coram d. Egidio Bellemere auditore fr. Bartholucio Vannis et mag. Manfredo de Ferraria, idem fr. Bartholucius quamdam petitionis cedulam exhibuit; prefatus vero mag. Manfredus contra dictam cedulam generaliter verbo excepit. Deinde prefati procuratores hinc inde dixerunt se non velle plus dare de iure suo, sed petierunt concorditer in huiusmodi causa concludi, et quantum in ipsis erat concluserunt nichilominus in eadem.

Tenor petitionis cedule talis est:

18. * *Coram vobis d. Petro S. Eustacii dyac. card. fr. Bartholucius Vannis de Assisio suo et procuratoriis nominibus d. fr. Thome de Amelia episc. Assisin. et dd. Nicolai d. Iohannis de Assisio, d. Lamberti Pucii [etc. ut supra n. 6], et d. Francisci Pucii de Assisio plebani plebis S. Constancii, contra Fratres Ord. Min. de civ. Assisii dicit quod, licet quarta pars funeralium et relictorum et aliarum quarumcumque obrentionum defuncto-*

rum parochianorum dictarum ecclesiarum sepultorum apud ecclesiam seu cymiterium dictorum Fratrum ac provenientium ipsis Fratribus pertinere debeat ad dictos canonicos, capellanos, plebanos et rectores, tamen prefati Fratres quartam de obventionibus [*etc.*] *dictis canonicis* [*etc.*] *dare et solvere recusarunt pro tempore presenti indebite et iniuste, licet sepius cum instantia debita requisiti. Quare petit per vos d. Cardinalem et vestram diffinitivam sententiam pronunciari et declarari dictos Fratres condempnandos fore et compellendos iuris remediis oportunis ad dandum pro tempore presenti et de cetero prefatis, canonicis* [*etc.*] *dictam quartam.*

19. * *Die veneris XXIII martii. Comparuit in iudicio coram d. Cardinali mag. Bertoldus de Matheurode procurator Fratrum Min. predictus et pro informatione pleniori dicti d. Cardinalis quamdam Bullam apost. seu statutum exhibuit, petens eam in cause registro inseri.*

Tenor dicte littere apost. talis est:

Benedictus episc.... Inter cunctas... anno primo (1).

Die mercurii XXVIII martii. Comparuit in iudicio coram d. Egidio Bellemere auditore fr. L u d o v i c u s *procurator fratrum Min. predictus et petiit citari mandari partem sibi adversam ad audiendum per d. Cardinalem ferri et promulgari sententiam.*

Die lune IV aprilis. Ioffridus retulit se hodie citasse fr. Bartholucium Vannis ad audiendum diffinitivam ferri et promulgari sententiam, ad primam diem curialem proxime futuram.

Die veneris VI aprilis. Comparuerunt in iudicio coram d. Cardinali mag. Bertholdus de Macbemode substitutus et fr. L u d o v i c u s *procurator dictorum Min. de Assisio et partis sibi adverse non comparentis contumaciam accusavit. Et d. Cardinalis dictam partem non comparentem reputavit contumacem et in eius contumaciam, visis primitus per ipsum d. Cardinalem omnibus et singulis actibus, actitatis, iuribus, litteris, instrumentis, testium depositionibus ac inter se matura deliberatione prehabita, de iurisperitorum consilio et assensu ad suam diffinitivam sententiam in huiusmodi causa ferendam duxit procedendum, et eam pro parte dictorum Fratrum Min. de Assisio et contra prefatos dd. episcopum et clerum de Assisio in scriptis tulit, pp. d. Nicolao Corrosii et Antonio Macellarii in romana Curia procuratoribus et aliis tt.*

Tenor pronunciationis cedule talis est:

20. * *Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes et habentes pre oculis solum Deum, de consilio peritorum, per hanc nostram diffinitivam sententiam quam ferimus in hiis scriptis pronunciamus, decernimus et declaramus predictos Fratres et conventum ecclesie sive domus S. Francisci Ordinis fratrum Minorum civ. Assisii in personam Manfredi Costabilis de Ferraria ipsorum procuratoris et eumdem procuratorem nomine procuratorio predictorum ab impeticione episcopi et canonicorum cathedralis et rectorum parochialium ecclesiarum civ. et dioc. Assisine predictorum de et super dicta quarta, salvo iure predictorum percipiendi, prout ad*

(1) Idest nostri elenchi nr. 569.

unumquemque eorum pertinet, dictam medietatem cere omnium funeralium integram prout hactenus percipere consueverant, absolvendos fore et absolvimus; episcopum, canonicos et rectores predictos in personam fr. Bartholucii Vannis de Assisio rectoris eccl. S. Iohannis de Buvilglio et prefatum fr. Bartholucium procuratorem in personis episcopi, canonicorum et rectorum predictorum dictis Fratribus et conventui condempnamus in expensis factis in causa huiusmodi legitime coram nobis, quarum taxationem nobis imposterum reservamus.

21. * *Die sabbati XIV maii. Ioffridus porterius et nuntius retulit se hodie citasse fr. Bartholucium Vannis ad videndum taxari expensas in causa huiusmodi.*

Die lune ultima aprilis. Comparuit in iudicio coram d. Cardinali fr. Ludovicus procurator fratrum Min. et petiit expensas in huiusmodi causa taxari, contumaciam partis sibi adverse accusando.

Die sabbati V aprilis. Ioffridus porterius supradictus retulit se hodie citasse fr. Bartholucium Vannis ad videndum taxari expensas.

22. * *Die lune VII maii. Comparuit in iudicio coram d. Cardinali fr. Ludovicus et partis sibi adverse non comparentis contumaciam accusavit. Et tunc prefatus d. Cardinalis dictam partem non comparentem reputans contumacem, in ipsius contumaciam, recepto a dicto fr. Ludovico corporali iuramento se tantum et amplius expendisse vel necessario expendere habere in et pro causa huiusmodi, dictas expensas coram se in huiusmodi causa factas ad XXXIX florenos auri de Florentia boni auri et legitimi ponderis provida moderatione taxavit. De qua quidem taxatione fr. Luduvicus petiit fieri publicum instrumentum, pp. d. Egidio Bellemere utriusque iuris doctore, sacri palatii camerario et dicti d. Cardinalis commissarii auditore, et Iohanne de Bossaco cubiculario dicti d. Cardinalis, tt.*

(S.T.) *Ego Reginaldus Bombeleti a S. Ylario, clericus Remensis dioc., not. et d. Cardinalis S. Eustacii et cause huismodi coram eo scriba, quia michi notario constat quod presens copia extracta fuerit de originali processu et quia concordantem cum eo inveni, ideo me hic subscripsi manu propria et signo meo in presenti subscriptione intercluso signavi. Qui quidem processus originalis penes me notarium remanet. In presenti vero copia sunt quinquaginta duo folia* [etc.].

Instr. XIII-XVI, 12 dic. 1374. — *Exemplum authenticum eiusdem temporis. In verso ultimi folii ad calcem diversa manu sed coaeva est scriptum:* Dompna Catarina de Padua die [= *dedit*] unum florenum et una tobalia.

570. *1319.*

Universis et singulis presentes licteras inspecturis fr. Theobaldus Dei gratia episc. Asisinas (1) *salutem in Domino.*

Noveritis nos vidisse et habuisse quasdam licteras papales bulla plumbea ad filum serici rubei et zalli coloris pendentis bullatas non can-

(1) Annis 1296-†1329: Eub., *Hier.*, I², 114.

cellatas neque in aliqua sui parte suspectas; in qua quidem ex una parte sculpta erant duo capita cum cruce in medio, super que capita hee lictere legebantur; S. Pa. S. Pe.; *ex alia vero parte ipsius bulle legebantur lictere* Iohannes pp. XXII. *Quarum licterarum tenor talis esse dignoscitur:*

Iohannes *etc.* Sancta romana atque universalis Ecclesia *etc.* anno secundo.

Has autem licteras ad certitudinem pleniorem nostri fecimus sigilli appensione muniri.

*Datum Asisii sub anno Domini millesimo tercentesimo decimo nono, tempore ipsius d. Iohannis divina providentia pape XXII, indictione II, die * * mensis * *.*

Instr. III, 32. — *Originale. In dorso: « Privilegium contra* [...] *sive Fraticellos ».*

571. *1349, 30 novembris et 1350, 28 martii*

Anibaldus miseratione divina episcopus Tusculanus, sancte romane Ecclesie cardinalis, apostolice Sedis legatus, dilecto in Christo filio fr. Iohanni Iacobi de Spello Ordinis fratrum Minorum Inquisitori heretice pravitatis, provincie S. Francisci, salutem in Domino.

Inter solicitudines varias quibus ex officio iniuncto nobis legationis astringimur, solicite cogitare nos convenit ut officium heretice pravitatis exerceatur solicite et personis talibus committatur, quod, eorum sacro mi-[ni]sterio, errantes ad lumen redeant veritatis.

Nuper siquidem sanctissimus pater et dominus noster d. Clemens divina providentia papa VI nos ad regnum Sicilie et totam terram ipsius regni citra Farum et Tuscie ac nonnullas alias partes et provincias, in litteris ipsius d. Pape nobis super nostra legatione concessis spetialiter nominatas, commisso nobis plene legationis officio in eisdem pro urgentibus et arduis Ecclesie romane negotiis destinans, ac volens ut commissum nobis legationis officium eo efficacius exequi valeremus quo maiori essemus auctoritate muniti, nobis concessit suas apostolicas litteras in hec verba:

Clemens episc. *etc.* ven. fratri Anibaldo episcopo Tusculano, apostolice Sedis legato, salutem *etc.*

Cum te ad regnum Sicilie et totam terram ipsius regni citra Farum et Tuscie ac nonnullas alias partes et provincias in litteris nostris tibi super legatione concessis specialiter nominatas cum plene legationis offitio destinemus, ut commissum tibi legationis officium eo efficacius exequi valeas, quo maiori fueris auctoritate munitus, inquirendi et procedendi contra Inquisitores heretice pravitatis, et eos quos in huiusmodi inquisitionis officio excessisse repereris ab eodem officio amovendi et alium vel alios loco ipsius vel ipsorum qui amotus seu amoti fuerint auctoritate apostolica surrogandi, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus quibuscunque privilegiis ac indulgentiis eis per dictam Sedem sub quacumque forma verborum concessis et litteris apostolicis generalibus vel spetia-

libus quibuscunque, sub quavis verborum forma concessis, per que presentium effectus impediri posset quomodolibet, vel differ[r]i, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda esset in presentibus mentio specialis; seu si eisdem Inquisitoribus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem.

Datum Avinione II kal. decembris, pontif. nostri anno septimo.

Quarum litterarum apostolicarum auctoritate, te, quem Largitor gratiarum omnium litterarum scientia et aliis multis virtutibus, sicut fide dignorum testimonio accepimus, laudabiliter insignivit et in cuius affectu, sicut firmiter credimus, spetialiter geritur quod fides catholica, extirpatis erroribus, suscipiat incrementum, Inquisitorem heretice pravitatis provincie S. Francisci Vallis Spoleti, usque ad apostolice Sedis beneplacitum atque nostrum, constituimus tenore presentium ac etiam ordinamus, cum omnibus iuribus, honoribus et privilegiis a iure vel a Sede apostolica seu quibuscunque aliis concessis Inquisitoribus illarum partium heretice pravitatis, recepto prius a te corporaliter iuramento quod offitium ipsum ad honorem Dei sancteque romane Ecclesie et exaltationem catholice fidei diligenter et fideliter exercebis.

Dantes tibi eadem auctoritate, tenore presentium, plenariam potestatem infra dictam provinciam inquirendi contra quoscumque hereticos vel de heresi quomodolibet suspectos, fautores, receptatores et defensores eorum, ipsosque capiendi et detinendi, condempnandi, absolvendi, liberandi ac omnia alia et singula faciendi que ad huiusmodi inquisitionis officium de iure pertinere noscuntur.

Mandantes eadem auctoritate, presentium tenore, universis et singulis eiusdem provincie archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, militibus, capitaneis, generalibus et officialibus universis et eorum vicariis ceterisque ecclesiasticis seu secularibus personis sub excommunicationis, suspensionis et interdicti penis, ut tibi in hiis que ad huiusmodi inquisitionis officium pertinere noscuntur, benigne pareant et intendant, ac cum per te requisiti extiterint dent per se et alios, prout oportunum fuerit, consilium, auxilium et favorem.

Nos autem sententias sive penas, quas rite tuleris, ratas et gratas habebimus, ipsasque faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari.

Datum Fulginei, V kalendas aprilis, pontificatus dicti d. Clementis pape VI anno septimo.

Instr. III, 32. — *Originale. In dorso:* Litterae Anibaldi cardinalis per quas mag. Ioanni Iacobi de Hispello officium iniungit extirpandi hereticos.

573. *1399, 18 aprilis.*

* *Michael Petri de Pisis Ordinis Camalduien., Camere apostolice in civitatibus et dioc. Perusin., Assisin., Nucerin., Eugubin., Civitatis Castelli, Corton. et Clusin. collector apostolicus generalis, ven. viro domno Mar-*

tino priori ecclesie S. Generis de Perusio de Monte, porte Solis, nostro et Camere apostolice in civitate et diocesi Perusin. subcollectori.

Noveritis nos bullas Bonifatii noni recepisse, quarum tenor talis est, videlicet:

Bonifatius episc. *etc.* dilecto filio Michaeli Petri de Pisis Ordinis Camaldulen. professori, in Perusin., Assisinat., Nucerin., Eugubin., Civit. Castelli, Clusin., nostris, necnon Corton. civit. et dioces. ipsarumque comitatibus et districtibus fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum collectori salutem *etc.*

Ex fideli et sollicita ac diligenti prudentia, providentia quoque et probitate circhumspecta aliisque virtutibus quibus fulgere dignosceris, presumimus evidenter quod ea que commiserimus, solerti et diligenti studio fideliter exequaris.

Hinc est quod Nos te, de cuius circumspectione plurimum confidimus, in Perusin., Assisien., Eugubin., Nucerin., Civitatis Castelli, Clusin., nostris, nec non Corton. civitat. et dioces., ipsarumque comitatibus et distriptibus generalem collectorem et receptorem fructuum et proventuum, censuum et decimarum et aliorum reddituum Camere apostolice in predictis civitatibus et diocesibus debitorum usque ad nostrum beneplacitum auctoritate apostolica tenore presentium facimus et constituimus et etiam deputamus, omnes alios et singulos huiusmodi fructuum, proventuum, censuum et decimarum et aliorum reddituum collectores et subcollectores in prefatis civitatibus et diocesibus per Nos aut Sedem apostolicam hactenus deputatos penitus revocantes, tibi etc.

Nos igitur te Martinum Ghuidutii priorem predictum in dicta civitate et diocesi Perusin. subcollectorem facimus.

In quorum testimonium presentes sigilli nostri officii appensione muniri iuximus.

Dat. Perusii in nostra solita audientia sita in palatio episcopali Perusii nostre habitationis, sub anno MCCCLXXXXVIIII, ind. VII, tempore Bonifatii pape IX, die XVIII aprilis.

Guasspar Donati ser Iachobi de Perusio porte S. Angeli not.

Instr. IV, 76. — *Exemplum auth. et Originale.*

574. *1407, 30 aprilis.*

Gregorius episc. *etc.* ven. fratri episcopo Esin. et dilectis filiis Lodovico clerico Interamnen. ac abbati monasterii S. Antimi Valistarsie Clusin. dioc. salutem *etc.*

Litterarum scientia, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos dilectus filius Angelus Victorini de Assisio canonicus ecclesie b. Marie maioris Assisinat. fide digno commendatur testimonio, Nos inducunt ut sibi reddamur ad gratiam liberales.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte ipsius Angeli peticio continebat quod olim prioratum maioris ecclesie Assisin., quem q. Franci-

scus Putii de Assisio ipsius ecclesie maioris prior dum viveret obtinebat, per eiusdem Francisci obitum, qui extra romanam Curiam diem clausit extremum, vacantem, dilectus filius noster Landulphus S. Nycolai in Carcere Tuliano dyaconus cardinalis, fungens tunc in partibus illis auctoritate apostolica legationis officio, dictum prioratum sic vacantem prefato Angelo auctoritate legationis huiusmodi contulit et de illo eciam providit, idemque Angelus offerens se tunc canonicatum et prebendam dicte maioris ecclesie nec non plebem S. Constancii Assisinat. dioc., quos tunc obtinebat, per assecucionem dicti prioratus dimissurum, prioratum ipsum vigore collationis et provisionis predictarum extitit assecutus, illum ex tunc tenuit et possedit.

Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, idem Angelus dubitet collacionem et provisionem predictas ex certis causis viribus non subsistere et, sicut accepimus, prioratus ipse adhuc, ut prefertur, vacare noscitur; Nos volentes prefato Angelo, qui presbiter et, ut asserit, in iure canonico peritus existit, promissorum meritorum suorum intuitu graciam facere specialem, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios prioratum predictum, qui curatus et dignitas maior post pontificalem in dicta maiori ecclesia existit et ad quem consuevit quis per eleccionem assumi, cuius fructus, redditus et proventus quadraginta florenorum auri, secundum communem extimacionem, valorem annuum, ut ipse Angelus asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona vacet, etiam si tanto tempore vacaverit quod eius collacio iuxta Lateranen. statuta Concilii ad Sedem apostolicam legitime devoluta, vel prioratus disposicioni apostolice specialiter reservatus existat, et super eo inter aliquos lis, cuius statum haberi volumus pro expresso, in dicta curia vel extra eam pendeat indecisa, prefatusque Franciscus dicte Sedis cappellanus vel familiaris fuerit, dummodo tempore dati presentium non sit in eodem prioratu alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefato Angelo auctoritate nostra conferre et assignari curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prioratus iuriumque et pertinentiarum predictorum eadem auctoritate, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes ipsum Angelum vel dictum procuratorem pro eo ad eundem prioratum, ut est moris, admicti sibique de ipsius prioratus fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Non obstantibus tam fel. rec. Bonifacii pape VIII predecessoris nostri quam aliis quibuscumque constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie maioris contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui super pensionibus sibi faciendis de prioritatibus, dignitatibus, personatibus vel officiis ipsius ecclesie maioris speciales aut aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte Sedis vel legatorum eius

litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus prefatum Angelum in assecutione dicti prioratus volumus anteferri, sed nullum per hoc eius quoad executionem prioratuum, dignitatum, personatuum vel officiorum aut beneficiorum aliorum praeiudicium generari; seu si ven. fratri nostro episcopo et dilectis filiis capitulo Assisinat. vel quibuscumque aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de prioratibus, dignitatibus, personatibus vel officiis ipsius maioris ecclesie aut aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, provisionem, presentacionem vel eleccionem seu quamvis aliam disposicionem, coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeant provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis; aut si dictus Angelus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie maioris ratione dicti prioratus solitum iuramentum, dummodo in absencia sua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesserit corporaliter illud prestet, seu quod idem Angelus, ut asserit, canonicatum et prebendam in S. Marie maioris nec non cappellam sine cura S. Antonii sitam maiori ecclesiis predictis, quorum omnium fructus, redditus et proventus decem florenorum auri, secundum extimationem predictam, [valorem] annuum non excedunt, noscitur obtinere.

Volumus autem quod idem Angelus, quam primum vigore presentium dictum prioratum fuerit pacifice assecutus, canonicatum et prebendam maioris ecclesie nec non plebem predictos, si eos antea non dimiserit, quos ex tunc vacare decernimus ac omne ius, si quod sibi in eis vel ad eos quomodolibet competit omnino, prout ad id se sponte obtulit, dimictere teneatur; et insuper ex nunc irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Datum Rome apud S. Petrum, XI kal. maii, pontif. nostri anno primo.

Instr. IX, 8. — *Exemplum authenticum.*

576-577. *1493, 18 martii.*

* *Anno D. 1493, XI ind., die XVIII martii. Cum Sixtus IV proviserit d. Leoni episc. Sitien. de abbatia vulgariter nuncupat. S. Nicolaus de Campolongo dioc. Assisinat., et postmodum per d. Iohannem episc. Fasien. procuratorem suum d. Leo ep. predictus in manibus predicti Sixti IV dictam abbatiam sponte renumptiaverit et prefatus papa Sixtus illius*

abbatie edifitia nec non bona omnia sacristie conventus S. Francisci de Assisio applicaverit, reservata certa annua pensione solvenda per dictam sacristiam d. Fabiano de Montepolitiano clerico Camere ap., prout patet in Bulla cuius tenor talis est:

Sixtus *etc.* Venerabilem *etc.* anno sexto.

Et postmodum prefatus Sixtus IV reservavit omnes redditus dicte abbatie dicto d. Leoni episc. Sithien. cum onere solvendi XVIII ducat. auri d. Fabiano de Montepolitiano, prout patet in Bulla cuius tenor talis est:

Sixtus *etc.* Personam *etc.* anno sexto.

Idcirco d. Iohannes Baptista de Talgliapreta clericus Brixien. dioc. procurator d. Leonis episc. Sithien., de quo mandato procure patent duo instrumenta, quorum tenor talis est:

« *Anno 1492, ind. X, die dominico 14 octobris. D. Leo ep. Sithien. et pensionarius ecclesie q. abbatie S. Nicolai de Campolongo Assis. dioc. constituit d. presbiterum Iohannem de Vacariis fictabilem et benefitialem ecclesie S. Bartholomei de Bornado Brixien. dioc. et Iohannem Baptistam Taiapret. clericum Brixien., utrumque eorum in solidum, suos veros procuratores ad omnes causas tam in civ. Assisii quam alibi et tam cum Fratribus conventus S. Francisci civ. Assisii de ratione pensionis sue dicte ecclesie S. Nicolai de Campolongo quam alia quacumque de causa; promictens se ratum et gratum habiturum quicquid per dictos eius procuratores in premissis factum fuerit. Actum Brixie in domibus ecclesie S. Georgii, pp. d. presbitero Andrea de Ballatoribus de Claris et d. presb. Bartholomeo de Maximis, ambobus beneficialibus in dicta eccl. S. Georgii tt. — Andreas q. d. Bartholomei de Solatiis civis et habitator Brixie not. — Andreas Barbadicus pro ill.mo duce v. l. Brixie et districtus capitaneus fidem facimus suprascriptum Andream esse autenticum notarium etc. Brixie die XIII nov. 1492. Mattheus de Papia q. etc.* ».

« *Anno 1492, die dominico XIIII octobris. D. Leo episc. Sithien. constituit d. presb. Ioannem de Vaccchariis et Iohannem Baptistam Taiapreta* [*qui supra*] *suos vero procuratores ad componendum, concordandum, paciscendum et transigendum cum Fratribus conventus S. Francisci civ. Assisii causa pensionis ecclesie q. abbatie S. Nicolai de Campolongo, dictumque benefitium renumptiandum, promittens* etc. *Actum* [*ut supra*] *Andreas Barbidicus fidem facimus* [*ut supra*] ».

Et dictus Iohannes Baptista procurator fuit confessus dictis nominibus fuisse integraliter satisfactum a dictis sacristia, Fratribus et conventu S. Francisci de Assisio de omnibus pecuniis in quibus tenerentur usque ad presentem diem dicto d. Leoni episc. Sithien. occasione predicte pensionis, et de quibus dictus procurator fecit generalem quietationem rev. patri s. Theologie professori mag Egidio de Ameria [1] *custodi s. conventus S. Francisci de Asisio, pro eo quia sibi solvit in contanti et in pecunia numerata pro ultima et finali solutione dicte pensionis ducatus auri largos centum quinquaginta septem. Et insuper promisit*

[1] Delphini, postea Vicarius gen., 1499-1500, et Min. gen., 1500-1506.

dictus d. Ioannes Baptista in futurum aliquid non petere quoquomodo a dictis sacristia [*etc.*] *occasione dicte pensionis, pro eo quia dictus d. Leo obtinuit per Sedem apostolicam de tot et tantis beneficiis ecclesiasticis, quorum fructus ascendunt ad quantitatem supradicte pensionis. Cui pensioni dictus procurator expresse renuntiavit, nec non licentiam et potestatem dedit dicto Custodi retinendi et in usum dicte sacristie convertendi dictos fructus secundum tenorem dicte Bulle supra registrate.*

Acta fuerunt hec Rome in regione pontis S. Angeli in domo habitationis d. Dominici de Spinollis de Tharano, iuxta bona Iohannis Petri de ecclesia de Mediolano habitatoris Urbis, bona ecclesie S. Salvatoris de Urbe, pp. dicto d. Dominico, d. Antonio Frapicciolo de Ameria et d. Claudio de Michalia dioc. Visontin. tt.

Franciscus Bos de Asisio not.

Instr. X, 46 — *Originale.*

579. *1482, 30 ianuarii.*

Dilecto filio Custodi conventus S. Francisci de Assisio

SIXTUS PAPA IIII.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Licet nuper dilecto filio Hieronymo Tyberii de Montepolitiano concesserimus in subsidium eius studii omnes et singulos fructus ac pensiones quorumcumque beneficiorum que quondam Fabianus, etiam de Montepolitiano Camere apostolice clericus, tempore obitus sui obtinebat; tamen, cupientes opus fabrice et reparationis ecclesie conventus istius ad laudem Dei et devotionem populorum commodius perfici, tenore presentium decernimus quod Fratres dicti conventus non teneantur prefato Hieronymo aut altero pro eo solvere pecunias eidem q. Fabiano ratione pensionis certe abbatie dicto conventui unite debitas, neque censeantur ob non solutionem censuram vel penam aliquam incurrere, neve etiam ad id a quoquam cogi possint; non obstantibus premissis ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandantes nihilominus, ut pecunie ipse in dictam fabricam et reparationem, iuxta ordinationem iàm factam, integre cum effectu convertantur.

Datum Rome, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MCCCCLXXXII, pontif. nostri anno undecimo.

Instr. XII, 26. — *Originale.* = Nr. 452: XIV, 16. — *Exemplum.*

580. *1493, 2 martii.*

Dilecto filio *Christophoro de Assisio* Ordinis Minorum et sacre Theologie professori

ALEXANDER PAPA VI.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Exponi nobis fecisti quod tu ex nonnullis pecuniis pia Christi fidelium largitione ac alias licite per te acquisitis emisti nomine tuo proprio tres domunculas in civitate nostra Assisii easque aliqualiter in-

staurasti, ita ut iam ad valorem septuaginta florenorum auri de Camera vel circa ascendant. Verum quia, sicut eadem expositio subiungebat, dicte domuncule propter dissensiones eiusdem civitatis parum utilitatis afferunt, cuperes illas plus offerentibus vendere et pretium in aliqua bona utiliora ac in subventionem tuam tempore necessitatis et infirmitatis convertere; quare pro parte tua fuit Nobis humiliter supplicatum ut tibi in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur:

Nos, tuis in hac parte humilibus supplicationibus inclinati, tibi ut de licentia tui Superioris dictas domunculas quibusvis personis, cum quibus conditionem tuam efficere poteris meliorem, vendere et pretium inde proveniens, dum et quando tibi placebit, ut prefertur, convertere libere et licite possis et valeas, apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et indulgemus; volentes ut dictarum domuncularum emptores per quemvis, etiam quavis auctoritate, nullo modo valeant molestari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti Ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die II martii MCCCCLXXXXIII, pontif. nostri anno primo.

Instr. XII, 36. — *Originale.*

581. *1552, 23 augusti.*

Iulius episc. *etc.* dilecto filio Petro Gentili de Honofriis, rectori ecclesie S. Blasii de la Bastia Assisinaten. diocesis, salutem *etc.*

Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales.

Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica apud Sedem apostolicam tunc vacantia et in antea vacatura collationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Cum itaque postmodum ruralis et sine cura ecclesia S. Blasii de la Bastia, Assisinaten. diocesis, per liberam resignationem dilecti filii Ioannis Maro, nuper ipsius ecclesie rectoris, de illa quam tunc obtinebat per dilectum filium Ioannem Baptistam Sellanova clericum Mediolanen. procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte factam et per Nos admissam, apud Sedem predictam vacaverit et vacet ad presens nullusque de illa preter Nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione illius et decreto obsistentibus supradictis; Nos tibi presbitero premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes teque a quibusvis excommunicationis *etc.* absolutum fore censentes, nec non omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura que etiam ex quibusvis

dispensationibus apostolicis obtines et expectas ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorum fructuum, reddituum et proventuum veros annos valores ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, ecclesiam predictam, cuius fructus, redditus et proventus XXIV ducatorum auri de Camera, secundum communem extimationem, valorem annuum, ut asseris, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona seu per similem resignationem dicti vel cuiusvis alterius de illa in romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem eandem legitime devoluta, ipsaque ecclesia dispositioni apostolice specialiter vel alias generalitar reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad Nos hac vice pertineat, omnibus iuribus et pertinentiis suis, apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa etiam providemus; decernentes, prout est, irritum et inane si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attemptatum forsan est, etiam hactenus vel imposterum contigerit attemptari.

Non obstantibus fel. rec. Bonifatii papae VIII predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus tibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum; quibus omnibus te in assecutione dicte ecclesie volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum praeiudicium generari; aut si ven. fratri nostro episcopo Assisinaten. vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, collationis, provisionis, decreti et voluntatis infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Rome apud S. Marcum, anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, decimo kalendas septembris, pontif. nostri anno tertio.

Instr. XIII, 7. — *Originale.*

583. *1552, 2 decembris.*

Iulius episc. *etc.* dilecto filio vicario venerabilis fratris episcopi Assisinaten. in spiritualibus generalis salutem *etc.*

Significarunt nobis dilecti filii Guardianus et Fratres domus S. Francisci Assisinaten. Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, census, fructus, redditus, proventus, terras, domos, possessiones, vineas, ortos, campos, prata, pascua, nemora, silvas, arbores, arborum fructus, vini, bladi, frumenti, ordei, lini, lane, olei, cere, auri, argenti monetati et non monetati quantitates, vasa argentea, enea, stannea, cuprea, ferrea, pannos lineos, laneos, sericeos, vestes, iocalia, calices, patenas, cruces, turribula, reliquiaria, casulas, albas, amictus, tunicas, stolas et alia ornamenta et paramenta ecclesiastica, lectos, lintheamina et alia domus utensilia, equos et alia animalia, libros, instrumenta, contractus, obligationes, cedulas, quietantias, litteras, scripturas publicas et privatas, testamenta, codicillos et alia documenta, debita, credita, legata, mutua, deposita, iura, iurisdictiones, pecuniarum summas et nonnulla alia res et bona in publicatione presentium etiam latius, si dictis significantibus videbitur, specificanda, ad dictam domum, cui, sicut dicti significantes asserunt, bona etiam immobilia ex indulto apostolico eis seu dicti Ordini concesso habere licet, tam ratione fundationis et donationis eiusdem domus nec non legatorum et relictorum ei seu dictis significantibus pro tempore factorum ac spoliorum Fratrum eiusdem domus etiam pro tempore defunctorum, quam alias legitime spectantia temere et malitiose occultare ac occulte et indebite detinere presumunt eorumque occultatores et detentores eisdem significantibus revelare non curant, in animarum suarum periculum et domus ac significantium predictorum non modicum detrimentum; super quo iidem significantes apostolice Sedis remedium implorarunt.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes huiusmodi censuum, fructuum, auri, argenti quantitatum, iocalium, ornamentorum, utensilium, litterarum, scripturarum, pecuniarum summarum ac aliorum bonorum et rerum etiam, ut prefertur, specificandorum predictorum detentores et ea revelare non curantes occultos ex parte vestra publice in ecclesiis coram populo per te vel alium seu alios moneas ut infra competentem terminum, quem eis prefixeris, ea dictis significantibus vel eorum legitimo procuratoris a se debita [... revelent...]. Et si id non adimpleverint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc duxeris peremptorie prefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas et eam facias ubi et quando expedire videris usque ad satisfactionem et revelationem condignam solemniter publicari.

Datum Rome apud S. Petrum, anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, quarto nonas decembris, pontif. nostri anno tertio.

Instr. XIII, 8. — *Originale.*

584. *1546, 23 iunii; 1548, 1 martii; 1558, 9 ianuarii.*

Galeatius Philipputius de Assisio U. I. D., comes et S. Georgii eques de numero participantium, universis et singulis praesentes nostras litteras inspecturis, lecturis, visuris et audituris salutem in Domino et praesentibus fidem adhibere.

Noveritis coram nobis praesentasse magnificum d. Iosephum Lodovicum de Assisio, qui dudum in universitate studii generalis Perusini per septem fere annos in iure canonico et civili studuerit et, gratia Altissimi sibi suffragante, in eisdem adeo profecerit ut doctoratus gradus consequi mereretur, cuperetque suorum laborum fructus consequi et ad doctoratus gradus promoveri.

Nos igitur Galeacius antedictus aucthoritate nobis a sanctissimo domino nostro in hac parte concessa, cuius tenor talis est:

Paulus episc. *etc.*, ad perpetuam rei memoriam.

Celestis Patrisfamilias, qui cunctos equa dilectione prosequitur, vices licet immeriti gerentes in terris, ad ea, ut debemus, libenter intendimus per que dilecti filii subditi nostri, invidie occasione sublata, bonorum ac privilegiorum partecipatione letantur et nihil quoad eorum pacem et orthodoxe fidei et status S. R. E. conservatione[m] attinet non commictatur, prout rerum ac temporum qualitate pensata conspicimus in Domino salubriter expedire, ac inter multiplices curas, quibus assidue premimur, illa libenter amplectimur per que gloriosis Dei sanctis ac apostolice Sedi et in personarum electione et sufficientia laus crescat, utque Christi fideles cum Sede predicta contrahentes perpetua securitate congaudeant ac rebus eis concessis omni sublato impedimento fruantur, totis viribus procuravimus et ob id opem et operam impendimus efficaces.

Dudum siquidem, cum Nos imminentibus necessitatibus ducti pro statu dicte romane Ecclesie ac eiusdem orthodoxe fidei et libertatis Ecclesie tutela diversarum personarum onera sustinere non possemus, diversa collegia militum participantium in provinciis nostris in dicte romane Ecclesie instar officiorum romane Curie perpetuo erigere deliberavimus, putantes hoc modo necessitatibus ipsis parva Camere apostolice iactura occursum iri. Et cum in provincia nostra Marchie unum collegium centum et (1) unius primo et deinde quinquaginta virorum militum lauretanorum nuncupatorum iam ereximus et perfecerimus, cogitavimus in provincia nostra Romandiole aliud collegium centum et quinquaginta virorum militum S. Georgii participantium nuncupandorum (2) qui lictorum eiusdem provincie custodiam habeant, instituere ac illis pro honesta eorum substentatione congrua emolumenta assignare. Et cum dilecti filii inferius nominati ex fide et devotionis sinceritate, qua Nos et dictam romanam reverentur Ecclesiam, pro ne-

(1) Exemplum add. *a*.
(2) Exemplum add. *iam ereximus*.

cessitatibus predictis de summa septuaginta quinque milium scutorum auri in auro propriis animis subvenire optaverint, ex eis collegium predictum erigere ac illis custodiam lictorum predictorum demandare deliberavimus, sperantes quod ipsi eorumque in officio militum huiusmodi successores de his quoad custodiam predictam ac fidem et devotionem huiusmodi servandam pertinebunt nihil omitterent.

Habita igitur super his cum ven. fratribus nostris eiusdem S. R. E. cardinalibus matura deliberatione ac de eorum unanimi consilio et assensu, motu proprio, ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine, tenore presentium unum collegium centum et quinquaginta virorum militum S. Georgii participantium, ut prefertur, noncupandorum, quorum nomina et cognomina inferius describentur, perpetuo erigimus et instituimus, volentes ut ipsum collegium unam stantiam convenientem habeat in palatio civitatis Cesenaten. seu alio loco ubi pro divisione emolumentorum et congregationibus ac aliis negotiis collegii inter eos pertractandis conveniri possint, illamque per Legatum predictum seu rectorem dicte provincie pro tempore existentem eis infra mensem a die requisitionis sibi facte in loco convenienti liberam et expeditam assignari et perpetuo manuteneri debere, ac decernentes milites ipsos S. Georgii presentes et pro tempore existentes veros et indubitatos familiares, continuos commensales nostros et romani Pontificis pro tempore existentis existere ac a quibuscumque apostolicis et aliis litteris, scripturis et actibus publicis et privatis se tales scribere et nominare et ab aliis nominari posse et debere, ac eo ipso quoad officium militie huiusmodi admissi fuerint et cuiuslibet eorum filium primogenitum vel nasciturum nobiles de maiore nobilium genere ac aule Lateranensi comites cum potestate per se vel alium seu alios in genere et specie, quotiens cuilibet eorum placuerit, seu delegandos ac deputandos ab eis quoscumque, qui iure canonico et civili seu altero eorum per diligentem examinationem scientie et moribus idonei et sufficientes inventi fuerint in utroque vel altero iurium huiusmodi; quos vero in Theologia etiam cuiuscumque Ordinis etiam Mendicantium professores existentes, etiam si alias Superioris consensus requireretur, habitus vel requisitus non fuerit, seu artibus vel medicine aut alia licita facultate studuisset similiter per diligentem examinationem duorum aut trium per eos eligendorum doctorum seu magistrorum facultatis in qua studuerit coram eis vel aliquo eorum habitum ad fidelem magistrorum seu doctorum eorumdem attentionem cisfacundam peritos ac scientie et moribus ad hoc idoneos et sufficientes esse reperierint, de eorumdem doctorum seu magistrorum quo ad premissa quia consilio et assensu in Theologia seu in artibus vel medicina aut alia licita facultate huiusmodi ad baccalaureatus, licentiatus, doctoratus et magisterii gradus promovendi et illis in eis legendi, interpretandi, disputandi et alios actus ad personas in huiusmodi gradu constitutas quomodolibet pertinentes faciendi, auctoritatem concedendi et ipsorum gradum solita insignia eis conferendi; nec non iudices ordinarios et tabelliones publicos creandi et

creatos de iudicatus et tabellionatus et notariatus officiis huiusmodi per pennam et calamare, ut moris est, recepto prius ab eis solito iuramento, investiendi; cum spuriis et bastardis, manseribus, incestuosis et aliis ex quovis illicito et damnato coitu procreatis, ut in parentum et aliorum bonis tam ex testamento quam ab intestato sine preiudicio venientium ab intestato succedere et quoscumque actus legitimos exercere et ad quosvis honores, dignitates et officia publica vel privata assumi illaque gerere et exercere in omnibus et per omnia ac si de legitimo essent matrimonio procreati, libere et licite valeant disponere et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis legibusque imperialibus etiam ex illis que in usibus feudorum et autenticorum habentur, etiam si de illis mentio specialis habenda foret, que haberi posset ad libitum voluntatis, statutis quoque et aliis ordinationibus in contrarium pro tempore editis etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate aliqua roboratis, quotiens ei placuerit in quavis mundi parte derogandi *et reliqua quae in Breve et Bulla sequuntur, ad quam relatio habeatur.*

Datum Rome apud S. Petrum, anno incarnationis Domininice millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, septimo kal. iulii, pontif. nostri anno duodecimo.

Ego Paulus Catholice Ecclesie episcopus.

Deinde sequitur:

« *Hieronymus S. Georgii ad Velum aureum S. R. E. diaconus cardinalis, provinciae Romandiolae et exarchatus Ravennae de latere legatus.*

« *Cum d. Galeatius Philipputius Assisien. summam quingentorum scutorum auri in auro in manibus magnifici d. Benvenuti de Oliveriis provinciae praedictae thesaurarii pro sanctissimo d. nostro Paulo papa III et Camera apostolica receptoris realiter et cum effectu solverit, pro pretio et nomine pretii unius officii militum S. Georgii de numero participantium nuncupatorum nuper prelibati ss. domini nostri in dicta provincia erectorum, quod ut per litteras sub plumbo expeditas sub dato VII kal. iulii MDXLVI latissime constat; idcirco universis et singulis praesentes nostras litteras inspecturis, lecturis pariter et audituris notum facimus et testamur dictum d. Galeatium fuisse et esse in Bulla erectionis huiusmodi descriptum in numero ac consortio aliorum militum S. Georgii aggregatorum, et propterea auctoritate nostra qua in hac parte fungimur per praefatum d. Galeatium omnibus et singulis gratiis, privilegiis, indultis, honoribus, oneribus, exentionibus, praerogativis et immunitatibus in dictis litteris apostolicis concessis in omnibus et super omnia uti, frui, potiri et gaudere, eidemque de fructibus et proventibus, iuribus et obventionibus ac emolumentis universis dictorum militum et super extractione septuaginta stadiorum frumenti ad mensuram Cesen. gratis tam per mare quam per terram anno quolibet instar aliorum militum S. Georgii huiusmodi integre responderi, satisfieri et concedi debere ab omnibus ad quos spectat, tenore praesentium decernimus, concedimus et mandamus; contrariis non obstantibus quibuscumque.*

« In quorum fidem has praesentes manu nostra subscriptas fieri et per infrascriptum Camerae apostolicae notarium subscribi sigillique nostri, quo in talibus utimur, fecimus appensione communiri.

« Datum Romae in aedibus solitae nostrae residentiae, die prima mensis martii MDXLVIII, pontif. sanctissimi in Christo patris d. n. d. Pauli divina providentia papae III anno XIV.

« Hieronymus card. legatus.

« Benvenutus Oliverius thesaurarius, Alexander Maximus secretarius. L. ✠ S. ».

Eximiis et excellentissimis viris doctoribus iuris utriusque, magnifico d. Aurelio Leoncitto de Spoleto ad praesens civ. Assisii gubernatore [...] (1) *ac d.* [...]*are Nuto a dicta civ. Assisii rigoroso examine* [...] *per* [...] *deputatis ac nominatis puncta pro dicto examine subeundo, prout in aperitione librorum casu evenerunt in iure canonico c. Quamvis, extra, de Officio et potestate iudic. delegat. et in iure civili f. Stipula* [...] *modo concepta §§ de verborum obligationibus, data ei licentia dicendi primo orationem c*[...]*ntem pro exordio recitavit et puncta egregie, rite et subtiliter declaravit et exposuit et postea super illis per supradictos eximios et excellentissimos doctores subtilissimis argumentis et quaestionibus subtiliter et diligenter examinatus, tentatus et aprobatus fuit; qua facta disputatione et approbatione, dicti dd. doctores dixerunt dictum d. Iosephum ad gradum doctoratus in iure canonico et civili assumendum et ad illum promovendum et consequendum* [es]*se habilem et idoneum.*

Idcirco nos Galeatius praefatus ad ipsius d. Iosephi ulteriorem instantiam, auctoritate qua fungimur apostolica, [*ipsum*] *d. Iosephum ad gradum doctoratus in iure canonico et civili promovendum et insignia doctoralia assumenda sufficientem et idoneum dignum esse et benemeritum pronunciamus, decernimus, declaramus ipsumque doctorem iuris canonici et civilis solemniter fecimus, curavimus, ordinavimus, pronunciavimus, decernimus et declaravimus per praesentes, adhibitis solemnitatibus requisitis, tribuendo sibi tamquam sufficienti et idoneo plenam auctoritatem et facultatem cathedram doctoralem ascendendi in quibuscumque locis et scholis legendi, disputandi, interpretandi, glossandi, docendi et terminandi et alia et aliis quibuscumque universitatibus, locis et scholis possit facere et valeat. Et nihilominus ipsum d. Iosephum praesentem et acceptantem consuetis ornamentis doctoratus insignivimus, tribuendo eidem librum apertum et deinde clausum, biretum capiti suo imponendo, anulo aureo subarrando et pacis osculum dando, iuramentum fidelitatis in forma ab eo accipiendo. Sic itaque dicto magnifico d. Iosepho ad apicem doctoratus assumpto, rursus decrevimus, ordinavimus prout decernimus et declaramus, ipsum magnificum d. Iosephum omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, praerogativis, libertatibus, honoribus, oneribus, concessionibus, gratiis, favoribus et indultis, quibus similes doctores potiuntur, utuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere debere.*

---

(1) Membrana passim lacera et perforata.

In quorum fidem has praesentes nostras litteras exinde fieri per notarium infrascriptum de [...] *subscribi, sigillique nostri iussimus et fecimus appensione communiri.*

Datum Assisii in palatio aput et iuxta plateam magnam et alia latera, sub anno Domini MDLVIII, ind. I, tempore pontif. ss. in Christo patris et d. n. d. Pauli divina providentia papae IV, die vero IX ianuarii, pp. ibidem discretis viris ser Diophebo Bontadoso de Montefalcone et Berardino Cicchi Chatarini de Assisio tt. habitis [...] *et rogatis.*

Petrus Benignus de Assisio not.

Instr. XIII, 14. — *Originale.*

585. *1559, 26 februarii.*

Paulus papa IIII, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem *etc.*

A superno Patre familias, meritis licet imparibus, in domo Domini dispensatores constituti, thesaurum dominicum Nobis divinitus creditum sic dispensare satagimus, ut illius erogatione Christi fideles Domino acceptabiles et bonorum operum sectatores reddere valeamus.

Cum itaque, sicut accepimus, professores Ordinis fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum pro electione novi Ministri generalis eiusdem Ordinis et conservatione religiosae vitae iuxta Regulam et Constitutiones dicti Ordinis Capitulum generale in domo S. Francisci Assisinaten. eiusdem Ordinis in festo Pentecostes proxime futuro more solito sint celebraturi et ad celebrationem Capituli huiusmodi multi ipsius Ordinis professores, zelo religionis pleni ac scientia morumque probitate praediti ex omnibus mundi partibus, Altissimo favente, accessuri sint, et ad eorum sustentationem copiosa Christi fidelium suffragia admodum necessaria esse dignoscantur; Nos, ut Christi fideles praedicti ad haec promptiores reddantur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui praedictam S. Francisci dicto die Pentecostes, qui vero Ianuen. seu Mediolan. aut Placentin. vel Cremonen. seu Parmen. aut Bononien. vel Ferrarien. seu Neapolitan. aut Panormitan. vel Messanen. domorum Ordinis fratrum Minorum Conventualium huiusmodi ecclesias in festivitate Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi a primis vesperis usque ad occasum solis diei et festivitatis huiusmodi inclusive devote visitaverint et pias inibi ad Deum preces pro exaltatione fidei catholicae effuderint et ad praemissa aliquam elemosinam de bonis suis eorum arbitrio erogaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Et ut ipsi Christi fideles indulgentiae et remissionis huiusmodi capaciores reddantur, dilectis filiis Guardianis singularum domorum praedictarum nonnullos eiusdem Ordinis professores, qui eorumdem Christi fidelium confessiones audire et eis diligenter auditis ipsos Christi fideles ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et

delictis quantuncunque gravibus et enormibus, etiam in casibus Sedi apostolicae reservatis, exceptis contentis in litteris in die Coenae Domini legi consuetis, absolvere eisque poenitentiam salutarem iniungere, nec non vota quaecunque per eos emissa (ultramarino, visitationis liminum apostolorum Petri et Pauli de Urbe ac S. Iacobi in Compostella nec non castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possint, eligendi, deputandi, plenam et liberam apostolica auctoritate tenore praesentium tribuimus facultatem et potestatem.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac cancellariae apostolicae regulis, nec non similium indulgentiarum etiam pro Cruciata sancta aut fabrica Basilicae Principis apostolorum de Urbe suspensionibus, limitationibus et revocationibus per Nos et dictam Sedem pro tempore factis; sub quibus praesentes litteras minime comprehendi, sed ab illis exceptas esse; ac post festivitatem praedictam minime valere decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ea fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDLVIIII, pontif. nostri anno quarto.

Instr. XIII, 15. — *Originale.*

587. *1574, 25 iunii.*

Dilecto filio *Iulio Columberto de Assisio,* Ordinis fratrum Minorum Conventualium professori et sacre Theologie magistro,

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecte fili, salutem *etc.*

Cum, sicut accepimus, alias a Generali Ordinis Minorum Conventualium heretice pravitatis Inquisitor in oppido Utinensi et toto patriarchatu Aquilegiensi cum facultatibus tunc expressis deputatus fueris, prout in patentibus litteris desuper confectis plenius dicitur contineri; Nos pro nostro pastorali offitio ad extirpandas, quantum cum Deo possumus, hereses magnopere intenti, sperantes te pro tua doctrina, prudentia et catholice religionis zelo offitio huiusmodi tibi demandatô diligenter invigilaturum, et ut illud etiam efficacius exequi valeas, quo nostra quoque fueris auctoritate suffultus, providere volentes; te in eodem oppido Utinensi ac toto patriarchatu Aquilegiensi, necnon in civitate et diocesi Concordie heretice pravitatis Inquisitorem cum auctoritate et facultatibus aliis Inquisitoribus huiusmodi tam de iure quam ex approbata consuetudine seu privilegiorum vigore competentibus et dari solitis auctoritate apostolica tenore presentium facimus et deputamus.

Dantes tibi insuper facultatem vicarios tuos super premissis seu commissarios in dictis locis, prout opportunum iudicaveris, istituendi

et illos, toties quoties tibi videbitur, destituendi et alios eorum loco surrogandi, necnon unum vel plures Fratres tui Ordinis ad describendum acta et processus sancti inquisitionis officii, prout opus fuerit, in notarios deputandi ceteraque in premissis necessaria seu quomodolibet opportuna mandandi, gerendi et exequendi. Precipientes tibi in virtute sancte obedientie, ut omnem curam, operam et diligentiam adhibeas ad recuperandum omnes et singulos processus et acta quomodolibet spectantes seu spectantia ad dictum sanctum inquisitionis officium, a quibuscunque personis cuiusvis dignitatis tam ecclesiastice quam mundane existentibus in predictis locis degentibus, ad effectum illas et illa penes te seu tuos in dicto offitio successores tute et fideliter conservandi; contradictores quoslibet et rebelles processusque et acta predicta tibi tradere recusantes seu differentes per censuras et penas ecclesiasticas aliaque opportuna remedia, auctoritate nostra, compescendo et ad id compellendo.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXV iunii MDLXXIIII, pontif. nostri anno tertio.

Instr. XIII, 24. — *Originale.*

ADDITIONES[1]

589. *1414, 23 aug.* — Fr. Pascutius Davini O. F. M. fit Guardianus Montis Sion.

In Christo sibi karissimo fr. Pascutio Davini de Asisio fr. Antonius de Pereto ([2]), *Ordinis Minorum generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.*

Cum per renuntiationem laudabilis vite fr. Nicolay de Corintho ([3]) *hactenus guardiani sacri Montis Syon in Yherusalem, conventus*

---

(1) Iam elenchus noster Bullarum typis prodierat, cum nova membranacea documenta, inter alterius generis chartas confusa, ad manus pervenerunt, quae in nuper collectum volumin instrumentorum Archivi sacri Conventus inserui. Haec inter, duo sunt quae papales litteras praebent, aliaque quatuor cum priore, quod de fr. *Pascutio Davini,* O. F. M. agit, immediate connexa; quae omnia hic addere peropportunum censui. In elencho documentorum chronologice disposito, quem infra inveniet, agnoscet lector quam belle cum aliis superius editis haec nova monumenta coalescant.

(2) Min. gen. ann. 1405-1420: AFH III, 705ss.

(3) Apud P. Gir. Golubovich, O. F. M., *Serie cronologica dei... Superiori di Terra Santa,* Gerusalemme 1898, p. 20, sub nomine recensetur « Nicolò di

prefati sacri Montis ad presens careat Guardiano, volens eidem conventui de ydoneo providere Guardiano; hinc est quod te, de cuius honesta vita, fidei çelo, morum claritate ac sollertia multa ad regendum fide dignis testimoniis pleniter informatus, de quamplurium Ministrorum, magistrorum et aliorum proborum Fratrum consilio et assensu, Guardianum prelibati conventus sacri Montis Syon institui et institutum denuntio per presentes, cum omni auctoritate et gratiis alias Guardianis antefati conventus solito concessis; mandans tibi ad meritum obedientie salutaris, quatenus predictum Guardianie officium sine contradictione suscipias susceptumque cum omni fidelitate et diligentia exequaris secundum gratiam a Domino tibi datam; exortans te in Domino nostro Yhesu Christo ut taliter in cunctis te geras, ut merito lucerna lucens super candelabro posita nuncuperis, in augumentum gratie divinitus tibi concesse. Fratres vero omnes in iurisditione memorate Guardianie existentes, presentes pariter et futuri, iussioni tue per eamdem obedientiam teneantur firmiter obbedire. Quos tibi teque ipsis carius in Domino recommendo.

Vale in Christo Yhesu et ora pro me.

Datum Tervigii, die XXIII mensis augusti MCCCCXIIII.

(A) Placet. *Registrata. Visa.*

Instr. saec. XIII-XVI, 23 aug. 1414. — *Orig. perg. mm. 175×195. In dorso vestigium sigilli ovalis Ordinis et nota coaeva:* Littera Guardianie Yherusalem (¹); *et altera posterior:* Constitutio Guardiani facta per Generalem Ordinis in loco Montis Sion in Ierusalem, 1414.

590. *1417, 6 ian.* — Epistola generalis Ministri, qua fr. Pascutius Davini de iusto et bono regimine Terrae Sanctae commendatur, insimulque Inquisitor haereticae pravitatis instituitur.

Universis successoribus meis generalibus Ministris, Ministro provincie sancti Francisci ceterisque Fratribus Ordinis fratrum Minorum fr. A n t o n i u s d e P e r e t o, *Ordinis Minorum generalis Minister et servus, eternam in Christo salutem.*

Quoniam nostri Salvatori (²) *et sanctorum patrum decretis adtente monemur ut virtutum et meritorum luminosa lucerna cuiusquam non sub modio silentii set potius super candelabrum laudabilis preconii poni et efferri debeat, quatenus in domo sancte conversationis existentibus exemplariter reluceat, sicque tamen posite talis adhibeatur cauta custodia quod turbo maligne ac perverse detractionis nullatenus extinguere valeat et obfuscare; ea propter volens monitis inherere salutaribus, ut teneor, pre-*

Pietro », inter annos 1405-1410. Fr. Pascutius Davini ibi in Serie deest. Circa quem, quae de eius guardianatu Venetiarum, ex Bartolomasi *Serie*, 26, adnotantur in AFH VII, 339, hoc novo documento erronea penitus comprobantur.

(¹) Haec nota dorsualis et prior vel unica quae in singulis nnr. 590-593 recensentur, unica coaeva manu sunt scriptae, iisque formulis et tacito Fratris nomine, ut probabilius coniici possit ab ipso fr. Pascutio eas exaratas esse.

(²) Perg. *suoperiorum*.

dilectum michi in Christo filium fr. Pascutium Davini *de Asisio provincie sancti Francisci, nuperime Guardianum sacri Montis Syon in Yherusalem, virum utique virtuosum et religiosum, scientia et moribus decoratum, honestatis et fidelitatis prepollentem, vobis omnibus merito iustitie et equitatis duxi per presentes reserandum et iure suarum virtutum scripturis authenticis commendandum. Nam acceptis fide dignis testimoniis ex diversis relatibus, nec non super hoc graviter et mature foro iudiciali sollempniter celebrato, ipse fr.* Pascutius *repertus est suum prefate Guardianie officium cum mangnis laudibus peregisse. Ut enim in predicto iudicio clare probatum est, sancte conversationis et honestatis intus et extra exemplar extitit, vivido spiritu ac intrepido animo tam Fratres quam loca sibi commissa a solitis Sarracenorum vexationibus divino munere defensavit, plurima ibi de novo construxit, in multis loca Terre Sancte obligavit, quinymmo apud procuratorem copiosam elymosinam reliquid, omnium bonorum temporalium administrator et conservator fidelissimus est penitus inventus. Insuper per speciales licteras ab omnibus Fratribus qui secum conversati sunt et ipsius regimen sunt experti ab omni obiectione et criminis impositione mundus et immunis redditus est.*

Quapropter de multorum sacre Theologie magistrorum et aliorum proborum Fratrum, presertim ipsorum qui huiusmodi cause auditores et examinatores fuerunt, pariformi consilio et assensu, antedictum fr. Pascutium *de omni administratione quieto et ab omni vexatione futura preservo; omnibus deinceps detractoribus, accusatoribus, criminatoribus de tempore prefate Guardianie malignandi viam precludo, eisque per presentes perpetuum silentium impono, eundemque fr.* Pascutium *a sua Guardiania sua spontanea ac libera voluntate relaxatum vera laude et commendatione ac honorabili promotione omnino dingnum fore arbitror. Propter quod pro nunc ipsum Fratrem memoratum Inquisitorem heretice pravitatis in provincia sancti Francisci institui, insuper et Lectorem sacri Conventus Asisii subordinavi in premium suorum multiplicium meritorum, quatenus ex premio virtutum inardescat quilibet sacros colere mores, Ordinem honorare ac de virtute ad virtutem volatu celerimo pertransire.*

Has denique licteras in superiorum (2) *omnium verum testimonium fieri feci et sigilli mei generalatus offitii appositione roborari.*

Datum Venetiis MCCCCXVII, die VI mensis ianuarii.

(A) Placet. *Registrata. Visa.*

Instr. saec. XIII-XVI, 6 ian. 1417. — *Originale perg. mm. 220×305. Deest sigillum. In dorso nota coaeva:* [Littera testim]onialis generalis Ministri [pro iu]sto et bono regimine Terre Sancte.

591. *1418, 13 iulii.* — Fr. Pascutius Davini fit capellanus et familiaris d. Guidantonii comitis Urbini.

Guidantonius comes Montisferetri, Urbini etc.

Exigentibus apud nos benemeritis fide atque cura solerti, quam ad nos curamque nostre anime gessit et gerit vir religiosus atque honestus fr. Pascutius Davini *de Assisio Ordinis Minorum, merito inducimur*

ut eum ad honores et comoda provocemus. Itaque ipsum in nostrum capellanum et domesticum tenore presentium elligimus atque deputamus, ut illis honoribus et privillegiis gaudeat et fruatur, quibus alii nostri capellani et domestici gaudere et frui noscuntur. Dominos igitur patres, fratres et amicos nostros, quorum interrerit, attente rogamus, nostris vero officialibus et subditis iniungendo, quatenus eundem capellanum nostrum libere et expedite transire, stare atque recedere permittant semel et pluries per quecunque eorum et nostra territoria, civitates, terras et castra, villas atque loca, tam de die quam de nocte, et tam per terram quam per aquam, cum omnibus suis socio, bonis, arnensibus, pannis, libris et rebus quibuscunque, absque solutione aliqua et ullo sine impedimento, suscipiantque nostri intuitu et amore propitie recomissum, atque faciant eidem, si opus fuerit et ipse requixiverit, de guidis et salvis conductibus provideri. Pro quo ipsis remanebimus obligati, et nostrorum officialium et subditorum promptitudinem ad mandata merito cognoscemus.

In quorum fidem presentes fieri fecimus et registrari nostrique sigilli soliti iussimus impressione muniri.

Datum Urbini, die XIII mensis iulii MCCCCXVIII.

Antonius subscripsit.

Instr. saec. XIII-XVI, 13 iulii 1418. — *Orig. pergamen. mm. 220×255, cum cereo sigillo. In dorso manu coaeva:* Lictera capellanie et familiaritatis domini Comitis Urbini.

592. *1425,* 7 *et 10 febr.* — Breve Martini papae V super reformatione provinciae S. Francisci; et epistola Ministri gen., qua fr. Pascutius Davini in eadem Provincia Vicarius, Commissarius et Visitator instituitur.

In Christo sibi karissimo Pascutio Davini de Assisio fr. Antonius de Massa ([1]) *sacre Theologie magister, Ordinis Minorum generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.*

Cum die IX februarii Breve quoddam a sanctissimo domino nostro papa Martino V receperim, cuius tenor talis est:

Dilecte fili, salutem *etc.*

Intelleximus nuper quod in provintia sancti Francisci Ordinis eiusdem Sancti non recte vivitur iuxta eiusdem Ordinis regularia instituta, et multa propterea scandala sunt suborta. Et quia nostra interest super talibus adhibere remedium salutare, cui totius Ordinis regimen est commissum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium Fratrem tui Ordinis professorem, laudabilis vite et fame, conventus et Fratres dicte Provintie visites, corrigenda corrigas et reformanda reformes, sicut prudentie tue pro ipsorum fratrum et tui Ordinis professorum animarum salute secundum Deum cognoveris expedire.

Datum Rome apud sanctos Apostolos sub annulo Piscatoris, die VII februarii, pontificatus nostri anno VIII.

([1]) Minister gen. ann. 1424-1430: AFH III, 709ss.

Superscriptio: Martinus papa V dilecto filio *Antonio de Massa*, Ordinis fratrum Minorum et sacre Pagine professori ac eiusdem Ordinis generali Ministro.

B. de Montepolitiano.

Et cum ad presens aliis prepeditus negotiis Ordinis, ad predictam provintiam sancti Francisci non valeam me transferre, volens domini nostri adimplere mandatum atque de remedio salubri providere; hinc est quod te, de cuius zelo, vita laudabili, prudentia circumspecta, discretione precipua, sufficientia multa ac virtutum probitate, multiplici experientia sum plenissime informatus, de multorum magistrorum ac aliorum proborum Fratrum conscilio et assensu, in iam dicta provintia sancti Francisci meum Vicarium, Commissarium ac Visitatorem institui quoad Fratres et Sorores Ordinis sancte Clare et institutum denuntio per presentes, visitandi publice et private, inquirendi, puniendi, corrigendi, reformandi, ordinandi, destituendi prelatos quoslibet et loco eorum alios instituendi, gratias et licentias per me Fratribus concessas in iam dicta Provintia limitandi et suspendendi, contradictores per censuram ecclesiasticam et alias penas in nostro Ordine consuetas infligi compescendi, de offitialibus quibuslibet providendi ac cetera alia fatiendi circa Fratres tam prelatos quam subditos et Sorores Ordinis sancte Clare, que ego ex offitio michi iniuncto, si personaliter adessem, valerem exercere, plenam auctoritatem tibi presentibus concedo.

Quapropter dilectioni tue tenore presentium ad meritum obedientie salutaris iniungo, quatenus, assumptis tecum uno vel pluribus sotiis de quavis Ordinis parte, ad dictam Provintiam indilate te transferras, executurus sollicite et fideliter per me tibi iniuncta secundum gratiam a Domino tibi datam. Fratres vero omnes, tam prelati quam subditi, et Sorores Ordinis sancte Clare iam dicte Provintie tibi tanquam vero meo Vicario, Commissario ac Visitatori a latere in omnibus, que ad prefata tibi imposita per me pertinere noscuntur, teneantur per sanctam obedientiam firmiter obedire, omni appellatione posposita.

Vale in Christo Yhesu et ora pro me.

Datum Rome, die X mensis februarii, anno Domini MCCCCXXV.

(A) Sigilletur et registretur. *Registrata. Visa.*

Instr. saec. XIII-XVI, 10 febr. 1425. — *Exemplum quoad Breve, originale perg. quoad epistolam gen. Min., mm. 175×340. In dorso vestigium sigilli ovalis Ordinis et nota coaeva:* Lictera Vicariatus, Visitationis et Commissariatus generalis Ministri in provincia S. Francisci; *et altera posterior:* Pro reformatione in provincia S. Francisci; Al Provinciale Pasquzio.

593. *1426, 23 martii.* — Confirmatio fr. Pascutii Davini in Ministrum provinciae S. Francisci.

In Christo sibi karissimo fr. Pascutio de Assisio, fr. Antonius de Massa, Ordinis fratrum Minorum generalis Minister et servus atque sacre Theologie magister, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Cum per liberam et spontaneam renuntiationem officii ministeriatus dilecti in Christo fr. Pauli de Gualdo (¹) *sacre Theologie magistri, condam Ministri fratrum Minorum provintie sancti Francisci, et acceptatam per rev. patrem fr. Nicolaum del Nievo* (²) *de Vincentia provintie sancti Antonii, Vicarium et Comissarium meum in supradicta Provintia cum plenaria potestate, et in eadem iam dicta Provintia Ministeriatus vacaret offitium, Custodes et Fratres alii Provintie sepedicte, ad quos electio successoris Ministri pertinebat, anno Domini MCCCCXXVI die XV februarii in conventu Eugubii, ad Congregationem habentem vim Capituli provintialis per ipsum Vicarium meum congregati et vocati, secundum nostri Ordinis instituta, sicut patet per decretum electionis michi personaliter presentatum per dilectos in Christo fratres Andream de Assisio* (³) *sacre Theologie magistrum et Ugolinum de Assisio* (⁴) *lectorem Sancte Marie de Angelis, de gremio sepedicte Congregationis, et invocata Spiritus* [*sancti*] *gratia ad electionis scruptinium procedentes, te in suum et memorate Provintie Ministrum elegerint, in te pro maiori parte vel concorditer duxerint* (⁵) *vota sua, humiliterque petiverint et magna instantia postularint ut electionem prefatam deberem canonice confirmare; ego vero, ad quem ex debito Generalatus offitii spectat confirmatio supradicta, congregato plurium magistrorum ac aliorum proborum Fratrum conscilio, electionis formam et reliqua que in premissis necessaria iudicavi, diligenter inquirens et examinans canonice universa, electionem predictam, repperi eam canonice et rite factam. Quapropter, considerata sinceritate vite tue, sufficientia scripturarum, zelo iustitie et tua multiplici probitate, quibus divina benignitas te insignivit, decoravit, et quod in te plurimum Fratres vel concorditer direxerint vota sua, de predictorum Fratrum conscilio et assensu, electionem predictam de te factam tamquam rite et canonice celebratam confirmando, te Ministrum provintie sancti Francisci institui et institutum denuntio per presentes; mandans tibi ad meritum obedientie salutaris ut predictum Ministeriatus offitium reverenter suscipias, susceptumque prudenter et solicite exequaris secundum gratiam a Domino tibi datam, addens et obsecrans per aspersionem sanguinis Yhesu Christi ut in prefati cura regiminis ad bonum pacis, mentis et cordis et observantiam regularem in tibi subiectis solerter vigiles, virtutes foveas, extirpes vitia, et Fratres tibi commissos in omni sanctitate conserves. Ipsi vero omnes et singuli sepedicte Provintie Fratres, presentes pariter et futuri, tibi tanquam ipsorum vero Ministro in omnibus que ad*

(¹) Min. prov. ann. 1422-†1426: Bartolomasi, *Series* cit., 25s.

(²) De Omidia. Ann. 1435 electus episcopus Tripolitanus: Wadd., *Annales*, ann. 1435, n. 16; X, 238; Eub. *Hier.*, II¹, 281.

(³) Andreas Egidii de Ass. Inquisitor an. 1435; Custos S. Conventus ann. 1439; Min. prov. 1459-62; episcopus Assis. 1473-75: Bartolomasi, *Series*, 27; *Disamina*, 322s.; AFH VII, 336.

(⁴) « Ugolinus Cola de Ass. », postea, anno 1445, Minister prov. S. Francisci: Bartolomasi, *Series*, 26.

(⁵) Sic, pro *direxerint;* cf. nonam lineam sequentem.

tuum spectant offitium toto Ministeriatus tui tempore teneantur firmiter obedire.

Vale in Christo Yhesu et ora pro me.

Datum Tridenti, die XXIII martii, anno Domini MCCCCXXVI.

(A) Sigilletur et registretur. *Registrata. Visa.*

Instr. saec. XIII-XVI, 23 martii 1426. — *Originale perg. mm.* 175×365. *In dorso vestigium sigilli et nota coaeva:* Lictera confirmationis offitii Ministeriatus; *sequentem vero P. Nic. Papini addidit:* Pascuccio Davini di Assisi, eletto Provinciale dell' Umbria nel Capitolo di Gubbio, riceve dal Generale la patente. È notabile che in detto Capitolo o Congregatione fu vocale fr. Ugolino di Assisi, Lettore Sanctae Mariae de Angelis, che poi fu Provinciale e Maestro. Dunque è falso l'asserto del Vadingo, che la Porziuncola fu data ai Riformati 1416 (*sic*). Ma nel capitolo ancora del 1427 s' incontra Vocale il Lettore degli Angeli con il Discreto del Convento (1).

594. *1521, 2 februarii.* — De controversia inter Fratres Conventuales S. Francisci Assisii et de Observantia S. Mariae Angelorum.

Tiberius Manilius i. u. d. Lateranensis ecclesie canonicus, per dd. Bernardinum episc. Sabinensem presbyt. cardinalem S. Crucis ac Franciscum tit. S. Georgii ad Velum aureum diac. cardinalem de Ursinis, iudex ad merita cause huiusmodi eis referendum deputatus, universis dd. Abbatibus, etc., et tabellionibus publicis per civ. et dioc. Assisinaten. salutem in Domino et nostris firmiter obedire mandatis.

Noveritis quod nuper sanctissimus d. Leo papa X quandam commissionis sive supplicationis papiri cedulam eisdem dd. Cardinalibus presentari fecit sub hac forma:

Ne causa quam dilecto filio Francisco S. Georgii diac. cardinali de Ursinis inter dilectos filios Vicarium et Guardianum conventus *S. Marie de Angelis* Assisinaten. Ord. Min. S. Francisci de Observantia *Felicemque* de Assisio, *Bernardinum* de Mevania eiusdem Ord. professos ex una et Magistrum provincialem et Custodem provincie S. Francisci Ord. Min. Conventualium et quendam Cornelium de ser Diamento laicum sive clericum Assisinaten. de et super diversis excessibus, invasionibus aliisque reatibus nuper in et extra conventum S. Francisci Assisinaten. Conventualiumque predictorum commissis et perpetratis vive vocis oraculo commisimus, de iurisdictione ipsius F(rancisci) cardinalis hesitari contingat, nec causa ipsa cum inter ipsos Religiosos agatur preter solitum absque ven. fratris nostri d. episcopi Portuen. eiusdem Ord. generalis Protectoris vel sui Viceprotectoris interventu discuciatur motu proprio etc. eidem F(rancisco) cardinali et ven. fratri nostro B(ernardino) episcopo Sabinensi cardinali S. Crucis nuncupato in locum eiusdem Dominici cardinalis viceprotectori[s], ut in causa et causis huiusmodi coniunctim etiam summarie simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii

(1) Cf. tamen AFH XIII, 294s.

sola facti veritate inspecta, pro habenda meritorum cause huiusmodi plenissime informatione ut de illius meritis Nobis referant committimus et mandamus cum potestate in Curia et extra etiam omnes et singulos tam in decreto quam in executione citationis presentium vigore decernimus nominandi, citandi et inhibendi ac quoscunque et ad quencumque numerum tam Regulares quam seculares clericos etiam in sacerdotio et quacumque dignitate ecclesiastica constitutos et laycos infra terminum per ipsum prefigendum sub censuris ecclesiasticis penisque pecuniariis ac privatione officiorum tam secularium quam temporalium et beneficiorum ecclesiasticorum et quaruncumque dignitatum ac inhabilitatis ad alia obtinenda et etiam interdicti quorumcunque etiam legitimorum ad comparendum personaliter et non per procuratorem vel excusatorem coram ipsis si ipsis de excessibus, criminibus et delictis quantum sibi sufficere videbitur, etiam extraiudicialiter prout moris monendi et in eventum non paritionis censuras et penas huiusmodi incidisse et incurrisse declarandi, aggravandi, reaggravandi interdictum et auxilium brachii secularis invocandi, aliisque facultatibus necessariis et opportunis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, feriis generalibus etiam septenbris vigentibus statutisque et ordinationibus, privilegiis et indultiis quibuscunque ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque statum omnium et singulorum premissorum aliorumque hic generaliter vel specialiter exprimendorum, tenores et conpendia pro sufficienter expressis habentes.

Que quidem commissio in eius fine due erant apposite signature: quarum prima talis erat:

De mandato d. nostri Pape. Audia[n]t prefati reverendissimi domini Viceprotector et S. Georgii ad premissa et personaliter conparendos, moneant etiam, inhibeant etiam sub censuris et aliis premissis penis, terminum prefigant, procedant summarie etc., et referant ut petitur et in eventum predictum declarent, aggravent etc. etiam sine invocatione etiam cum invocatione si et prout de iure, feriis et aliis premissis non obstantibus.

Secunda vero talis erat:

Placet I(ohanni).

Cuius quidem commissionis sive supplicationis pretextu citatione legitima unacum inhibitione inserta extra romanam Curiam et ad partes, ad patrum Vicarii et Guardiani conventus S. Marie de Angelis Assisinaten. Ordinis memorati S. Francisci de Observantia F e l i c i s *de Assisio et* B e r n a r d i n i *de Mevania eiusdem Ordinis professorum principalium instantiam contra patres Magistrum provincialem et Custodem provincie S. Francisci Ordinis Minorum Conventualium ac Cornelium de ser Diamente laycum sive clericum Assisinaten. ex adverso principales, in forma solita et consueta, decreta atque concessa, mandatis* [...], *hinc inde coram nobis productis et ad nonnullos certos alios inter partes citra tamen cause conclusionem processo; tandem pro parte prefatorum Magistri provincialis ac Custodis S. Francisci conventus Asissii ac Cornelii de ser Diamenti layci Assisinat. asserentium sibi in dicta causa opus fore testimonio dd. Si-*

monis Bernardini Basse de Asissio, mag. Iohannis Longobardi habitatoris Asissii, Petri Nicolai Iacopini de Assissio, mag. Antonii Iuliani de Baidia Assisin. dioc. habit. Asissii, Pascuccii Honofrii de Asissio, Iuliani Cristofori Vasani de Asissio, Tiberii inc[...]*um de Fulgineto habit. Asissii, mag. Iohannis Baptiste de Gallesio fisisi in civ. Asissii, mag. Promotei cerusici Asiss*[...]*ata cum instantia requisiti, quatinus sibi monitorium contra dictos nominatos ad perhibendum testimonium veritati et subiciendum* [...*e*]*xamini coram nobis decernere et concedere dignaremur. Et quia postulatio videbatur iusta et rationi consona, idcirco vobis omnibus districte mandamus, quatinus, statim atque pro parte instantium fueritis requisiti, moneatis suprascriptos testes quatinus infra XX dies proxime futuros debeant conparuisse coram nobis hic Rome veritati testimonium perhibuisse.*

In quorum omnium testimonium presentes litteras fieri et publicari mandavimus sigillique nostri iussimus appensione muniri.

Datum Rome in edibus nostris, sub anno a nat. D. MDXXI, ind. VIII, die sabbati II febr., pontif. d. Leonis pape X anno VIII, pp. dd. Theodorico Vaffro et Iacobo de Montesico clericis Spiren. et Gebennen. dioc. tt.

(S. T.) *Iacobus Apocellus curie causarum Camere apostolice not. et in huiusmodi causa scriba actuarius.*

Inst. saec. XIII-XVI, 2 februarii 1521. — *Orig. membr. mm. 330×250, cum dimidio sigilli pendentis. In dorso attestationes authenticas notariorum, quas sub regesti forma transcribo:* Anno MDXXI die XV febr. Ego Philippus Baciucius not. presentes litteras d. Modestino Maghetto canonico Asisien. et d. episcopi Asisien. vicario generali presentavi; et prefatus d. Vicarius commisit michi ut una cum banditore vadam et infrascriptos testes citem et requiram; et sic una cum Marcho publico banditore presentes litteras Tiberio aromatario de Fulgineo, mag. Iohanni mag. Albertini ducatus Mediolani, mag. Antonio Iuliani dioc. Comens., Simoni Bernardi [...] et Bivignato Evangeliste de castro Rochecciole presentavi, in presentia rev. patris d. Bernardini Cichi Maze et Matthei Salvi de Asisio tt. — Eodem anno, die XVI febr., in presentia ser Iulii ser Thome de Asisio et Matthei Baldassaris spicciali de Nuziloro dictas litteras una cum Bartholo banditore presentavi Petro Nicholai Gapostani de Asisio. — Eisdem anno, die, ind., in presentia Ihyerollimi Baptiste et Octaviani Pauli Octaviani de Asisio una cum Beniamino et Falzitto baylo dictas litteras presentavi mag. Iohanni Baptiste Galleso civitatis phisicho, et mag. ser Mattheo mag. Bernardi cerusicho cum citatione presentavi. — Eodem anno et die 4 martii una cum Rivalcio baylo Asisii dictas litteras presentavi Marino ser Laurentii de Asisio, in presentia Hectulis Galeotti et Antonelli Nicolai de Asisio. Ego Philippus de Vacluriis de Asisio not. et nunc actuarius civ. Asisii *(S. T.)* — Anno MDXXI, die [...] febr. Actum Asisii in prof (?) ante portam ecclesie S. Francisci iuxta res ditte ecclesie et ditti loci, pp. ser Laurentio ser Nicolai et Evangelista Iohannis tt. de Asisio, Petrus publicus baylus comunis civ. Asisii presentavit infrascriptas litteras ser Iacobo de Iannetis de abatia Florterelli (?) et Ludovico Delfino de Spoleto, ad instantiam rev. patrum Fratrum conventus S. Francisci. Alexius [...] not. et ad presens not. actuarius causarum [...] *(S. T.)* = *Cf. nr. 337.*

RECAPITULATIO.

Numeros infra in Indicibus etc. citatos qui apud Periodicum « Archivum » quaerat, in sequentibus volumine, fasciculo et paginis eos inveniet.

Elenchus:	nnr.	**1 - 167**	=	AFH	VIII, III-IV, 592-617.
»	»	**168 - 372**	=	»	X, I-II, 185-219.
»	»	**373 - 588**	=	»	XI, I-II, 206-250.
Appendix:	»	**11a- 319a**	=	»	XI, III-IV, 442-490.
»	»	**320a- 372a**	=	»	XII, I-II, 132-186.
»	»	**377a- 493a**	=	»	XII, III-IV, 471-543.
»	»	**501a- 559a**	=	»	XIII, I-II, 136-180.
»	»	**565a- 594a**	=	»	XIII, III-IV, 508-558.

CORRECTIONES.

Numeri nigro caractere espressi locum indicant correctionis, qui, si litteram a *post se habeant, in* Appendice *requirendi sunt. — Partes correctae eodem caractere, cursivo vel recto, exprimuntur, quo gaudent in textu. — Prima plerumque verba correctionem praecedunt. — Puncta... duas correctiones dividunt sub eodem numero.*

112. « Vestram et Ordinum. — **136.** *Eub 121. Cf. Appendicem.* — **137.** *BF II, 312. Cf. Appendicem.* — **181.** *BF III, 12.* — **182.** *BF III, 13.* — **204.** uberes. — **283.** *BF VII, 695.* — **308.** 1474, 5 nov.... anno 1474, nonis nov. — **334.** — **335.** aliis in dignitate ecclesiastica constitutis. « Non. — **337.** 1526, 18 iul. — **339.** 1563, 19 febr. — **356.** 1615, 23 mart. — **364.** 1635, 30 apr. — **367.** 1659, 7 oct. — **368.** — **371.** 1699, 11 mart. — **372.** 1665, 19 iun. — **390.** 1646, 12 dec. — **451.** *incorporat.* Custodi ac fratribus domus S. Francisci de Assisio ord. Min. « Applicavimus dudum ». Dat. Rome apud S. Petrum an. incarn. D. 1478, IV nonas febr. a. VIII. XIV, 15. — **457.** 1525, 12 iul. ... Piscatoris, die 12 iulii. — **460.** 1534, 25 iun. — **463.** *Cf. Append. sub nr. 339.* — **478.** « Piis ac. — **484.** — « Cum sicut dilectus ». ... *Cf. Append. sub nr. 390.* — **491.** *sub nr. 371.* — **499.** 1283, 28 ian. — **520.** *Stigmatum S. Francisci.* — **535.** Fr. [(*A*) Ioseph Ant. Martinelli]. — **537.** *Cf. Append. sub nr. 412.* — **554.** 1319, 15 dec.... 1329, 18 dec.... *ed. Prati XIX, 495. Cf. Append.* — **555.** XV, 48. — **559.** 1806, 2 sept.... Piscatoris, die 2 sept. — **560.** = *Continuazione dei documenti autentici relativi all'arresto e al trattamento del sommo Pontefice Pio VII. Modena 1814, pp. 14-22.* — **565.** 1262, 19 aug. — **567.** nov. — * *Facultas instituendi syndicos.... BF IV, 190.* — **569.** Instr. saec. XIII-XVI, 12 dec. ... *copiam extractam authenticavit.* — **576.** *sub nnr. 314 et 576-577.* — **577.** *sub nnr. 313 et 576-577.*

11a. *Exemplum.* = Nr. 564: Instr. saec. XIII-XVI, 12 dec. 1374. — *Exemplum auth.* — **56a** de Medina. — **256a.** (*in nota*) Francisci tunc capitaneo civitatis. — **278a.** *1407, 22 martii.* — **295a.** *1451, 8 aprilis.* **318a.** *1480, 20 decembris* .... decembris MCCCCLXXX, pontif. — **440a.** *saec. XVIII. = Edit. apud AFH V, 695s.* — **461a.** PROPRIO I(OANNI). — **472a.** — **549a.** *1762, 17 ianuarii.*

In Extracto pp. 125 [458] et 126 [459] transponendae sunt, et sic respective notandae 126 [459], 125 [458].

TABULA CHRONOLOGICA

OMNIUM DOCUMENTORUM TAM ELENCHI QUAM APPENDICIS

Regesta charactere erecto expressa Bullas pontificias, cursivo alia instrumenta indicant. — Numeri quos littera a *sequitur ad Appendicem remittunt.*

1220, 22 sept. — Contra apostatas 1.
1222, 31 mart. — Privilegium Ordinis tempore interdicti 2.
1223, 18 dec. — Contra apostatas 3.
1227, 4 maii. — Privilegium altaris portatilis 4.
1227, 13 maii. — Contra apostatas 5.
1227, 15 maii. — De absolutione Fratrum ab excommunicatione 6.
1228, 29 apr. — Indulgentia pro loco S. Francisci 7 424.
1228, 10 iun. — Privilegium de oratoriis 8.
1228, 22 oct. — Ecclesia S. Francisci Ass. exempta declaratur 425.
1229, 19 apr. — Professis Ordinem exire non liceat 10.
1230, 22 apr. — Exemptio ecclesiae S. Francisci Assis. 11a 426 564.
1230, 16 maii. — Indulgentiae in translatione S. Francisci 12.
1230, 16 maii. — Indulgentiae in consecratione eccl. S. Francisci 13.
1231, 27 aug. — De tutela Fratrum 14.
1231, 28 aug. — Contra molestos in Fratres 15.
1232, 23 iun. — Canonizatio S. Antonii Patav. 16.
1232, 12 oct. — Libera in locis Fratrum sepultura 17.
1232, 19 oct. — De absolutione Fratrum ab excommunicatione 18.
1233, 17 maii. — Privilegia pro euntibus inter Saracenos 20.
1233, 31 maii. — Facultates eisdem concessae 21.
1233, 6 iun. — Commendat se et Ecclesiam precibus Fratrum 22.
1235, 26 mart. — Indulgentia pro mon. Clarissarum Alexandriae 19.
1237, 31 mart. — Pro Stigmatibus S. Francisci 23 24.
1238, 13 apr. — Facultates concessae euntibus inter Saracenos 25.
1240, 17 nov. — De anno probationis 29.
1240, 12 dec. — De licentia praedicandi Fratribus concedenda 30.
1240, 12 dec. — De absolutione Fratrum ab excommunicatione 31.
1240, 13 dec. — Contra indebite deferentes habitum Fratrum Min. 32 33.
1240, 13 dec. — De electione procuratoris pro conventu S. Francisci Ass. 34.
1240, 24 dec. — De electione procuratoris pro conv. S. Francisci Ass. 36.
1241, 21 febr. — Contra exigentes manualem obedientiam a Fratribus 26.
1241, 21 febr. — Contra mulieres se Clarissas simulantes 27.
1241, 14 mart. — Contra easdem mulieres 28.
1241, 27 apr. — Ne Fratres cogantur ad causarum executiones 35 37.
1241, 6 iun. — Privilegium circa divinum Officium 38.
1241, 19 iun. — Circa licentiam Fratres recipiendi 40.
1241, 20 iun. — Pro Fratribus commorantibus in terris excommunicatorum 39.
1227-1241. — Statuta pro Ordine S. Benedicti 41.
1243, 20 nov. — Pro Fratribus commorantibus in terris excommunicatorum 47.
1243, 22 dec. — Ne Fratres conveniri possint 48.

1244, 20 apr. — De receptione Fratrum iam Ordinis Praedicatorum 42.
1244, 30 maii. — Ne Fratres cogantur ad causarum executiones 44.
1244, 20 iun. — Privilegium de divino Officio 46.
1244, 24 iun. — De receptione Fratrum iam Ordinis Praed. 45.
1244, 5 aug. — Contra apostatas 51 67.
1245, 3 ian. — Circa licentiam Fratres recipiendi 49.
1245, 11 mart. — Facultas concessa episcopo Tolosano 190a.
1245, 17 iul. — Circa curam Monialium 57.
1245, 16 aug. — Circa apostatas 58 373.
1245, 24 sept. — De Fratribus morantibus cum Praelatis 59.
1245, 16 oct. — De cura Monialium 60.
1245, 30 oct. — Privilegium de oratoriis cum altari portatili 61.
1245, 14 nov. — Solvuntur dubia circa Regulam 43 210.
1246, 13 ian. — Potestas Ministrorum in Fratres Inquisitores 52 427.
1246, 25 ian. — De absolutione Fratrum ab excommunicatione 54.
1246, 5 febr. — *Facultas absolvendi Collectores pontificios* 53.
1246, 22 apr. — De anno probationis et contra apostatas 55.
1246, 26 apr. — Contra apostatas 50.
1246, 11 maii. — Pro monasterio Clarissarum de Medina Campi 56a.
1246, 12 iul. — De cura Monialium 62.
1246, 23 aug. — De absolutione Fratrum Friderico imperatori assentientium 63.
1246, 9 sept. — Contra apostatas 64.
1247, 7 iun. — Confirmatur collatio conv. de Vriburch 75.
1247, 13 aug. — Pro Fratribus stantibus cum Praelatis 65.
1247, 19 aug. — Facultas constituendi syndicos 494.
1248, 23 iul. — Ut Fratribus Min. in Urbe provideatur de meliori loco 69
1248, 1 dec. — Privilegia servientium Fratribus 70.
1249, 20 apr. — De receptione Fratrum iam Ordinis Praed. 68.
1249, 1 oct. — Contra apostatas 76.
1250, 22 febr. — Ne Fratres decimas solvant 71.
1250, 5 mart. — Privilegium pro tempore interdicti 72 74.
1250, 6 mart. — Privilegium de altari portatili 66.
1250, 6 mart. — Ne Fratres ad causarum executiones vel curam Monialium cogi possint 73.
1250, 8 aug. — Pro unione cum Graecis 77a.
1251, 27 dec. — Ne Fratres possint conveniri 82.
1252, 12 febr. — Pro fabrica conv. Biterrensis 92.
1252, 13 febr. — Indulgentia in festo S. Francisci 78.
1252, 22 apr. — Circa dignitates ecclesiasticas a Fratribus recipiendas 79.
1252, 17 maii. — Pro loco Roschildensi 80.
1252, 17 maii. — De quarta non danda 81.
1252, 12 iun. — Pro mon. Clarissarum S. Mariae Vallis Flogii 94.
1252, 21 aug. — De coemeteriis Fratrum 85.
1252, 20 nov. — Pro fabrica conv. Nivernen. 86.
1253, 11 iun. — Indulgentia in festo S. Francisci 83.
1253, 11 iun. — Indulgentia in festo consecrationis eccl. S. Francisci Ass. 89.
1253, 24 iun. — De cura Monialium 84.
1253, 10 iul. — Pro fabrica eccl. S. Francisci Ass. 90.
1253, 16 iul. — De bonis donatis ecclesiae S. Francisci Assis. 91 428.
1254, 8 febr. — Indulgentia pro male ablatis 87.
1254, 25 mart. — *Monasterium S. Fortunati Tudertini ab episcopo et Capitulo Ordini donatur* 554[1]a.
1254, 18 mart. — Officium Inquisitionis Fratribus Min. demandatur 88.
1254, 16 apr. — *Electio procuratoris Ordinis Vallis Umbrosae pro commutando monasterium S. Fortunati Tudertini* 554[2]a.
1254, 6 maii. — *Electio procuratoris mon. S. Fortunati Tudertini ad ipsum monasterium commutandum* 554[3]a.

1288, 27 sept. — Indulgentia in festo S. Francisci 228.
1288, 13 dec. — Fides de solutione decimarum 229a.
1289, 4 maii. — Indulgentia pro ecclesia S. Francisci 233.
1289, 7 aug. — De aurifrigio donato ecclesiae S. Francisci 234.
1290, 5 ian. — Pro Cruciata Terrae Sanctae 230.
1290, 5 ian. — De praedicatione crucis 277.
1290, 13 febr. — Collatio beneficii in civ. Assisii 231a.
1290, 13 febr. — Fides de solutione pecuniae decimarum 232a.
1290, 8 aug. — Ut Visitatores Tertii Ordinis sint de Ordine Min. 235.
1290, 22 nov. — Facultas instituendi syndicos 567.
1291, 9 mart. — Fides de solutione pecuniae decimarum 236a 237a.
1291, 13 iun. — Indulgentia pro ecclesia S. Francisci 238.
1292, 11 maii. — *Solutio pro conv. S. Fortunati Tudertini* 554[7]a.
1292, 12 iul. — *Solutio pro conv. S. Fortunati Tudertini* 554[8]a.
1292-95. — *Subdelegatio pro praedicatione Crucis* 377a.
1294, 8 iul. — *Locorum cessio in favorem conv. S. Fortunati Tudert.* 554[9]a.
1294, 24 nov. — *Electio procuratorum pro conv. Assisii* 203a.
1295, 11 nov. — Exemptio bonorum Ordinis 568.
1296, 21 ian. — Indulgentiae pro eccl. S. Francisci 239 240.
1296, 28 ian. — Fides de solutione pecuniae decimarum 241a.
1296, 24 febr. — Exemptio clericorum 242.
1296, 1 aug. — Contra Sarabaitas haereticos 243.
1296, 22 sept. — Contra Pinzocheros 244a 245a.
1297, 8 sept. — Ad Assisinates de militibus mittendis 246a.
1299, 13 febr. — Circa officium Inquisitionis 247a.
1304, 17 febr. — Plura indulta Ordinibus Min. et Praed. 248 569.
1304, 2 apr. — Exemptio Ordinis 249.
1304, 2 apr. — Privilegium pro prov. S. Francisci 250.
1307, 22 nov. — Contra Templarios 251.
1311. — *Electio procuratorum pro conv. S. Fortunati Tudert.* 554[10]a.
1317, 7 oct. — Declaratio super Regulam 252.
1317, 30 dec. — Contra Fraticellos 253 570.
1318, 2 maii. — Ut Clarissae de Panso locum permutare possint 438.
1319, 15 dec. — *Testamentum pro conv. S. Fortunati Tudert.* 554[11]a.
1319. — *Fr. Theobaldus episc. Assis. quasdam Bullas pontificias contra Fraticellos publicat* 570a.
1321, 23 dec. — Contra Spoletanos 254.
1322, 2 dec. — *Electio procuratorum pro Custodia Assisii* 567[1]a.
1326, 18 maii. — Suspensio interdicti in civ. Assisii 255a.
1327, 1 apr. — Suspensio interdicti in mon. S. Petri Ass. 256a.
1327, 30 iun. — Suspensio interdicti in civ. Assis. 257a.
1329, 24 oct. — Suspensio interdicti in civ. Assisii 258a.
1331, 18 dec. — *Facultas absolvendi Tudertinos Ludovicum Bavarum secutos* 554[12]a.
1332, 28 dec. — Fratres commendat eosque absolvendi facultatem concedit 259.
1336, 28 nov. — Constitutiones pro Ordine Fr. Min. 260.
1338, 11 maii. — De rectore cuiusdam ecclesiae Spoletan. dioec. 261a.
1340, 18 febr. — *Electio syndicorum pro conv. S. Fortunati Tudert.* 554[13]a. Cf. nr. 554[14]a.
1341, 15 apr. — Institutio Vicarii de Urbe 262.
1346, 24 apr. — Contra Fraticellos 263.
1349, 27 iul. — *Instrumentum concordiae inter clerum Assisin. et Fratres S. Francisci* 569[2]a, 12.
1349, 30 nov. — Potestas super Inquisitores Annibaldo ap. Sedis legato committitur 571.
1350, 28 mart. — *Mag. Ioannes Iacobi de Hyspello Ord. Min. Inquisitor haer. prav. in prov. S. Francisci instituitur* 571a.
1368, 21 iul. — Electio episcopi Assis. 267.

1559, 20 maii. — De nundinis mensis augusti in civ. Assisii 462a.
1563, 19 febr. – Contra detentores bonorum eccl. S. Francisci 339a 463 586.
1566, 29 iul. — Exemptio Ordinum Mendicantium a collectis etc. 504.
1567, 1 oct. — Confirmatio exemptionis Ordinum Mendicantium 505.
1571, 19 mart. — Impositiones et exemptiones Congregationibus monachorum factae 506.
1574, 25 iun. — Institutio Inquisitoris 587.
1577, 5 iul. — Poenitentiarii in eccl. S. Mariae Angelorum tempore Indulgentiae 464a.
1577, 14 oct. — Altare S. Francisci privilegiatum 328 465.
1578, 5 dec. — Privilegium altaris S. Antonii in eccl. S. Francisci Leonissae 330a.
1579, 24 ian. — Indulgentia pro eccl. S. Francisci Parvuli 329a.
1581, 13 apr. — Contra detentores bonorum conv. S. Francisci 333a.
1581, 15 oct. — Contra detentores bonorum Ord. Fr. Conventualium 332a 588.
1582, 13 ian. — Facultas vendendi ac permutandi in utilitatem sacri Conventus 331a.
1583, 31 ian. — Indulgentia instar Iubilaei 466a.
1583, 8 nov. — De eleemosynis eccl. S. Mariae Angelorum 334 467.
1585, 28 sept. — Indulgentia in festis SS. Francisci, Antonii etc. 340.
1585, 19 nov. — Institutio Archiconfraternitatis Chordigerorum 341 468a.
1586, 7 maii. – Extensio Archiconfraternitatis Chordigerorum 342 469.
1586, 30 oct. — *Confraternitas Chordigerorum Castri Bononiensis unitur Archiconfraternitati Assisiensi* 469a.
1588. — *Schema Bullae pontificiae pro Ordine fr. Min. Conventualium* 343a.
1589, 5 ian. — De promotione clericorum 470.
1596, 19 dec. -- Indulgentiae pro confraternitate erecta in eccl. S. Mariae de Rocchicciola 344a.
1600, 28 sept. — Pro novitiatu sacri Conventus 345a.
1600, 5 dec. — Dispensatio a defectu natalium 346a.
1601, 13 ian. — Contra detentores bonorum conventus Tudert. 507a.
1601, 21 maii. — Absolutio a reatu sanguinis 347a.
1602, 5 sept. — Confirmatio privilegiorum sacri Conventus 348a 471.
1604, 5 nov. — Contra detentores bonorum sacri Conventus 349a.
1604, 7 dec. — De confraternitatibus aggregandis 380.
1605, 3 iun. — Confirmatio Ministri gen. Conventualium 472a.
1607, 5 iul. — Indulgentiae pro confraternitate Conceptionis V. M. 381a.
1608, 24 ian. — *Aggregatio Confraternitatis Imm. Conceptionis Assis. ad romanam Archiconfraternitatem* 381a.
1608, 3 oct. — Indulgentiae pro confraternitate castri Podii inferioris 350a.
1609, 17 iun. — Bulla prohibitionis mercaturae 486.
1609, 1 sept. — Indulgentia pro Stigmatibus S. Francisci 351a.
1609, 13 sept. — Contra detentores bonorum sacri Conventus 352a.
1613, 31 ian. — Indulgentia in eccl. Rivitorti 382a.
1613, 6 iul. — Indulgentia in eccl. S. Francisci 353a.
1615, 23 mart. — Confirmatio rectoris eccl. S. Ioannis Bapt. prope Ass. 356a 473.
1616, 13 iun. — Facultas utendi quibusdam eleemosynis 474a.
1617, 25 febr. — Indulgentia in eccl. S. Francisci 354a.
1619, 15 ian. -- Indulgentiae pro confraternitate in eccl. S. Ioannis Assis. dioec. 355a.
1619-1768. — *Visitatores Ordinis ad conv. S. Fortunati Tudertini* 554^{17}a.
1622, 6 sept. — Indulgentia pro eccl. S. Francisci 357a.
1622, 22 dec. — Pro Baccalaureis Collegii sacri Conventus 475a.

1624, 31 iul. — Indulgentia Portiunculae non suspenditur tempore Iubilaei 476.
1625, 15 mart. — Contra detentores bonorum sacri Conventus 358a.
1625, 5 iul. — Indultum pro Indulgentia Portiunculae 477a.
1625, 1 oct. — Pro donatione reliquiarum Assisiensium 478a.
1626, 7 oct. — Indulgentiae pro confraternitate in eccl. S. Clarae Gebennen. dioec. 359a.
1626, 13 oct. — Contra detentores bonorum sacri Conventus 360a.
1627, 28 iul. — Indulgentia pro velo b. Mariae Virginis 362a.
1627, 8 sept. — Electio card. Protectoris sacri Conventus 479a.
1628, 10 iun. — Indulgentia pro eccl. S. Ioannis Bapt. Assis. dioec. 383a.
1628, 16 sept. — De observatione Constitutionum Urbanarum 480a.
1628, 21 sept. — *Ministri generalis litterae ut Constitutiones Urbanae adamussim observentur* 480a.
1629, 22 sept. — Privilegia pro Collegio SS. Stigmatum Assis. 361a 481.
1631, 15 febr. — Indulgentia pro eccl. S. Clarae Assis. 384a.
1631, 6 sept. — Indulgentia pro eccl. S. Francisci 385a.
1632, 28 iun. — Pro hospitum cubiculis in sacro Conventu 386a.
1634, 18 ian. — Indulgentia pro confraternitate in eccl. S. Francisci 363a.
1635, 30 apr. — Indulgentia septem altarium in eccl. S. Francisci 364a.
1636, 1 oct. — Pro quodam canonicatu Assis. 387a.
1639, 3 nov. — Indulgentia pro confraternitate in eccl. S. Francisci 388a.
1640, 9 ian. — Indulgentia pro confraternitate in eccl. S. Francisci de Gualdo 389a.
1642, 10 nov. — Quaedam imposita et concessa pro Observantium familia 482.
1643, 3 febr. — Super nullitate professionis 365a.
1643, 16 apr. — Pro infirmaria sacri Conventus 483a.
1646, 12 dec. — Pro infirmaria sacri Conventus 390a 484.
1659, 7 oct. — De Missis celebrandis in eccl. S. Francisci 367a 485.
1665, 19 iun. — Indulgentia septem altarium in eccl. S. Francisci 372a.
1667, 7 oct. — Pro supellectili ecclesiae S. Francisci 391a 508.
1667, 21 oct. — Praeceptum de Officio et Missa Conceptionis Immaculatae b. M. V. 366a.
1669, 6 aug. — De infirmaria sacri Conventus 392a.
1672, 16 mart. — Facultas ad clericalem statum transeundi 393a.
1674, 24 sept. — Indulgentia Portiunculae non suspenditur tempore Iubilaei 487a.
1677, 12 apr. — Poenitentiarii pro eccl. Portiunculae 488a.
1684, 28 sept. — Ne opera musicalia s. Conventus distrahantur 394a 489.
1687, 22 ian. — Indulgentia Portiunculae defunctis applicabilis 490.
1690, 10 ian. — Indulgentia Portiunculae pro ecclesiis fratrum Conventualium 368a.
1695, 18 aug. — Indulgentia quotidiana pro eccl. S. Francisci 369.
1696, 13 ian. — Contra detentores bonorum sacri Cenventus 370a.
1699, 11 mart. — Poenitentiarii pro eccl. S. Francisci 371 395 491.
1699, 18 maii. — Indictio Iubilaei 492.
1699, 1 aug. — Indulgentiae in alma Domo Lauretana non suspenduntur tempore Iubilaei 493a.
1701, 3 mart. — Indulgentiae pro ecclesiis Conventualium 509a.
1703, 13 dec. — Ne res sacri Conventus extrahantur 510a.
1704, 13 febr. — Contra detentores bonorum Franciscae Nuti Assis. 396a.
1705, (6-12) dec. — Pro monasterio S. Petri Assis. 511a.
1706, 6 nov. — Dispensatio aetatis pro sacerdotio 397a.
17(-06-7). — Oeconomus in Urbe pro sacro Conventu 513a.
1709 28 nov. — Indulgentia in festo Imm. Conceptionis pro eccl. S. Francisci 398a.
1710, 21 ian. — Confirmatio regularum Collegii Missionariorum in sacro Conventu 512.

INITIA BULLARUM

INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM ET RERUM QUAE TUM ORD. MIN. TUM ASSISIUM URBEM RESPICIUNT